Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Hermann Benner

D. Io. Hermann. Benner Theol. Prof. Ord. Paedagogiarchae Ac Superint. Sylloge Thesium Hermeneuticae Sacrae Inservientium : Accessere Theses Homileticae

Giessae: Francofurti: Krieger, 1753

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0001
DFG

Fc-3462.
I.c— 3462.
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0002
DFG

D. IO. HERMANN. BENNER
THEOL. PROF. ORD. PAEDAGOGIARCHAE
AC SVPERINT.

SYLLOGE THESIVM
HERMENEVTICAE
SACRAE
INSERVIENTIVM

ACCESSERE
THESES
HOMILETICAE.



GIESSAE ET FRANCOFVRTI,
APVD IO. PHILIPP. KRIEGER, MDCCLIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0003
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819571466/phys_0004
DFG



L. S.

FVerunt e commilitonibus optimae spei, qui disputandi materiam singulis hebdomadibus ventilandam, exposcerent. Per vniuersum sanctioris doctrinae campum excursuro, hermeneutica primum occurrit, fida comes, immo dux ad reliquum iter. Cuius e penu, sicut in mentem & manum quidque veniebat, opera fere tumultuaria depromebam. Paullatim connectere coepi, mox illustrare interdum, quae breuiter & sine nexu ac destinatione in cartam coniicere, initio statueram. Sparsas huc & istuc pagellas collegit typographi sollertia, quam ego si magnopere laudem, praeter rem facturus

rus sim, & multo magis etiam, praeter meam destinationem. Si quis autem systematis aut compendii, stamina, vel vmbram saltim, hic suspicetur, eum rogamus, vt aequius de studio nostro iudicet, & conatum aestimet ex instituto, non facultatem e facto, quod vagum esse ac praeproperum, nemo magis agnoscit quam auctor. Satis habeo exercere meos, vel me, si mauis, per illos: & frui laboribus eorum, qui nostro aeuo in hoc genere excelluerunt, B. RAMBACHII *nostri, ac pressius ven.* BAVMGARTEN, *quos ego & meis commendo, & mihi propono magistros. Clausa iam palaestra, accessere theses homileticae: ne campus desit, in quo deinceps exerceamur. Facile his carere poterunt auditores nostri, si post priores diligenter voluere libuerit ven.* HALLBAVERVM, SIMONETTI, SCHVBERTVM, *& reliquos, laude nostra maiores. Ne fructu careat haec opella, faxit ille, quem omnis bonae frugis fontem datoremque veneramur. Giſſae* CIↃ IↃ CC XLVIII.

E PRO-

E PROLEGOMENIS HERMENEVTICAE SACRAE,

RESPOND. FRID. GOTTLIEB. CASPARI.

Palaestra 1.

I. De hermeneutica generatim.

1. HErmeneutica * est notitia regularum **, quas obseruamus in eruendo sensu propositionum, itemque in acquirendo habitu, has regulas ad casus obuios applicandi.

* Quoniam omnis notitia theologica, ope hermeneuticae, vel naturalis, vel artificialis, comparatur; commodum est, in fronte locare theses hermeneuticas.

* Regula hermeneutica, est propositio, enuncians quomodo sensus sermonis erui, & habitus in hoc genere acquiri possit.

2. Hermeneutica *naturalis* dicitur, cum illa *notitia* tantum est *confusa*, adeoque minus

certa. *Artificialis*, si illa notitia est *distincta* & *certa*. Breuius: si illa notitia nomen *scientiae* meretur.

Vtraque diuidi potest in *generalem*, quae regulas complectitur, omnibus propositionibus, quatenus in tertio quodam conspirant, communes: & *specialem*, quae regulas complectitur certis propositionibus, (de rebus determinatis agentibus, vel singulari stilo expressis) proprias.

Hermeneutica *generalis* artificialis, est pars *logices*: quam qui probe percepit, facillime progreditur in speciali.

4. Hermeneutica *artificialis* differt a *naturali*, non regularum diuersitate, sed cognitionis amplitudine, claritate, & facilitate applicationis.

5. Sola hermeneutica *artificialis doceri* potest. Nisi *docere* idem sit, quod crama quoddam confusorum conceptuum effundere.

6. Qui nulla pollet hermeneutica artificiali, is tamen, si ad interpretationem propositionum oblatarum accedit, secundum regulas agit.

II. De

II. De hermeneutica sacra.

7. Ad hermeneuticam *specialem* (§. 3.) refertur *hermeneutica sacra*, quae, (si artificialis intelligitur) est scientia regularum, quas obseruamus in eruendo sensu propositionum scripturae sacrae, & in acquirendo habitu, eas ad obuios scripturae textus applicandi, (§. 1. 2.)

8. Hermeneutica sacra, eo sensu est pars theologiae, quo logica est pars philosophiae.

9. Exegesis & hermeneutica differunt maxime.

10. Systemata seu compendia hermeneutica, *artificialem* hermeneuticam exponunt, non vero *naturalem* (§. 5.) Quocirca vsum pleniorem haud praestant, nisi *methodo scientiam* gignente, conscribantur.

11. Sine solida logicae, & metaphysicae cognitione, nemo vel conscribere vel explicare potest hermeneuticam sacram. His destituti praesidiis, profitendo artificialem, facile corrumpunt naturalem, & *suam* hermeneuticam proponunt, non vero genuinam.

12. Hermeneuticam sacram debito cum fructu docere nequit, nisi qui *exegesi* polleat (§. 9.) & *notitia* totius theologiae *dogmaticae* ac *moralis* systematica, id est *distincta* atque *certa*.

13. Ad discendam hermeneuticam sacram si quis adgreditur, nondum linguarum sacrarum, logicae, ac metaphysicae *solida*, theologiae vero dogmaticae atque moralis *aliqua*, peritia imbutus, aquam haurit cribro, emturus poenitentiam.

14. Nemo hermeneuticae doctor ita se demittere potest ad *captum* auditorum, vt his, qui praeparatione debita (§. 13.) carent, feliciter instillare queat scientiam hermeneuticam, quae in sacris literis occupatur.

15. Multo facilius * est logicam & metaphysicam discere, quam hermeneuticam sacram.

* Falso itaque concluditur: si post circulum scholasticum illico ad logicam & metaphysicam accedimus: recte fit, si ad hermeneuticam sacram, idem post curriculum, statim adgrediamur.

16. Ne-

16. Necessitas discendi hermeneuticam, *in se talis*, non est confundenda cum necessitate altera, quae vult, vt quilibet in quolbet statu, illam discat. Sophistarum est, illa commiscere.

17. Hermeneutica artificialis, quae sola doceri potest ac debet, *(§. 5.)* non est absolute necessaria ad id, vt propositiones sacri codicis de Christo & salutis ordine, salutariter cognoscantur, & pro concione sacra cum fructu exponantur.

18. Institutio hermeneuticae *non artificialis*, *(§. 11. 12 5.)* non est ea, quae tam * necessaria sit theologo, quam vulgo putatur.

* Fallitur, si quis necessitatem hermeneuticae probaturus, non aliam hermeneuticae concepit ideam, nisi *enarrationem quandam, regulas confuse cognitas, & ex parte futiles, complexam.* Talis hermeneutica cum sit partim naturalis, (§. 2) partim corruptio eius, quae naturalis est: non modo altera parte *supernacua*, sed altera quoque parte *noxia*, putari debet.

19. Danda est opera, vt libelli hermeneutici careant lusibus ingenii, praesertim in doctrina de *affectu*, *emphasi*, *scopo specialissimo verborum*, *porismate*, cet.

20. Probe distinguendum est inter id, quod *certum* est in ipsis *regulis* hermeneuticis, & quod *certum* est in earundem applicatione. An haec vel illa regula ad hunc vel illum locum sacri codicis quadret, id saepissime intra *meram probabilitatem* subsistit.

21. Posita exactissima hermeneuticae sacrae scientia, nondum ponitur certa omnium sacri codicis locorum interpretatio.

22. Notiones, quae regulas ingrediuntur hermeneuticas, definiendae sunt, nisi claritas earum sufficiens, tuto praestrui possit. *(§. 2.)*

23. Regularum hermeneuticarum in sacro codice exponendo valentium, ratio sana iudex est, eaque tum *subiectiue* tum *obiectiue* spectata.

24. Quaedam sacri codicis propositiones sunt eiusmodi, vt irregenitus homo, notiones tam claras, vt ad assensum viuum sufficiant, sola ope scientiae hermeneuticae & positis ceteris humanis praesidiis, haud inde consequatur.

DE

E CAP. I. HERM. S.

DE

SENSV SCRIPTVRAE S.

generatim, & mystico speciatim.

RESPOND. CHRISTIANO PHIL. LVD. NEBELIO,

Palaestra 2.

25. *Significatus* vocis, est *conceptus* voci respondens. * *Vis vocis* est aptitudo vocis, ad excitandum conceptum.

* 1) Si quis *vim vocis* & *significatum* vocis pro vna eademque re habere malit, nihil pugnamus. 2) Deum autem, sacri codicis auctorem, ita vsum esse linguis sacris, vt linguarum indoles ferebat, non est quod in exordio praestruamus operosius.

26. Voces pleraeque, in se spectatae, *vim* habent *variam*, id est, aptae sunt ad *plures conceptus* excitandos. Vt igitur vnus ex illis pluribus, & non reliqui, * per talem vocem excitentur, id non ipsa vox efficere potest, sed aliud quidpiam superaccedens, a quo vox *determinetur*.

* Significatus *possibiles* vnius vocis sunt multi: vt igitur *necessarius* fiat aliquis ex illis possibilibus, *ratio* quaedam *determinans* accedere debet.

27. Significatus vocum magis *determinatur*, si illae connectantur, in primis ita, vt fiat ex illis *propositio*; ibi enim * *subiectum* a *praedicato*, & hoc ** a *subiecto* ad significatum magis definitum restringitur.

* e. c. *Io. I.* 10. *Mundus* a filio Dei factus est, *v.* 3. *Mundus* filium Dei non agnouit.

** *Phil. IV.* 13. *Praedicatum* est, *omnia posse.* Hanc non esse *omnipotentiam*, vt quae solius est Dei; indicat *subiectum*, quod est PAVLLVS, in quo notatur α) humana natura limitata & corrupta, β) vis noua a Christo concessa, γ) vis tanta, quam prae multis credentibus praecipuam habet. cet. Idem contra *praedicatum* alii *subiecto* tributum, aliter determinatur: *Deus omnia potest. Luc. I.* 37.

28 Sensus, est complexus significatuum *(§. 25.)* in propositione, seu *iudicium* in illa. Sensus propositionis vnius, in se spectatae, per internum eius nexum non satis * semper determinatur, sed per *connexas* in contextu, & aliter cognitas propositiones, saepe magis definitur.

* Fit illud, quando *subiectum* a *praedicato* & v. v. quidem restringitur, sed ita tamen, vt arctior restrictio accedere possit per propositiones vel in contextu connexas, vel aliter cognitas; vt *Io. V.* 18. coll. *cap. I.* 8. & *Io. III.* 18.

III. 18. coll. 2 *Cor. V.* 10. *Act. XVII.* 31. 14. qui locus contra deliria *illustr. comitis* ZINZENDORFII notandus est. *Luc. XV.* 7.

Huc refer propositionem CHRISTI *Luc. XXII.* 25. qua non nulli abutuntur ad asserendam *aequalitatem* membrorum ecclesiae, quae omnem *iurisdictionem ecclesiasticam* (ius disciplinae) excludat: cum tamen propositio connexa, *com.* 26. illam priorem alio prorsus modo determinet. Alterum vid. *Genes. VI.* 6.

29. *Sensus propositionis Scripturae*, est determinatum in illa iudicium * (*§. 28.*) a Deo cum viris diuinis communicatum.

* Qui hoc ipsum *iudicium* mente sua concipit, ille sensum eruisse dicitur, seu intelligere propositionem scripturae, *Luc. XXIV.* 27. 32. Sed νῦς Κυρίε 1 *Cor. II.* 16. huc non pertinet.

30. Sensus vnius * propositionis tantum est ** vnicus.

* Nam significatus vocum, quibus illa propositio constat, partim per vim significandi (§. 25.) partim per nexum propositionis internum (§ 27.) partim per alias propositiones connexas (§. 29.) ita determinatus est, sicut scriptor facer eum determinare voluit: vt, qui demat aliquam ex his, vel addat aliam determinationem, is non sensum scriptoris, sed suum, concipiat.

** Distinguendum est, inter sensum *propositio-*

nis

nis in scriptura exstantis, & inter sensum *conclusionis*, quae ex sensu illius propositionis cum alia quapiam combinatae, tanquam e duabus *praemissis*, legitime infertur. Talis conclusionis *sensus* est quidem sensus scripturae, seu spiritus sancti: sed non est sensus stricte sic dictus illius *propositionis* (*praemissa*) *cuius*.

Vnicitas autem sensus (sit venia voci) tam non excludit *secunditatem* sensus (§. 40. fs.) quam *toti* non repugnat esse *vnum*, licet partes eius sint multae: & quam generi non repugnat, esse vnum, tametsi *specierum* & *individuorum* sit aliqua multitudo.

31. Distinctio inter sensum vnius eiusdemque propositionis in *scriptura sacra* exstantis, *mediatum* & *immediatum*, hoc respectu (§. 30.**) admitti nequit.

Notionem sensus *mediati* admittere cogemur, infra, cum id *sensus* secundus dicitur propositionis, *quod ex propositione* per bonam consequentiam elicitur (§. 38.)

32. Omnis *conceptus* est repraesentatio rei in mente. Omnis vox scripturae exhibet conceptum, (§. 25.) & per illum *mediate* rem ipsam ei respondentem, nobis repraesentat. Sed *vna res*, propter easdem notas characteristicas, saepe rursus *rem alteram*, eum qua communes habet illas notas, nobis repraesentare, hoc est, intelligibilem

bilem facere potest, quamuis conceptus rei repraesentatae non pendeat a vi vocum, quibus tantum notae rei repraesentantis pinguntur, vt perfectus iam inde sensus nascatur. Ideo in sacris literis, interdum vna res vt signum proponitur alterius rei, per id signum intelligendae, idque ex destinatione Dei. Quare tunc, *res vna*, enumeratis notis veluti depicta, * *ex intentione Dei repraesentat* ** *alteram*. Id vero, quoniam non potest vocari *sensus*, qui tantum est *verborum* in propositione connexorum, adeoque hoc loco, in descriptione rei repraesentantis; *(§. 28.)* ideo rectius vocatur *repraesentatio vnius rei per rem alteram*. Quae repraesentatio, quia fit 1) per *notas intime in ipsa re latentes, nec omnibus ideo conspicuas*, 2) quia *res, saltim altera, est spiritualis*; dicitur *mystica*, i. e. *arcana, occulta*: & varias habet *species*.

* Aliter est in metaphora, de qua inferius.

** ibi *ratio* hanc repraesentationem *determinans*, est 1) vera rei repraesentantis & repraesentatae indoles, seu *identitas notarum* vtriusque, 2) destinatio scribentis.

33. In sacro codice locum non habet sensus mysticus, nisi illam repraesentationem rei vnius per alteram *(§. 32.)* *sensum mediatum* vocare libeat.

34. *Re-*

34. *Repraesentatio typica* nullo in loco sacri codicis certa est, nisi ab ipso Deo * recludatur.

* Quamuis enim notae rerum diuersarum conspirare possint (§. 32) tamen, vt vna signum alterius constituatur, & tale quidem, quod in *hac propositione obuia* satisque iam per se determinata, intelligi debeat; ad id praeter illam propositionem, sensu determinato, (§ 27. 28.) iam gaudentem, aliis opus est indiciis, quae nemo, nisi eiusdem sermonis auctor suppeditare potest. Exemplo sit *Exod. XII. 46. Io. XIX. 36. Matth. XII. 40.*

35. Non est necesse, plures facere, sensus, quem vocant, mystici *species*, quam duas, diuidendo illum in *typicum*, & *allegoricum*. Posterior, denuo *species* admittit, vt aut *fictio* rei repraesentantis, *Matth. XV 1. ss.* aut determinata eius *existentia*, *Io. X. 12.* locum habet.

36. Cum per Dei sapientiam cuncta huius mundi conspirent, & *regnum gratiae* non minus sit pars huius mundi quam *regnum naturae*: inter vtrumque harmoniam conspici necesse est. Non omnis tamen *comparatio* rerum vtriusque regni, ad sensum typicum pertinet. *1 Io. I. 5. Eph. II. 10.*

DE

DE

SENSV
SCRIPTVRAE SACRAE

nominatim *fecundo* & *optico*,

RESPOND. IO. ANTONIO SCHREINER.
Palaestra 34

37. Significatus (§. 25.) *fecundus*, est multitudo conceptuum in voce. Fecundus *indeterminate* dicitur, quando illa est per * *vim vocis.* (§. 25.) *Determinate* fecundus, quandoaliqua est in ipso nexu. ** (§. 27. 28.)

* Tales sunt in primis ebraicae linguae voces, qua vix vlla pauperior est vocabulorum, vnde non vna nobis difficultas, qui praesidiis cognoscendi sufficientibus, non semel destituimur. Multitudo vocabulorum determinato significatu gaudentium, est magna ceteroquin linguae *perfectio.*

** Quare τὸ ὑψωθῆναι ἐκ τῆς γῆς, *Io. XII.* 32. non est *determinate fecundum*, restringitur enim per propositionem aliam *comm.* 33 34. ad *supplicium crucis*, & per aliunde notam, *Io. III.* 14. cum extra hunc nexum plura significare posset.

38. Sen-

38. Sensus *fecundus*, est multitudo iudiciorum in propositione vna, (§. 30.) & ex vna: (§. 30.**) idque vel *indeterminate* seu extra nexum cum propositionibus reliquis, vel *determinate*, intra illum nexum.

39. Significatus & sensus *indeterminate fecundus*, abest * a vocibus & propositionibus, quatenus sunt in scriptura sacra, (§. 30.*) nisi a nexu nulla sit restrictio.

* Contraria sententia & praxis tribuitur COCCEIO & assectatoribus eius, quae proinde *Cocceianismus* vocari solet, sique latius ista licentia vagetur, *Rabbinismus*.

40. Quaedam voces per contextum iam determinatae, plures excitare possunt conceptus, eosdemque pro fine scribentis connexos. Alter eorum conceptuum saepe *primarius* est, alter *secundarius*. Quoties vterque a Deo intenditur, toties adest significatus *determinate fecundus*. (§. 37.) Eiusmodi voces potissimum sunt verba * *praegnantia*, ac nominatim inter ** tropos, *metaphora*.

* Vt *1 Petr. III.* 20. διεσώθησαν εἰς κιβωτὸν, *in arcam ingressi & seruati sunt*, nisi ellipsin ibi malis. Exempla sunt apud GLASSIVM.

** *Io. III.* 6. vbi spiritus (in *praedicato* propositionis)

sitionis) non tantum perfectionem spiritualem suo principio vtcunque respondentem, sed *maxime* respondentem, (pro suo tamen gradu) denotat. Ponitur enim *abstractum* pro *concreto*. Idem iudicium de voce *carnis* ibidem, in praedicato. Nam alia est vtriusque vocis ratio, cum est *subiecti* loco, in eodem nexu. Ibi enim *spiritus* notat, *spiritum sanctum*, tanquam principium, quod, perfectionibus suis conuenienter, agit ad producendum seu *propagandum* aliquid *spirituale*, i. e. perfectionem salutarem, principio suo respondentem. Et *caro* notat hominem defectibus exitiosis (peccato originis) obsitum, tanquam principium, quod, defectibus illis congruenter, agit ad propagandum aliquid *carnale*, defectibus iisdem aegrum, & suo principio respondens.

41. Quoniam vna *notio* * scripturae sacrae saepe resolui potest in plures connexas: hoc quoque respectu illa recte dicitur *secunda*.

* Exemplo sunt: notio *conuersionis, fidei, amoris, carnis, spiritus*, cet.

42. Metaphorae multis conceptibus partialibus, in vnum totalem compactis, grauidae, totidem gignunt *iudicia*, quot conceptus inde, per determinatum rei figuratae conceptum, erui possunt. Ergo

sunt *fecundae sensuum*, * licet notae figurantis rei, figuratam indicaturae, non diserte, sicut in allegoria, enumerentur, (§. 32. *) Quippe allegoria est *euoluta metaphora*.

* Exemplo est, vox *regenerationis*. Caue, tamen, ne insidiosa sollertia in hoc genere tibi illudat.

43. Omnis *definitio*, est notio. Ex definitione, seorsum sumuntur *axiomata*, & *postulata*. * Quare omnis definitio scripturae sacrae, est *fecunda axiomatum & postulatorum*. *Ebr. XI. 1.*

* Reliqua, e pluribus sumenda definitionibus, facile adduntur. Ceterum haec fecunditas partim talis est, sicut *totum* est grauidum *partibus*; partim talis, vt *variabile*, *variationibus*. Quoniam posteriore casu sensus potior manet idem; fecunditas proprie non habet locum.

44. Omnis propositio vniuersalis, ambitu suo plures particulares complectitur. Quare propositiones scripturae sacrae vniuersales, dici possunt *fecundae*. *Io. I. 3.*

45. Omnis propositio vera, si cum altera vera, legitime connectatur, est fecunda veritatis nouae, * quae est in conclusione, ex illis praemissis nexa. Quocirca & hoc ioco est fecunditas.

* Huc

* Huc refer *porismata*, & applicationem sensus, ad praxin pietatis. Vt adeo fecunditas scripturae sacrae *logica*, & *moralis* agnosci debeat. Verum, non diffitemur, id quod in sensu dicitur *fecundum*, magis restringi posse, vel debere.

46. Si agnoscis *sensum* mysticum, (§. 32. 33.) tunc propositiones, rem repraesentantem exhibentes, erunt fecundae *Exod XII 46.*

47. *Sensus opticus* * est, qui pro obiecto habet phaenomena physica, sicut illa per solam sensationem primo adparent, licet aliter se habeant.

* *Iosu. X. 12 13. Psal. XIX. 6. 7. Ioel. II. 10.*

48. Si conceditur sensus *opticus* scripturae sacrae, tamen is sensus erit * verus in suo genere.

* Nam posito illo sensu, nihil tanquam verum praesumeretur nisi hoc: affectiones illorum phaenomenorum sensibus sic adparere. Ita sapientiae diuinae congruum erit, eo tempore, quo nondum vera phaenomenorum indoles lectoribus esset cognita, sic scribere, ne quis incredibilia, & sensuum fide refutanda, obtrudi sibi, caussaretur.

49. Nemo interim demonstrare potest, in has scripturae propositiones *opticas*, aliquam determinationem * a Deo illatam

esse, quae directe repugnet obseruationibus physicis.

* Nempe illae propositiones, quas dicunt opticas, non sunt eo vsque determinatae, vt sensus vere physicus, a rebus abstractus, locum habere non possit. In locis *Ios. X. 12. Psal. XIX. 6. 7.* nil dicitur, nisi solem *non mutare*, vel *mutare situm* suum, quem habet respectu regionis certae in terra nostra. Id quod experientiae, nullo adhucdum in alterutram partem iudicio interpolatae, congruit. Ita nempe accuratissimi loquuntur astronomi, qui in calendariis, quae vocant, phrases de *cursu solis*, & *lumine lunae*, salua rei veritate, & calculo saluo, retinent.

50. Propositiones scripturae §, lingua licet nota exhibitae, non producunt in nobis conceptus ipsis respondentes, (non intelliguntur (§. 29.*) nisi praesente *experientia*,* quam scriptura partim supponit, partim superaddit. *Io. III. 4. VII. 17.*

* *Experientiam* h. l. vocamus, cum nobis conscii sumus eius conceptus, qui cum hac vel ista voce coniungi solet; vel saltim similitudinis, quae a notioribus conceptibus abstrahi potest, ad formandum aliquem ignotiorem, ἀ ἀναγινώσκων νοείτω, *Matth. XXIV. 15.*

DE

DE SENSV SCRIPTVRAE REGVLAE GENERALES,

RESPOND. HENRICO GEORGIO NEBELIO.

Palaestra 4.

51. NOtiones, quae ingrediuntur regulas hermeneuticas, definiendae sunt *(§. 22.)* Cum itaque notiones *significatus, sensus, sensus mystici, secundi, optici*, ingrediantur * quasdam hermeneuticae sacrae regulas: necessariae fuerunt earundem definitiones *(§. 25.-50.)*

* Hinc adparet cur de sensu generatim spectato, iam hoc agatur loco, & cur *regulas* subnectamus aliorsum forte reseruandas.

REGVLAE COMMVNES

I.

de sensu generatim.

52. 1) Ne *inferas* * significatum & sensum in propositiones ** scripturae sacrae, sed latentem in illis, *eruas*. *** Ratio huius regulae continetur *(§. 29.)*

* a) *Inferre significatum*, est, aliam vim vocum (§. 25.) vel aliam earum determinationem, a determinationibus sermonis (§. 27. 28.) abhorrentem, comminisci.

b) *Inferre sensum*, est, iudicium connectere cum terminis propositionis, (§. 29.) quod ab illa, tum in se, sum in nexu posita, abhorret.

** Fit autem, variis modis 1) si plus significatus aut sensus in voce ac propositione fingas, quam eidem inest. 2) Si minus fingas; 3) si diuersum quiddam aut plane contrarium comminiscare.

*** Regulae igitur hermeneuticae, quae modum aliquem praescribunt, quo significatus aut sensus in textum (propositiones scripturae s) infertur; sunt spuriae, & corruptrices hermeneuticae naturalis. Rationem vide (§. 1. ** & 29.)

53. 2) Fac experiaris eas mutationes, praesertim *supernaturales*, quarum notiones in scriptura sacra exhibitae, sine illa experientia,* satis clarae tibi fieri non possunt. Ratio huius regulae indicatur (§ 50.)

* Hanc regulam ipsa ratio sana suppeditat, quae & in *logica* docetur. Conf. 1 *Cor. ll.* 7-13. Quid locus *proxime* non agit de *visione* Dei *beatifica* post hanc vitam.

II. *De sensu fecundo.*

54 1) Fac vt sensum *fecundum* e propositionibus, quibus ille inest, eruas, h. e. vt tantundem sensus elicias, quantum au-

ctor

ctor propositiones per illam suppeditauit (§. 40 - 46.). Id qui non facit, sensum infert in textum, (§. 52.** 2.) non effert. Habes igitur huius regulae rationem.

55. 2) Caue, ne sensum* *indeterminate secundum* fingas. Is enim abest a propositionibus scripturae sacrae, (§. 39.) per consequens in illas infertur, (§. 52. ** 1.)

* Regulae aliter praecipientes, sunt corruptrices hermeneuticae naturalis. Tales interdum conspicias in libellis cetera laudandis. e. c.

Sensum secundum erue, si vox in propositione, ab etymo duplici derivari potest. Ibi duplicem etymi significatum compinge in vnum. Cum enim alterutram derivationem oporteat esse falsam: fieri non potest, vt vtramque salua veritate retineamus.

Talis & est illa: *In voce, quae plura significat diuersi generis aut speciei, plura ista simul intellige.* Vt si quis 1 *Cor. XI.* 10. angelos tum bonos, tum malos, itemque legatos paganorum, & christianorum simul notari velit.

56. 3) Caue, ne ad propositiones vniuersales *scripturae sacrae* (§. 44.) referas * species quasdam, sub iisdem minime comprehensas. Id enim est, inferre sensum in

textum, (§§. 52. ** 3.) non autem efferre. Vides huius regulae rationem.

* Facilis hic lapsus est, tum in *theoria*, tum in *praxi*. Salua ibi regula, error est in casu obuio, seu exemplo ad regulam exigendo. Sic *Iesa. LIX. 5.* si vulgata valeat expositio, (nobis secus videtur) haec sunt propositiones a spiritu sancto suggestae: 1) homines quidam, falsas ac pestilentes doctrinas, itemque noxia consilia, in perniciem aliorum parturiunt, ac tempore sibi opportuno proferunt. 2) Quicunque doctrinas eiusmodi amplectitur, & consiliis obtemperat, illi paratum est exitium. 3) Quicunque illis doctrinis & consiliis repugnat, ille concitat in se rabiem eorum hominum, qui falsa docent, & mala suadent. Iam, si sensum eorum verborum expositurus, inter illas doctrinas pestilentes & consilia funesta referas tanquam speciem, *recentiora philosophiae systemata*, praetet meritum tibi suspecta; vide, quam ignotus vati sacro sensus hinc extorqueatur; hunc in modum: 1) Iesaias hoc praedixit de philosophis. 2) Systemata recentioris philosophiae sunt ova basiliscorum. 3) Qui scholas adit philosophorum, is deuorat haec ova, praesentissimum sibi virus. 4) Qui hos philosophos calcat, in concitat in se aculeos eorum. Nam vruntur argumentis ineluctabilibus, cet. Quis autem spiritui sancto ista tribuat?

III. *De*

III. *De sensu mystico.*

57. 1) Caue, sensum, quem vocant, *typicum*, aliis pro certo vendites, qui vel nullus, vel dubius, vel tantum probabilis inueniatur. Rationem habes (§. 34.)

58. 2) Sensus *allegoricus*, in quo res repraesentans tantum fingitur, (§. 35.) admitti non debet, nisi cum * ille per nexum sermonis certo determinatur. Ratio est (§. 52. 34. * 29. 30.

* Insana petulantia hanc regulam aetate nostra violat EDELMANNVS, post veteres ac recentiores quosdam allegoriae patronos.

59. 3) In eruendo sensu, quem vocant, *mystico*, tum veteris, tum noui testamenti, ne transgrediare limites determinationum, quae sunt in nexu. Ratio allata est (§. 58.)

IV. *De sensu optico.*

60. 1) Vbi propositiones, quae *opticae* vulgo dicuntur, in sacris literis occurrunt, ne sensum in illis finge talem, qui certis philosophorum obseruationibus repugnet: sed rationem * ibi magistram & interpretem audi. Ratio est (§. 48. 49.)

* Reuelatio diuina duplex est, altera, quae fit per *librum scripturae*, altera, quae per *librum naturae*. Quae igitur veritates certae sunt in *libro naturae*, earum contrarium, necessario falsum est. Deus autem tam non mentiri potest in *libro scripturae*, quam id non potest in *libro naturae*.

61. 2) Si phaenomena physica in sacris literis ita memorantur, vt omnia eorum attributa non percensita sint; tunc ea, quae cum illis comparantur, non intelligenda sunt e quolibet eorundem attributo, nisi * probare queas, illud tunc temporis fuisse cognitum his, ad quos scribitur. (§. 29.)

* Sic falsi doctores *Iudae* 13. comparantur cum sideribus erraticis. Tunc temporis, in illis sideribus notabatur *cursus eorum vagus*. Quod eadem lumine non suo fulgent, id verum est. Sed ante, quam ductam inde comparationem esse, contendas, docendum tibi fuerit, hoc lumen planetarum peregrinum, ita cognitum illa tempestate, auditoribus Iudae Apostoli fuisse, vt salua sermonis perspicuitate, inde sumi haec metraphora potuerit. PRAESIDIS *otia sacra* p. 134. *ss.*

Ceterum haec regula in transcursu adiecta alium sibi locum vindicare potest.

* * *

DE

E. CAP. II. HERMENEVTICAE SACRAE

DE

SIGNIFICATV VOCVM GENERATIM.

RESPOND. PHIL. CHRIST. WENCKENBACH.

Palaestra 5.

62. SYstema * hermeneuticum, est vniuersitas regularum hermeneuticarum, (§. 1. **) in nexu debito.

* Systema si sumas pro libro, regulas illas continente, (§. 10.) non pro ipsis regularum conceptibus connexis, qui sunt in animo, nihil pugnauerim.

63. Nexus regularum in systemate hermeneutico (§. 62.) sapienter adornari debet, hoc est ita, vt sit *optimus*. Quod fiet, si 1) regula quaelibet antecedens, inseruiat ad intelligendam * subsequentem; adeoque sit *medium* ad notitiam subsequentis: si 2) modus connectendi regulas omnes, inseruiat ad intelligendum ordinem, quo quaelibet applicanda sit ad obuium textum, adeoque, si cognitus ordo regularum in systemate, sit *medium* ad intelligendum ordinem, qui debet obseruari, in applicanda qualibet regula,

gula, ad eruendum sensum.** Ita *habitus hermeneuticus* comparatur facilius (§. 1.)

* Hic nexus est optimus, ad distinctam cetamque regularum cognitionem, seu ad earum *scientiam*, sine qua non est *artificialis hermeneutica* (§. 2.) Quare systemata hermeneutica scribi debent hac *methodo* (§. 10.)

** Hic nexus est optimus, respectu finis (§. 7.) per quem in systemate quolibet, reliqua determinantur. Ita nempe cultor hermeneuticae tuto colligit: *quo ordine ponuntur regulae in systemate, eodem ordine illas applico, quoties ad explanandos scripturae sacrae textus aggredior.*

64. In quolibet systemate hermeneutico, primum * occupare debent locum regulae de vocum & phrasium ** *significatu.*

* Systemata tradunt hermeneuticam artificialem, seu *scientiam hermeneuticam* (§. 10.) Sed in tali systemate nexus debet esse sapiens, (§. 63.) Ergo necesse est, 1) ut regula quaeque subsequens, per sociam antecedentem intelligatur. Iam vero, regulas per istas, eruere volumus sensum scripturae sacrae (§. 7. 29.) Scriptura sacra constat serie propositionum, quibus ineſt *sensus*. Sensus constat significatibus verborum, quae sunt in propositione (§. 28.) Quamobrem regula quaelibet de *sensu* eruendo tradenda, tunc intel-

intelligitur optime, si praecedens aliqua, de *significatu* praecepit. Porro, quoniam regulae in systemate, eodem ordine collocari debent, quo applicantur, (§ 63.) in applicandis autem regulis, seu, in exponendo aliquo sermone, prius de vocibus singulis cogitamus, earumque conceptibus, quam de sensu. Quare ordo iam dictus, est optimus, qui turbari non debet (§. 11.)

** *Phrases*, hactenus vocum instar habentur, quatenus nondum conficiunt integram propositionem. Quare *logici* referunt illas ad *terminos*.

65. Vis vocum, primo eorum arbitrio debetur, qui 1) ad hunc indicandum conceptum, hoc potius, quam alio sono articulato vsi sunt, itemque ad pingendum illius soni signum, hunc potius quam alium characterem elegerunt. Repertis vocibus, accessere 2) mutationes earundem plurimae, ad regulas quae *etymologicae* dicuntur, reuocabiles: itemque modus determinatus in *constructione* vocum, regulis *syntacticis* respondens. Vbi aliquid *commune* * linguis omnibus, aliquid rursum *singulare* ** cuique, deprehenditur.

* Ad solidiorem scientiam hermeneuticam

grammaticae

grammatica quaedam *vniuersalis* plurimum conduceret.

** *Idiotismum* linguae, quidam vocare solent.

66. Vis itaque vocum (§. 25.) varie determinatur, *laxius* & *seuerius*. (§ 26 27 28.) *Laxior* determinatio diuidi potest, in *internam* & *externam*. *Interna*, fit per eas mutationes, quae voci accidunt secundum regulas grammaticae *etymologicas*. *Externa*, quae fit in phraseologia, seu compositione vocum, per regulas *syntacticas*. (§ 65.) Per vtramque, semper aliquid in conceptu, voci respondente, mutatur, nisi qua mutatio soli *euphoniae* vel *inani licentiae*, *in exemplum tractae*, *debeatur*.

67. Vis illa vocum, arbitrio inuentorum constituta, & variis mutationibus ad regulas exigendis, variata (§. 65.) consensu societatis quondam comprobata fuit. Illius ita comprobatae, in singulis casibus obuiis, constans obseruatio, *latius* dicitur *vsus loquendi* & *scribendi*. Vocum *significatus*, semel adprobatus, & constanter in casibus obuiis vsurpatus, hoc nomine *strictius* adpellatur. Vnde adparet, *vim vocum pendere ab vsu loquendi*. Nulla enim ratio alia suppetit,

tit, cur haec vox, hoc modo formata & aliis iuncta, (§. 65.) hunc potius conceptum quam alium, & hanc potius quam aliam illius affectionem, cunctis eam vsurpantibus suggerere possit ac debeat, si ab *vsu loquendi* recedas. Secus qui sentiunt, ingenio suo fruantur.

68. *Lingua mortua* vocari solet, quae in nulla amplius ciuili societate sic viget, vt cum lacte materno singulis ciuibus plena & incorrupta instilletur, ac publice vsurpetur. Linguae sacrae, sunt *ebraea* & *graeca*. Vtraque ad *mortuas* referri debet. In lingua mortua non discitur *vsus loquendi, stricte* dictus, (§. 67.) nisi 1) *obuii casus*, (§. 67.) seu *exempla* in promtu sint, eademque talia, in quibus constans obseruatio comprobati significatus*, conspiciatur; vel 2) suppetant testimonia auctorum, qui florentis linguae saeculis vixerunt; siue illa *lexicorum*, siue *scholiorum*, *versionum*, *obseruationum*, siue aliam quamcunque formam, obtineant.

* Non sufficit, vocem aliquam saepius occurrere; sed requiritur, vt in contextu, in quo occurit, sint notae, per quas in significatum, vsu loquendi vulgatum, pateat rimanti aditus.

69. Experientia docet, vsum loquendi *stricte* dictum, in vtraque lingua sacra, saepiusculè desiderari. Quod in primis fit in lingua ebraea, cuius, praeter sacrum codicem, debita nos monimenta florentis aeui destituunt. Cumque vsus loquendi sit vnica ratio, quae *significatum* certo determinet: *(§. 67.)* illo deficiente, vel *nulla*, vel *dubia*, vel *probabilis* ratio supereſt, vnde significatus debitus eliciatur.

70. Vsus loquendi saepius vni eidemque voci *plures significatus* indulsit. Quorum vnus, si altero est frequentior, vulgo dicitur * *famosus*. Is igitur, eo ipso *maiore* gaudet vsu loquendi, quam alter, ideoque alteri est praeferendus, nisi ad alterum accedat *noua ratio*, per quam praeualeat ipse prae famoso.

* Huc refer etiam significatum *proprium*, qui famosior est *improprio*. Sic *Rom* X. 4. CHRISTVS dicitur τὸ τέλος, *finis legis*. Vox τέλος famosiore significatu notat finem, quando quid desinit, *Interdum* vox eadem *vectigal* significat. Est, qui *vectigalis* notionem hoc loco praeoptauit, repudiato altero significatu, qui *finem* exhibet; vt sensus iste prodeat: id quod lex tanquam vectigal suum ab hominibus efflagitat, satisfactionem puta, omnibus numeris absolutissimam, CHRISTVS nostro loco legi exsoluit. Sed famosior vocis τέλος notio, hic praeualet.

71.

DE

SIGNIFICATV VOCVM GRAMMATICE PROBABILI.

RESPOND. IO. IAC. FRID. KRAVS.

Palaestra 6.

§. 71. VSus loquendi quando certis ac destinatis subsidiis (§. 68. 69.) erui non potest; a *deriuatione* ex voce quadam *primitiua*, itemque, si vox est composita, a partibus eam componentibus, nec non a *linguis cognatis*, auxilia plerumque petuntur. Sed 1) saepe incertum est, an & quaenam sit vox *primitiua* eius, de qua disquiritur, aut quinam vocis primitiuae significatus, (si plures eidem insint) eligi debeat; 2) voces deriuatae ipsum per vsum loquendi crebro degenerant * a significatu *primitiuae* vocis, ita, vt ex significatu primitiuae ad significatum deriuatae, tuto rationes colligere non liceat. Idem vocibus *compositis* ** accidit, vt e significatu partium componentium, certo semper statui neque-

at de significatu compositae. (§. 69.) Linguae vero cognatae, quales, respectu ebraeae, sunt reliquae orientis, (quae partim sola dialecto ab ebraea differunt) vel eandem vocem exhibent, vsumque loquendi pariter suppeditant; tunc certi quiddam exiis statui potest, vel *radicem* dumtaxat similem, vel aliud quiddam *analogum* sufficiunt. Tunc non magnopere per illas adiuuamur. (§. 69.) Vltimum tamen ad *probabilitatem* perfugium, in hoc praesidio recte constituimus, quoties cetera deficiunt.

* Caussa est illa: voces deriuatae saepius tribuuntur *rebus vicinis*, qualicunque modo coniunctis cum re illa, quam primitiua vox designat. Et tunc significatus primitiuae plane perit. Fac, nexum illarum rerum vicinarum esse *necessarium*; tamen ei qui timatur vsum loquendi, ex necessitate nexus nondum apparet necessitas, vni eidemque voci hanc vim tribuendi, vt ea res illas omnes tametsi necessario connexas, denotet. Sin iste nexus *casu* tantum exstiterit, tunc multo minus fieri poterit quod modo diximus. Exemplo sit vox ὠδὶς, *dolor parturientis*. Inde est ὠδίνω, quod significat 1) *parturie*

turio cum dolore. Quia parturientes in *utero gestant*, ideo 2) PAVLLVS *Gal. IV.* 19. vocem ὠδίνω de *gestatione in utero* vsurpat. Quin & seniores graeci, 3) ipsam vocem הרה *concepit*, eodem vocabulo ὠδίνω reddidere, propter connexionem *parturitionis* & *conceptionis*. Sed in notione *conceptionis* plane abest *notio doloris* & *parturitionis*, quam tamen vtramque, vox primitiua ὠδὶς, exhibebat. Facigitur, ignorati vsum loquendi, in voce ὠδίνω, *secundae* & *tertiae* significationis. Confugies ad *primitiuum* ὠδὶς, & eues significatum *primum*, loco *secundi*, vel *tertii*. In quo, ad secundum quod attinet, ipse B. LVTHERVS *Gal. IV.* 19. plerisque cum interpretibus rem acu non tetigit, aliud suadente contextu (§. 28.) De voce ῥαπίζειν simile quid allegatum vide in B. RAMBACHII nostri *herm. s. p.* 389.

** Occurrit in nouo foedere vox χειροτονέω, *Act. X.* 41. *2. Cor. VIII*, 19. *Act. XIV.* 23. & alibi. Si *partes componentes* vrgeas, χεὶρ est *manus*, τείνω *extendo*, habebis *protensionem manus*. Haec olim in concionibus erat signum *suffragii*. Inde χειροτονεῖν est per suffragia eligere aliquem ad munus aliquod. Verum vsus loquendi vicit vim primam vocularum, ita vt χειροτονεῖν saepissime sit *constituere quendam* seu *creare, nulla manuum extensione*, *vel popularibus suffragiis*, quae

 sunt

sunt GROTII verba. Recte BOISIVS apud WOLFIVM *curis*, ad *Act. XIV. 23. si vsum loquendi potius, quam syllabas ipsas (quibus inhaerere, saepe parum est tutum) respicias, nihil aliud declarat, quam constituere*, cet.

72. Comperto iam* significatu, quem vox habet ex vsu loquendi, vtile est de voce primitiua, partibus componentibus, cognatione cum aliis linguis, (§. 71.) cogitare, vt partim *ratio* nobis adpareat, cur *deriuatiuum* respectu *primitiui*, cur vox composita, respectu partium componentium, hunc potius quam alium obtineat significatum: partim ipsa linguarum cognatio adpareat clarius, vsumque loquendi confirmet. Illud conducit 1) ad comprobandam linguae dignitatem, quae significatus ab aliis pendentes, cum ratione adornauerit, 2) ad facilius addiscendam linguam, 3) ad remouendas *obiectiones*, quae ab ambiguitate & obscuritate vocum in primis ebraeae linguae, petuntur. Quod & *emphases* ex-

exinde quidam eliciunt, id inuito plerumque fit vsu loquendi.

* Multum diuersae res sunt, *indagare* vsum loquendi e deriuatione, quod ancipitis plenum est aleae (§. 71. 69.) & *cognitum antea* vsum loquendi, reducere deinde ad originem vocis. Illic nullum principium ex omni parte firmum, substernere licet: hic vsus loquendi cognitus, tanquam firmum principium, in promtu est, quod comparare licet cum manifesta *primitiuae* vocis significatione.

73. Quia, quod ad voces deriuatas & compositas attinet, modus aliquis constans & perpetuus, adeoque per regulas determinabilis, (§. 65. n. 2.) in mutationibus plerumque obseruatur, qui modus in determinationem significatus ipsius, influit, ita, vt haec in voce mutatio, hanc in significatu mutationem inferat: ideo fieri potest, vt, si vsus loquendi circa primitiuum & simplex vocabulum pateat, non pateat autem circa deriuatum & compositum, ex *regulis* earum mutationem, ipsam *deriuationem* significatus vsu recepti, indagare liceat, vbi maior quidem est *probabi-*

babilitas, quam in casu (§. 71.) notato: quoniam hic exceptiones a regula, tam facile non obtingunt.

74 Vsus loquendi *stricte dictus* (§. 67.) multis in vocibus ad regulas est reuocatus, ipso de significatu pronuncientes. Quales * a B. GLASSIO, DANZIO, aliisque ante & post illos, enumerantur. Quando tamen iste significatus tantum est *possibilis*, & praeter eum, alius quoque locum habere potest: ipse nimirum sermonis *contextus* definiet, an hic potius quam alter, actu obtineat (§. *26. 28.*)

* Plures sunt huius generis regulae, e. c. Verba sensuum, affectum cum effectu notant: vt *videre* seu *cognoscere* Deum sit idem, quod experiri operationes beatificas perfectionum eius. Quae significatio minime tamen valet *Luc. III. 6.* propter contextum. Alia est huiusmodi regula: Verba quaedam, actionis, quam designant, *adiunctum* saepe includunt, vt *consuetudinem*, *continuationem*, cet. Itemque illa: Saepe *antecedens* ponitur, intellecto simul *consequente*, & contra. Vbi patet, his vocibus inesse *fecunditatem*, ex vsu loquendi, hoc est, per *vim* vocum (§. 25.) Et quoniam id omne nonnullis vocatur *emphasis*, quando vox quaedam, praeter aliud quidpiam, vlterius aliquid ita significat; ideo tales significatus fecundos ad *emphaseologiam* referunt. Quod in celeberrimis hermeneuticae sacrae systematibus reperias.

* * *

DE

DE SIGNIFICATV VOCVM GRAMM. CONSIDERATO *vlterius*,

RESPOND. FRIDERICO WILH. SNELL.

Palaestra 7.

75. QVoniam vsus loquendi *late dictus*, comprehendit eas quoque vocum *mutationes*, quae regulis *etymologicis* & *syntacticis* definiuntur; (§. 65.) ad easdem vero regulas referri debent *figurae* * quaedam: ideo tales figurae seu,** mutationes vocum, & constructionum iis figuris definitae, ad *vsum loquendi* qui significatus *possibiles* determinat, omnino pertinent.

* Quidam maximi nominis meritique hermeneutae, hic quoque rimantur *emphases*. Quae quidem, si valere debent, ostendendum erit antea, aut 1) eos qui has *figuras* vsurparunt, & inuexerunt in linguam suam, ita, vt vsum loquendi eae sint adeptae, semper graui de causa, & ad significandum quiddam singulare, illud feciſſe, ac non potius eodem iure, atque more, eas frequentaſſe, quo voces & vocum mutationes alias licet frequentiore vsu tritas: aut 2) si id probari nequeat, Deum tamen in sacris litteris loquentem, his figuris singulare quiddam tribuiſſe, hoc est, linguam

quandam, adeoque vsum loquendi, elegisse, ad reuelandam mentem suam iis qui eandem linguam tenerent; & ab vsu tamen loquendi recessisse, in his loquendi modis, quos manifesto communes habet cum scriptoribus aliis eiusdem linguae; quod quidem de lingua graeca N. T. apertius ostendi potest, quoniam praeter N. T. plurimi suppetunt scriptores graeci: de V. T. hactenus, quatenus certae figurae sunt communes ebraeis cum graecis, latinis, & aliis.

** Quaedam ex his *figuris*, solas vocum litteras afficiunt, vt *prosthesis*, *syncope*, *aphaeresis*; quaedam integras constructiones, vt *enallage*, *ellipsis*, *pleonasmus*, *synchysis*, *hysteron proteron*, *anastrophe*, *anacoluthon*, quas grammaticorum veterum sollertia cum ceteris, diligenter annotauit. Atque istae quidem figurae eam ob caussam obseruantur, ne quid lector per illas mutatum esse credat *in significatu* verborum & *phrasium*, a quibus forma & compositio ordinaria recessit. Quippe morem, ita praeter communem normam pronunciandi & componendi, vel commoditas pronunciantium, vel studium ornatus, vel licentia quaedam alia, pro arbitrio sumta, & in imitationem tracta, inque genium linguae versa, peperit. (§. 66.) Cum itaque istae figurae ad *vsum loquendi*, vsus autem loquendi ad *essentiam* cuiusque *linguae*

quae pertinent; (§. 65. 66. 25. 28.) non est efflagitandum, vt DEVS, tali ad homines vtens lingua, *essentiam* linguae deserat: praesertim cum in sermone Dei exempla non inficianda istarum occurrant figurarum, quae ab exemplis extra sacrum codicem obuiis, nihil abhorrent. Quod, religioso quamuis consilio, poscunt illi, qui figuras plerasque proscriptum eunt e sacris litteris, earumque patrocinium *grandes* inter *noxas exegeticas* enumerant.

76. *Regulae syntacticae* (nam de *etymologicis* fere solis hucusque dictum) ad vsum loquendi tuendum, tum omnes, tum illae praesertim, obseruatione dignae sunt, quibus *variae earundem vocum constructiones* ostenduntur, vbi vel omnes eundem * sensum fundunt, vel altera earum aliter ** sensum determinat. Id etiam ad vsum loquendi referendum, quod a *regulis syntacticis* communioribus abhorrens, *exceptionibus* *** continetur. Praeterquam enim, quod vox *regulae* latius accipi potest, pro quauis propositione, secundum quam de casibus quibusdam obuiis iudicamus; (§. 65.). vbi *exceptiones* ipsae, sunt simul regu-

lae: hoc etiam accedit, *exceptiones* de pluribus in lingua quadam * exemplis (casibus obuiis) agentes, eo ipso *vsum loquendi*, quamuis minus largum, indicare.

* Sic statuendum de phrasi ψεύδεσθαι τινὶ & ψεύδεσθαι τινά, *Act. V.* 3. quoniam *septuaginta interpretes*, constructionem vtramque, saluo eodem sensu, valere, ostendunt, obseruante maxime HVGONE ad h. l.

** Vt notissimum illud πιστεύειν τινὶ & πιστεύειν εἰς τινὰ comprobat. Ceterum, tum de iis quae *not.* *, tum de his quae hoc loco dicimus, obseruandum est, vel *perpetuam* esse vim talium *constructionum*, vel *variabilem*. Sic apud graecos externos differentia potest ostendi, inter significatum formulae φεύδεσθαι τινὶ, & alterius, φεύδεσθαι τινά, sed illa differentia non est perpetua. Idem valet de altero. Nam verbum אמן non tantum cum praefixo ב constructum, de *assensu* cum *fiducia* coniuncto, vsurpatur; verum etiam cum ל constructum, vbi alias per πιστεύειν τινὶ reddi solet. *Deut. IX.* 23. coll. cum *cap. I.* 32. *Genes. XLV.* 26.

*** *Exceptionis* vox hic nobis *latius* significat. Quae, licet ad regulas etiam *etymologicas* quadret, & *figuras* ipsas (§. 75.) includat; tamen quoad syntaxin, (de qua nominatim

minatim hic loquimur,) praeter *figuras syntacticas*, etiam *constructiones* quaslibet *rariores*, a communi regula abeuntes, sed vsu tamen auctorum probatissimorum firmatas, denotat. Si vis, huc etiam refer quasdam syntaxeos *ornatae* regulas, quae hactenus *exceptionum* nomen tuentur, quatenus aliquid praecipiunt propter ornatum, quod paullo aliter praecipitur per regulas communiores, ad ipsam *rectitudinem* constructionis respicientes. Sic rarior, sed vsu tamen loquendi comprobata, est constructio, cum *nominatiuus absolute* ponitur, vt *Luc. XXI. 6.* Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι. *Quod attinet ad haec, quae cernitis, venient dies* cet. Vbi ταῦτα est *nominatiuus*, qui a sequentibus non suspenditur. Plura veteris & noui testamenti dabit GLASSIVS *gram. s. lib. III. Tr. I. can.* 28.

* *Exemplum* exceptionis, est 1) phraseologia vnica, deflectens a regula, ita tamen, vt crebrius a scriptoribus diuersis vsurpetur. Deinde 2) sunt plures phraseologiae, eodem modo deflectentes a communiore regula, & scriptoribus diuersis pariter vsurpatae. Sic, si minus aliis credimus quam CASPARO WYSSIO *dialectol. sacr.* p. 320. illa phrasis qua εἶναι cum εἰς construitur, referenda est ad *exceptiones* n. 2. ita, vt pluribus quidem in locis cum similibus verbis occurrat,

rat, τὸ εἰς, vt *Matth. XIX. 5. Marc. X. 8. Eph: V. 31. Ebr. VIII. 10.* cet. Et *Matth. XIX. 42. Marci XII. 10.* Ibi igitur, si valet WYSSIVS, non vnica illa phraseologia qua verbum εἶναι cum εἰς construitur, obtinet, sed idem fit *verbo alteri substantiuo* γίνομαι, quod pariter, loco *nominatiui*, ex regula communi congruentis, *accusatiuum* cum εἰς admittit. Vtrumque ad vsum loquendi pertinet, adeoque fit per genium linguae. Sed aliter statuendum de locutionibus pluribus, vel phrasi vnica, regulis non respondente, & tamen ab vno quodam scriptore, vel semel, vel plusculis etiam in locis frequentata. Sic enim, vsus loquendi locum non habebit, sed *idiotismus* scriptoris agnoscetur, de quo *idiotismo* statim dicemus (§. 77.) Ita MATTHAEVS, *V. 22. adiectiuum* ἔνοχος cum *praepositione* εἰς, construxit, quod alibi cum *secundo casu* legitur, *Matth. XXVI. 66. 1 Cor. XI. 27.* & cum *tertio*, solum apud MATTHAEVM, *V. 21. 22.* sed simul apud externos. Quidam per *ellipsin* verbi βληθῆναι, priorem cum *εἰς constructionem* expediunt.

Haec, per se minuta, pauca licet, e plurimis, ad *vsum loquendi* declarandum, & propter inanem quorundam emphaseologiam, adiecimus.

* * *

DE

DE

SIGNIFICATV VOCVM GRAMMATICE CONSIDERATO *vlterius*,

RESPOND. GEORG. CONR. STEINBERGER.

Palaestra 8.

---

77. *Genius linguae* 1) nihil aliud est, quam toties memoratus *loquendi vsus*, praesertim in iis linguae affectionibus, quae regulis certis (§. 65.) comprehenduntur. Ille *genius*, si in vna lingua sic obtinet, vt non obtineat in quauis alia, dicitur 2) *idiotismus linguae*; quem, discriminis caussa, vocabimus *idiotismum* innatum*; quippe, si *idiotismum* vnius linguae transfertur in alteram, habebimus idiotismum ** *immixtum*; 3) qui si quodam aeuo sic linguam occupet, vt communi consensu immisceatur, *** aequipollet nouo eius linguae genio, cui immiscetur. Quod tunc 4) pariter statuendum est, si quaedam societas scriptorum, eamdem materiam, prioribus eiusdem linguae scriptoribus ignotam, tractet: vt noua vocabula, & interdum

technica

technica reperiat, a maiori deinde societate recepta, & ciuitate donata.

* Quo refer, si vna lingua, rem vocibus designatam, a quodam charactere denominat, a quo altera lingua eam non denominat. Sic ebraei *peccatum*, in primis proaereticum, vocant מרי *rebellionem* in Deum 1 *Deut. XXXI.* 27. graeci denominationem a lege violata petunt, ἀνομίαν vocantes, *rectitudinis quam lex postulat, defectum.* Saepius talis character a similitudine, quem habet res vna cum aliis, denominatur, vnde *metaphorae* in vna lingua vsitatae & velut in iura significatus proprii receptae, non item in altera lingua, eadem de re, frequentantur. Huc refer *allusiones*, *prouerbia*, cet. quatenus discrepant in linguis variis. Cetera dabunt CLASSIVS, praecipue consulendus, & DANTZIVS, *Interprete.* VIGERVS *de graecae linguae idiotismis.* cet.

** Sic olim latina lingua recepit *graecismos*; graeca noui foederis, *ebraismos* & *syriasmos*. Ebraica, quid forte traxerit ex Aegypto, aliisque vicinis, certo adfirmari non potest. Aeuo CHRISTI non nihil e confinio adsciuerat.

*** Nimirum linguae suis aetatibus discrepant, & pro illarum successione, variis sunt mutationibus obnoxiae; vt vel populus

pulus cum aliis miscetur, vel inertia torpet, excolendi linguam patriam, vel vanitate ducitur ad vsum peregrinae, vel licentiam sibi indulget nouas formandi voces. Quod, cum regione in vna, gentis eiusdem, non item in altera, fieri queat; ipse *locus* discrepantiae causa fit. Ita GROTIVS annuente FVLLERO ad *Matth.* 25, 65. de aeuo & antiquitate *Versionis Syriacae*, exinde iudicandum putat, quod illa vocem κατηχία, reddiderit tali vocabulo, quod latinorum *quaestionarios* exprimat. Qua vero aetate vox *quaestionarii* coeperit apud latinos vsurpari, id constare putat. Et *Matth.* 3, 5. cum ἀκρίδες quidam exponant *summitates olerum*: alii contendunt, hunc vocabuli significatum, post aeuum demum *Apostolorum* inualuisse.

Ad num. 4) refer *scriptores sacros*, quibus Deus, res nouas reuelans, noua quoque suppeditauit vocabula, vt *iustificationis*, *vocationis*, *electionis*, *generationis filii a Patre*, *incarnationis Christi*, *lauacri regenerationis*, cet. Quoniam 1) res nouae, nouos conceptus, & noui conceptus noua poscunt vocabula, sui signa: 2) *Deus* ex eminentia dominii sapienter administrata, imperare potest nouum loquendi morem, in sua ciuitate: necesse est, vt tales *idiotismi* multo magis valeant per voluntatem Dei, quam aliae voces arbitrio hominum

minum saepe caeco, repertae, valent per vsum loquendi. Cauendum est autem, ne scriptoribus sacris tribuamus *idiotismas* sordidos, & lectoribus posterioris aeui ideo obscuros, quoniam tracti sint a societate hominum singulari, sordide loquentium. Ita ZINZENDORFIVS comes, in scriptis N. T. *idiotismos seruitiorum Nazarethanorum occurrere, quibus Christus vsus sit*, itemque *terminos obscuros & scholasticos Rabbinorum*, scelerate scribit.

78. Ab *idiotismo linguae*, distingue idiotismum certi *scriptoris*: quando ille 1) vsurpat voces, nullo ab alio eiusdem linguae ac materiae scriptore, ante ipsum vsurpatas, vel vsitatis vocibus nouum significatum * tribuit, 2) aliisque loquendi ** modis sese notabiliter a ceteris distinguit.

* Sic Ioannes vtitur voce λόγος de filio Dei, *Io.* 1, 1. & alibi. PAVLLVS necessitatem peccandi dicit *legem peccati*, & *venundatum esse, sub peccatum. Rom.* 7, 24. 14.

** Ipsam hoc refer *stili diuersitatem*, *in indiuiduo* spectatam, h. e. eam, qua pro suo se quisque temperamento peculiari, consuetudine, institutione, cet. ab aliis notabiliter distinguit. Sic PAVLLI & IOANNIS, IEREMIAE, IESAIAE, AMOSI stilus, non tantum chara-

charactere & colore sermonis *speciali*, verum & *individuali*, differunt.

79. In sacris literis occurrunt *idiotismi linguae*, tum * *innati*, tum *immixti*, (§. 77.) & *idiotismi* ** *scriptorum* (§ 78.)

* De *idiotismis linguae innatis*, nemo facile dubitauerit. Hi siquidem pertinent ad *essentiam* cuiusque linguae, (§ 65. **) Deus autem, certa vtens lingua, *essentiam* eius, salua perspicuitate, & salua *reuelationis fine*, adeoque salua bonitate & sapientia sua, prorsus abolere nequit. Quare prostant doctissimorum opera philologorum, qui, quod ad N. T. attinet, congruentiam dictionis sacrae multis in locis cum stilo Graeciae florentis, luculenter ostenderunt.

Sed de *idiotismis linguae immixtis*, longa est criticorum super tabulis noui foederis disputatio. Vincit tamen, nostra sententia, illorum ratio, qui stant pro *ebraismis* & *syriasmis*, qui tunc in graecum Iudaeorum sermonem (vt *graecismi* quondam in latinum) partim ex rerum, in veteri testamento iam tractatarum indole, partim e scribentium statu, & eius temporis conditione, cum V. T. iam in lingua graeca ebraismis tincta, prostaret, copiosius immigrauerant.

** Quamuis enim *Idiotismi* alicuius scriptoris

abeant ab vsu loquendi (§. 67.) adeoque obscuritatem sermoni obuoluere possint: tamen, quoniam 1) *significatus* eorum per contextum satis determinatur, 2) Deo inspiranti graues causſae fuerunt, cur eas potius quam alias voces in contextum sacrum immiserit; ideo de obscuritate, vel allo sermonis vitio, conqueri nemo iure quodam debebit.

80. Est, vbi vsus loquendi plures * constructiones in eodem contextu permittit, quarum tamen non nisi vna, sensum verum (§. 30.) continet.

* Exemplo sit *Rom. I.* 20. 2 *Cor. IV.* 4. vbi 1) ὁ θεὸς significare posset verum *Deum*, qui homines huius mundi, hoc est incredulos, in sensum reprobum, seu caecitatem funestam, delabi permiserit. 2) eodem sensu retento, intelligi possent *increduli huius aeui*, quo tanta luce radiabat euangelium: 3) interpretatio B. LVTHERI his praeferri potest. Adde 2 *Cor. XII.* 7. vbi reddere possis: *palus in carne, i. e. angelus Satanae*, 2) *palus in carne, vt me feriat angelus Satanae.* Sc & *Iob. XIX.* 25. & alibi saepissime.

* * *

DE

DE SIGNIFICATV VOCVM GRAMMATICE RHET. ET POETICE CONSIDERATO.

RESP. IO. IAC. EM. AVG. WEISENBRVCH.

Palaestra 9.

§. 81. In codice sacro N. T multa occurrunt, ex ebraea lingua, conuersa in graecam. Quippe, si quis loquens inducitur, aut, si cuius sermones narrantur, qui ebraice locutus est; facile apparet, *historicum sacrum* διόπτευσον, ibi metaphrasten * egisse. Quae quidem obseruatio ad significationem vocum & phrasium graecarum ** determinandam, interdum valet.

* Dialectus *Syrochaldaea* tunc temporis in Iudaea vigebat: qua vsum esse seruatorem optimum maximum, multa sunt, quae persuadent. Quare 1) conciones Christi ad populum ebraeum, itemque Ioannis Baptistae, & Apostolorum ad Israelitas, 2) colloquia Christi priuata cum discipulis, & aliis eum compellantibus, 3) sermones discipulorum conferti cum Christo, vel aliis in Iudaea hominibus, 4) hymni piorum ex ebraeo populo, & si quid his simile praeterea se offerat, quod graece consignarunt euangelistae, vt est geniorum caelestium hymnus *Luc. II.* 14. huc referendum est.

** In sermone Nicodemi cum Christo, habes exemplum. Ibi vox ἄνωθεν, *Io. III. 3.* tametsi alias notet *superne*, exponenda est per *iterum*, *denuo*: quia Christus, vt subinuit *com. 4.* adhibuit vocem *Syrochaldaeam*, quae non *superne*, sed *iterum* significat.

82. Studium ornatus *, nec non affectus varii mentis humanae, effecerunt, vt 1) *tum voces* quaedam nouos induerent significatus, ex re simili, aut vicina, vel qualicunque modo connexa, ad similem & connexam alteram translatos; *tum* 2) vt integris in propositionibus ordo verborum, & modus enunciandi, singularis, ac notabiliter a consuetudine vulgari diuersus, vsurparetur. Prius illud, huius potissimum est loci, quippe de *significatibus* hic dispicimus. Quod, quoniam plurimis in casibus obuiis, harmonico modo factum est, ad *regulas* reuocari potuit, quae de *tropis*, (sicut aliae de *figuris*) praecipiunt, & rhetoricae vocantur. Hoc totum, ad *vsum loquendi* referri debet; adeoque ad *essentiam linguarum*. Quare in sacro codice, qui ab essentia lin-

linguarum non recedit, talia quoque occurrunt: & nominatim in V. T. similitudines, corporeis a rebus ductae, ad ea quae Deo ** conueniunt, passim transferuntur.

* Translationes significatuum, quas vocum inopia peperit, ad *rhetoricam*, non satis commode referas. Cetera huc pertinent. Deus enim & docere, & oblectare, & commouere lectores suos voluit. Exempla rhetorica sacri codicis B. GLASSIVS diligenter sub suis quaeque regulis, adnotauit. Quod quidam ironiam, (troporum e numero) Deo indignam esse censent, id ad pios lapsus pertinere credimus.

** Cuiusmod loquendi modus dicitur ἀνθρωποπάθεια, quae (si non vbique, crebrius certe) rudem propter populum, & crassiora eius ingenia, obtinuit. Nisi poëseos ebraeae genium, & *hieroglyphici* moris vestigia, hic quoque agnoscere velimus.

83. Denique *carmina* etiam in sacris litteris * occurrunt. Quoniam *sermo ligatus* generatim, quaedam habet singularia, a *sermone soluto* seiuncta; & quaedam praeterea linguae a quibusdam aliis, ipsa poeticae artis varietate ** differunt: ideo, si minus ipse *verborum significatus*, certae tamen eius *affectio-*

fectiones, per illam poëseos indolem *** determinari possunt.

* In veteri testamento, noti sunt libri metrici, integri. In quibusdam poemata tantum inspersa leguntur; vt est epinicion Mosis *Exod. XV.* 1. *ff.* & *hymnus* eiusdem *Deut. XXXII.* 1. *ff.* *Deborae* & *Abinoamidae*, *Iudic. V.* 1. & alia complura. Quibus accensere forsan licebit stilum prophetarum, qui poeticae dictionis non ignaris, haud vanam mouet poetici genii passim obuii, coniecturam. Vbi vero ipsa *accentuum* diuersitas (quam ad internam poeseos ebraeae naturam ne retuleris) libros metricos prodit, ibi res per se liquet.

In nouo federe, ex ebraea poesi conuersum est in graecam linguam carmen *Mariae Luc. I. 46.* & *Zachariae com. 68.* itemque *angelorum*, *Luc. II. 24.*

** Poeseos ebraeae naturam nemo adhuc prorsus explorauit. Si *stilum grandiorem*, frequentissimam *exergasiam*, & fortasse *rhythmum* consideres, ea fere sola sunt, quae dicere de poesi ebraea nunc licet.

*** Ita, si videmus, poësi ebraicae id praecipue tribuendum esse, quod formulae sensus eiusdem, per *exergasiam* toties repetantur: non est quod vbique diuersos in vtraque formula significatus vocum veneremur, aut, exercito quodam vexatoque conatu, ipsis e vocibus, iisdemque singulis seorsum, par-

parturiamus emphases. IOBI librum & PSALMOS si quis vel semel legat, id facile reperiet. Forte *choris* & *antiphonis* Hebraeorum aliquid etiam indulgendum est.

REGVLAE.

84. Ad vsum loquendi indagandum 1) assidua lectione codicis quam castigatissimi (§. 29.) opus est (§. 68. *n.* 1.), vt contextus te erudiat. Simul 2) vtendum subsidiis, vt sunt *concordantiae*, *claues scripturae*, *lexica*, *scholia*, *versiones* cet. (§. 68. *n.* 2.)

* Lectio suppeditat *determinationes* ex omni contextu, in quo vox occurrit, si praeterdona gratiae, acumen debitum adhibeatur, de quo logica, capite de hermeneutica, praecipit. *Concordantiae*, loca certo modo parallela (se mutuo explicantia) ministrant: *claues*, *lexica*, cet. aliorum iudicium, seu acumen iam adhibitum, sufficiunt. Tuo tu simul vtere iudicio. *Claues scripturae* fabricare, non est vnius hominis. Neque in hunc diem vlla satis fida supperit.

85. Affectionum in significatibus determinationes, quae fiunt per regulas grammaticas, (§. 66. 72. 80.) rhetoricas (§. 82.) & poeticas (§. 83.) rigidissime* observa. Sed aliquas earum,

ne adhibe in fraudem *vsus loquendi, stricte dicti* (§. 71.) & distingue id quod dubium ac probabile est, a certiore. (§. 69.)

* Testis & auctor est huius regulae spiritus sanctus *Galat. III.* 16. vbi *terminos* etiam *grammaticos* vsurpat, ἐπὶ πολλῶν *pluraliter*, ἑνὸς *singulariter*. PRAESID. *otia sacr. pag.* 33.

86. A famoso significatu (§ 70.) itemque a constructione vsitatiore magisque natiua (§ 80.) ne recede, nisi famosum illud & natiuũ vincatur accedente * ratione illi praeponderante. (§. 70.)

* Quales sunt: si e famoso nascatur sensus repugnans 1) cuidam veritati 2) scopo 3) idiotismo vel aeui (§ 77 ***) vel scriptoris (§ 78.) satis caute explorato, cet.

87. Fac vt *genium* linguae sacrae & *idiotismum* tum *linguae* tum *scriptoris* (§§. 77. 78. 79.) perspicias: ad stilum N. T. vtere lectione LXX. Interpretum, & externorum, aetati illi propiorum potius, quam ab eadem remotiorum (§. 77. *** 79. *).

88. In versionibus quas continet nouum testamentum, respice, quantum licet, ad linguam *originalem* (§. 81.) 89.

* * *

DE

EXAMINE SERMONIS SACRI HISTORICO.

I.

DE OCCASIONE PRAENOSCENDA GENERATIM

MEMBR. I.

De occasione ipsa.

RESP. GEORG. CHRISTIANO RVNCKELIO.

Palaestra 10.

89. VT vocum *significatus* ad *grammaticae*, *rhetoricae*, ac *poeticae* regulas, (de quibus *theses* proximae egerunt) consideremus, ad id *cursoria lectio* valet, quae de rebus, seu materia sermonis, & inde formandis conceptibus claris & distinctis, accuratius nondum laborat; sed segetem tantum & exempla sufficit, in quibus acumen philologicum occupetur. *Primum* hoc *examen* est, sermonis seu textus sacri; quod, distinctionis causa, *philologicum* dicemus. Ad *philologicum* examen, referri

ri potest & hoc, quod *arte oratoria* continetur, vbi diuersitas & indoles *stili*, structura *periodorum; argumentorum*, *probantium*, *illustrantium*, *commouentium*, itemque *dispositionis* varietas, in sacro codice notari posset. Quibus *praenoscendis*, eadem *cursoria* lectio, mediocriter inseruit. Verum, hic satis erit, artis oratoriae* praecepta, alibi iam obuia, vel nominare tantum; quae, quantum vsus exigit, sacra ad exempla accommodare, in ipsa praxi licebit.

* Nam, si qua in stilo sacri codicis *singularia* occurrunt, vt *in sermone prophetico*, ea alibi quoque possunt tractari, si eadem e *generalioribus* quae hic traduntur, explicatius deducere iuuet.

90. Sed, eadem *lectio cursoria*, aliis quoque praenoscendis impenditur, & potissimum *occasioni*, quae *scribentem* aut *loquentem* in sacris literis, ad *ita* potius quam *aliter*, & ad *haec* potius quam *alia*, scribenda aut loquenda, induxerit. Ista *secunda* est textus consideratio. Quae, quanquam ad philologiam, ipsa quoque referri possit; tamen ad distinctius in hoc negotio

gotio versandum, *historica* dicetur, atque sic *alterum examen*, *historicum* puta, constituet. Quatenus illa *occasio*, non *tempore* tantum & *natura*, prior est ipso facto, sed quatenus etiam illa *praecognita*, vsum praestat, ad reliqua propius deinde cognoscenda; quatenus denique oblati scripti, & in illo sermonis, *cursoria*, vel si mauis, *historica* lectio, & aliunde iam tum collecta cognitio, ad illam *occasionem* exquirendam * adhibetur: eatenus hoc loco de illa agendum est.

* Saepius in occasionis propiorem notitiam tunc demum deducimur, si accuratiori *textus meditationi* vacamus, vel postquam eandem iam absoluimus. Ibi saepe detegunt*ur circumstantiae* ad *occasionem* pertinentes, de quibus vix ante poterat cogitari. Quae tamen accessiones, ad pleniorem *occasionis* notitiam, non obstant, quo minus ipsa notitia, postea amplificanda, praelibetur. Id tantum exinde patet, examine historico iam peracto, non plane dimittendam esse curam occasionis inquirendae, sed altero velut oculo ad istam respici oportere, etiam in progressu ad reliqua, & inter ipsa reliqua examina, quae historicum illud excipiunt.

91. *Occasio* facti, est concursus * *circumstantiarum*, sub quibus hoc potius quam aliud factum, idemque hoc modo potius quam alio, & facilius nunc quam alias, prodire potest.

* *Circumstantia* facti, est, quod non ingreditur ipsam facti notionem, sed facientem tamen per accidens ad aliqua determinat. *Circumstantia sermonis*, est *circumstantia*, quae continet aliquid rationis, qua determinatur, cur sermo sit, & talis sit.

92. *Scriptio* * libri cuiusque canonici, itemque *sermo* quilibet, a scriptoribus sacris ibi relatus, est *factum* aliquod, eoque singulare quiddam. Omne factum *occasionem* ante se requirit. (§. 91.) *Occasione* igitur perspecta, tanquam ratione, qua factum determinetur, vt sit hoc singulare potius quam aliud; facilius perspicies, eas quae insunt illi, singulares determinationes. Quare occasione scribendi & loquendi cognita, facilior fit, & plenior simul, vtriusque cognitio. (§ 91. *)

* Cur *occasio* tantum ad *verba* scribentis, & eius quem loquentem ille inducit, id est, vtrobique *ad sermonem*, restringitur? Nam, praeter sermones, alia quoque *facta* varia, in

in libris sacris relata, suas habent *occasiones?* Non satis est respondere: quia facta illa, seu res gestae, sunt *pars textus* explicandi. Nam & *occasio sermonis* in textu memorari, adeoque *pars textus* esse potest. Sed nimirum in eo sita est differentia, quod hoc loco quaestio est: quomodo loquens aliquis ad hoc potius quam ad illud, & hoc potius quam illo modo loquendum, inductus sit? Atque id nosse oportet eum, qui ad interpretandum hunc sermonem, viam pandere velit, id est hermeneuticae vel exegeseos cultorem. Verum, *occasiones* eorum factorum, quae non sunt sermones, seu, quae vt *euentus*, non vt propositiones dicentis, considerantur, illae, inquam, occasiones, ideo notantur, vt de facto, qua tali, ideam concipias, vt actuum seu euentuum successiones intelligantur; e quibus ratio rei gestae, forma, species, moralitas, & reliqua, diiudicentur: quod ipsum ad profundiorem eius textus, qui sistit tale factum, intelligentiam quidem pertinet; sed hoc loco de illa profundiori intelligentia nondum agimus. Qui autem occasionem *sermonis interpretandi praenoscit*, is eo id facit consilio, vt facilius postea propositionum sensus adsequatur.

93. *Occasio sermonis*, ad notitiam aliorum conscripti, complectitur *qualitatem* *

&

& *ſtatum* ** auctoris. Loquitur enim, quia in hoc potius ſtatu eſt, quam in alio: & ſic loquitur nec aliter, quoniam ea eſt eius & non alia *qualitas*, & ſimul *ſtatus*. Sed illa *qualitas* ad certum ſtatum determinatur *externe*, 1) eorum ſtatu & qualitate *ad quos* ſermo dirigitur. Niſi enim tales illi forent, vel non tali modo, vel nec prorſus omnino, ad eos loqueretur: 2) *perſonis* & *rebus* aliis, aliquo modo concurrentibus. Fieri enim poteſt, vt hae perſonae, factis ſuis, & res, praeſentia ſua, vel mutationibus quibuslibet, praebeant ipſi *motiua*, vel *adiumenta*, ad loquendum & ſcribendum: 3) *loco*, in quo ſermo ſcribitur vel habetur. Nam & hoc fieri poteſt, vt res, per quas haec ſpatii pars (locus) ab alia diſtinguitur, eum determinent ad ſic & ad hoc loquendum: 4) *tempore* eiusdem. Nam illae res, quibus hanc temporis partem ab alia diſcernimus, eodem modo, quo *locus*, in ſermonem influunt. Quaedam ex his, magis vel minus *mediate* *** influunt in producendum ſermonem, & dicuntur *occaſio remota*, vel *propior*; quaedam *immediate*, quae

quae gignunt *occasionem proximam*. Quae omnia, quoniam influunt in sermonem: ideo (1) singula probe *distinguenda*, (2) inter se *comparanda* sunt, vt constet, *quid*, & *quomodo*, & *quantum*, quidque influat.

* 1. *Qualitas personarum* absoluitur *quibusdam accidentalibus*, *quae constantius eisdem insunt vel ad eas pertinent*, *atque ab aliis eas discernunt*: vt *habitus* naturales & supernaturales, tanquam dona naturae & gaatiae. Huc refer etiam *temperamenta* singulorum, *senium*, *iuuentutem*, *corporis dignitatem*, vel *defectum*, quatenus *externa potissimum eloquentia* coram dicentis, inde vel adiuuatur, vel impeditur. Neque minus, quod ad quemque *pertinet*; *educatio*, *institutio*, *patria* cet. hic locum habere potest.

2 Quodsi qualitas illa, personam *vnam* a *reliquis omnibus* discernat, vocatur *propria*: sin *plures* a reliquis omnibus; dici potest *communis* istis pluribus. Prior est huius loci, *Posterior* hactenus, quatenus prior in illa fundatur.

** *Status* personae, est eorum quae eidem quocunque modo insunt, vel exterius ad eam referuntur, magis determinata, sed omni temporis momento variabilis modificatio: vt *valetudo*, *morbus*, *animi motus* varii, *labor*

bor, *quies*, *temporaria captiuitas*, *commoratio in patria*, *peregrinatio* in hoc, in alio loco, *actus inspirationis* diuinae, per *somnium*, *ecstasin*, *vocem de caelo*, cet.

*** Ita *qualitas* scribentis, in se spectata, influit *mediate*, si nimirum illa, intercedente prius alia mutatione, interna vel externa, ad actum scribendi loquendique, determinatur. Quaedam etiam ad *statum* pertinentia, influunt *mediate*. Sic PAVLVS ad *Philippenses* scribit e *vinculis*, *Phil. I.* 7. adeoque in *statu* captiuitatis, itemque eo statu animi, quo memoria eum cupidissima subibat *Philippensium* d. l. & quo repraesentatio falsorum doctorum, ac nequitiae illorum, stimulos addebat scribendi ad suos. Nemo non videt, *memoriam* paternam in PAVLLO gliscentem, & commotionem animi, propter malitiam aduersariorum, *Phil. II.* 28. *III.* 2. 18. 19 propius, quam *absentiam* in *vinculis*, influere in sermonem seu scriptionem eius a Deo suggestam. Ad *qualitatem* PAVLLI, refer *temperamentum* ad vehementiam pronum, *vitae genus*, quo *zelotes* fuerat *Phil. III.* 6. *Act. XXII.* 3. vehementissimum *amorem* Christi, *Phil. III.* 7. *ff.* & ouium eius *c. I.* 7. 8. Quae omnia determinabantur per *statum* praesentem, e. c. ad id, vt *acerrime* & cum *lacrimis*, increparet hostes Christi & discipulorum eius *III.* 2. 18.

Membr. II.

MEMBR. II.

De vsu & fontibus occasionis, in sermone sacro praecognitae.

RESP. PHILIPPO THEOPH. BRODREICH.

Palaestra II.

---

94. *FInis sermonis*, (id quod loquendo vel scribendo vis obtinere) facilius, ex parte saltim, cognoscitur, praecognita sermonis *occasione*. Nam si comparas e. c. *statum loquentis*, cum *statu* eorum, *ad quos* loquitur, eoque mutuam illorum *relationem* spectas, si *qualitatem* vtrorumque, & alia, occasionem ingredientia (§. 93.) colligis & inter se componis: in promtu erit obseruare, quid *consequi* potissimum cupiat sermonis auctor; tametsi ille in ipso sermone, finem sibi propositum, vel non nulla singularia saltim eius momenta, conceptis verbis * non indicauerit. Nempe, illae *circumstantiae*, loquentem determinant, ad has potius, quam alias cogitationes sermone suo significandas: quibus hae, & non aliae cogitationes (ecce *finem* lo-

quentis) in lectore excitentur. Quare *praecognita sermonis sacri occasione, via panditur, ad faciliùs deinde* ** *pernoscendum finem, non modo generalem, sed & magis* *** *specialem.*

* *Io. VII.* 37. 38. Hic locus exhibet sermonem quendam *Christi*, a *Ioanne* notatum. Praenosce huius sermonis *occasionem*; & de *fine* constabit. 1) *Qualitas* dicentis: maximus *propheta*, *v.* 40. doctor ad salutem, instaurator doctrinae & morum. *Status*, ardor maximus publice docendi *v.* 37. 2) *Qualitas* eorum, quos alloquitur, incredulitas & superstitio, haerens in externo cultu, & inanibus caeremoniarum ludibriis. *Status*, tunc festum & sollemne gaudium agebant *v.* 2. 14. 37. 3) *Res*, fons Siloa, & *vasa* capacissima, quibus aqua inde hauriebatur; id quod ex antiquitatibus iudaicis constat. Hauriebatur aqua, & maxima inter populi frequentissimi iubila effundebatur, additis acclamationibus. 4) *Locus*, *templum*, in quo libabant aquam sacerdotes. 5) *Tempus*, nouissimus dies festus, qui & illustrissimus, *v.* 37. Atque ista inter se comparata, vestigiis quibusdam in ipsum nos Christi loquentis *scopum* deducunt. Qui erat iste, vt tanquam summus doctor tot a prophetis praemonstratus in scriptura, *v.* 38.

38. populum caecum, incredulum, & ex inanibus caerimoniis puerilia carpentem gaudia, festosque dies, nutriendae fidei, atque gaudio spirituali dicatos, ludicris rebus in ipso templo transigentem, torque festis diebus exactis, in vltimo celeberrimoque adhuc maxime delirantem, ab ista vanitate turpique abusu abduceret, & vera ad gaudia ex fide in ipsum v. 38. & oblatis ad eam rem donis spiritus sancti, percipienda reuocaret.

** *Examen scopi* nondum hic suscipitur, quod nimirum est alterius loci. Sufficit tamen hic indicasse, quod sollertiam in *occasione* praenoscenda, adhibere deceat, quae tum ad alia, tum ad finem curatius & plenius suo loco inuestigandum, velut accensa iam ante & in promtu posita lucerna, radios foeneretur.

*** Nempe, factum aliquod, qua tale, quaedam habet, quibus in hac vel illa *specie* constituitur. Per ea igitur tale factum potest *medium* fieri ad *finem* aliquem magis generalem. Sed *occasio* addit tali facto determinationes singulares, (§. 91.) His igitur determinationibus cognitis, cognoscitur, quomodo hoc factum, his determinationibus locupletatum, per illas ipsas fiat *medium* ad *specialiorem* finem, qui nempe rationem ha-

bet in illis determinationibus. Confer exemplum ad § 95.

95. *Ex occasione praenotata, saepe ratio reddi potest, quare pluribus e significatibus, quos adhibita vox quaedam habere potest, hic potius quam alius, valeat:* Nam vox eiusmodi crebro desumitur ab ipsis *circumstantiis* * praesentibus, quae occasionem constituunt. (§. 93.) Per id autem certus & fixus vocum significatus determinatur.

* Tales sunt e. c. *personae loquentis* qualitas & status, itemque *locus, tempus* cet. Iam e. c. si e qualitate & statu personae didicisti, eam ebraice locutam esse ista, quae scriptor aliquis graece enarrauit; facilius determinabis significatum vocis graecae, ex ebraea. Quod supra in voce ἄνωθεν notauimus, (§ 81.**) Ita idiotismi *linguae* & *scriptorum* occurrere possunt, (§ 77. 78.) quorum diiudicatio pendet a cognita loquentis *qualitate, tempore, loco*que, quo dixerit aut scripserit. (§. 77.) Porro a *circumstantia rei*, quae pariter ad occasionem pertinet (§. 93.) voces quaedam desumtae esse possunt, quarum significatus, per illam *circumstantiam* determinatur. Ita in loco *Io. VII. 37.* vides

vocem

vocem κοιλία, quae haud dubie a *vasis capacibus* quibus aqua tunc excipiebatur, petita fuit, vt sensus sit: *ex eius penu, tanquam e vase gratiae, perfectionibus spiritualibus e fonte salutis, Iesu Christo, hausis, Tit. III, 6. Io. I. 16. Iesa. XII. 3. copiosissime repleto Eph. V, 18. manabunt rivi aquae viuentis*, sicut e cuiusque tunc aquam effundentis κοιλία, larga vis aquarum manabat.

96. *Occasione intellecta, de exortu affectus in dicente, & qualis sit affectus ille, coniici potest.** Nam *qualitas* & *status* dicentis, si referantur ad *qualitatem* & *statum* illorum *quos alloquitur*, & si comparentur *res* & *personae* reliquae concurrentes, itemque *locus* & *tempus*: facile patet, boni & mali cumulatam & confusam repraesentationē atque adeo *affectum*, ei subnasci potuisse ex illis circumstantiis. *Qualis* autem ille sit affectus, *iucundus* an *iniucundus*, & ad quam vtriusque classis speciem sit referendus, ipsae illae *circumstantiae* (occasionem ingredientes) subindicare ** possunt.

* Nempe si loquentis *qualitatem*, i.e. temperamentum, mores cet. cognitam habeo, & si *casum* in quo nunc constitutus est (adeoque *statum* eius) obseruo, tunc non sine ratione colligere possum: *talis homo*, in

tali *casu*, non potest non *iram*, *gaudium*, *tristitiam*, *fiduciam* cet. concipere. Quare si tunc loquitur, affectus isti in sermone regnabunt. E. c. Occasionem perscriptae ad *Galatas* epistolae consideremus. *Qualitas* PAVLLI, continet amorem *habitualem* erga *Galatas*, ardentissimum, & materno fere maiorem *Gal. IV.* 19. vt, qui tanquam angelum Dei exceperant ipsum, *Gal. IV.* 14. Ad *statum* PAVLLI pertinet *repraesentatio* instantis periculi, quo *Galatae* in paucis dilecti, & instar filiorum habiti, a fide in Christum prorsus abducerentur, *Gal. I.* 6. *IV.* 11. dediti iam ex parte *falsis Apostolis* & amore istorum ritualium irretiti *Gal. IV.* 17. *Qualitas* eorum ad quos scribit: erant (ipso etiam patriae genio) simplices & bardi *Gal. III.* 1. *Status*: versabantur in summo periculo defectionis a Christo, cet. *Personae* concurrentes sunt *falsi Apostoli*, hostes crucis Christi, asseclas tantum sibi quaerentes, vt *nomen* per illos & alia commoda venarentur, animas vero perderent. *Res* adiuuantes *circumcisio*, speciem gerens religionis a Deo sancitae. *Locus* in quo PAVLLVS, haec audiens, degebat, *remotus* erat a *Galatia*. *Tempus* tale, quo Galatae post institutionem Paulli, proficere debuissent in re Christi, & aliis exempla sanctitatis & constantiae praebere. Hac occasione scribit PAVLLVS,

LVS, quare *affectus amoris materni, indignationis* in suos, *irae* in fures & latrones filiolorum suorum, *miserationis*, *timoris*, *tristitiae*, *zeli*, cet. vix abesse poterant. Quos etiam singulos ex ipsa licet epistola commonstrare.

Sic & res habet in exemplo superiore *Io. VII.* 38.; vbi *Christus* conspecta Iudaeorum in festo die securitate, incredulitate, & bacchantium potius quam feriantium tumultu, affectum *indignationis* & *misericordiae* concepit. Clamabat igitur alta voce: *Ad se viuum fontem*, vt venirent: cet.

** Non obstat, inter ipsas *circumstantias*, quae *occasionem* constituunt, esse *statum* dicentis, ad quem *affectus* pertinet. Nam vterque *occasionis praenotatae* vsus recenseri potest. *Alter*, quod *cognosci* possit e pluribus illius circumstantiis *origo* & *qualitas* affectus, velut a *priori*, quod modo docuimus. *Alter*, quod *pars* occasionis possit esse *affectus*, qui in sermonem influat non minus, quam reliqua, quibus constat occasio. Nam per id, quod *affectus* colligitur e reliquis circumstantiis, ipse non desinit esse *circumstantia* respectu sermonis, ex ipso fluentis.

97. *Occasione perspecta, intelligi potest, cur auctor sermonis, hac potius quam illa vo-*

ce, phrasi, schemate, & habitu sermonis vsus sit, quam aliis, ad sensum specie eundem, pariter aptis. Hoc est *modus cogitandi* & cogitata sua *verbis* ac *formulis certis exprimendi*, exinde deriuari potest. Nam 1) *qualitas propria* loquentis, & *status* eiusdem, singularem cogitandi & loquendi modum gignere potest. *Res* concurrentes, *locus*, *tempus*, itidem sunt *singularia*, quae influunt in *modum* cogitandi atque dicendi. Et 2) occasione cognita, *finis specialior* quoque cognoscitur (§. 95.) *finis* autem sermonis *specialior*, poscit determinatum cogitandi & loquendi modum, illi fini maxime accommodatum. Denique 3) ex *occasione* colligitur affectus *dicentis*: (§ 96) affectus autem se exprimunt singulari verborum & formularum habitu, sicut e praeceptis rhetoricis constat.

* Exemplum superius consideremus. 1) Cur Christus vtitur voce κοιλία, potius quam alia? occasio id fecit, v. d. *not.* (§. 95.) Cur 2) *dona spiritualia* indicaturus, metaphorica potius quam propria voce, vtitur? *occasioni* hoc tribuendum. Cur 3) illam metaphoram continuat, & non tantum dicit: aqua

aqua larga replebitur, sed, *aquae largiter ex eo tanquam vase, manabunt?* In *occasione* est ratio, de qua ad §. 95. dictum est.

98. Quicquid scriptores sacri libros in canonicos retulerunt, id inspirante Deo retulerunt. Haec autem *inspiratio* talis est, quae ad *circumstantias* quibus *occasio* sapienter a Deo oblata, absoluitur (§. 93.) se accommodauit. Quod *theologia dogmatica* confirmat. *Luc. I. 1. Gal. I. 6. 1 Cor. I. 11. 2 Petr. I. 13.* Quocirca, non obstante * *inspiratione* diuina, *occasio* sermonis sacri examinanda est.

* Ad *occasionem* refertur *qualitas* est *status* loquentium. (§. 93.) Huc autem *modus cogitandi & loquendi* pertinet. Quis vero nescit, viros diuinos, in eodem argumento versantes, orationis habitu admodum diuerso comparere? IOANNES de *amore Dei & Christi* loquens, ad modum leniter & placide, *filioli*, inquit, *amemus eum, quia prior nos amauit* 1 *Io. IV.* 4. 11. 19. Eadem de re PAVLLVS 1 *Cor. XVI.* 22. *Qui Iesum Christum non diligit, anathema sit, venit Dominus noster.* IOANNES denuo 1 *Et nunc, filioli, manete in ipso: vt plenam habeamus in ipsius aduentu fiduciam, nec pudore suffundamur tunc, cum appariturus est,* 1 *Io. II.*

28. At Pavllvs, *Rom. VIII. 35. Quis diuellet nos ab amore Christi? afflictio aut angustia? aut insectatio aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius? - - - v. 38. Confido autem, quod neque vita, neque mors* cet.

99. Sermones * Dei, angelorum legatione Dei fungentium, & hominum inspiratorum, a scriptoribus sacris relati, eandem lucem expectant a praeuia *occasionis* notitia. Nam omnes illi sermones naturam sermonum obtinent, & pariter *occasione* certa prolati sunt. *Genes. III. 8. 11. 13. 14. ff. Luc. I. 30. ff. II. 27. ff.* Saepius etiam, ex aliis scriptis diuinis, verba Dei & hominum inspiratorum, *allegantur*. Ibi scriptor allegans, personam quasi sustinet eorum quos allegat, hoc est, ad sensum, (saltim repraesentationem typicam) talium verborum, perinde censetur, vtrum auctores prisci, an ipse, illa proferat. Quare & hic occasio in scripto allegantis notari, & cum *occasione*, quae fuit primo auctori, componi potest. *Act. II. 16. ff. 25. ff.* Sermones hominum *vulgarium, malorum*, & ipsius *cacodaemonis*, diuino adflatu a scriptoribus

sacris

sacris commemorati sunt, eo consilio, vt a nobis, salutares ad vsus intelligantur. Quare, si quid, ad eorum intelligentiam, *praenoscenda occasio* conducit, hoc examen suscipi potest.

* Quanquam, si *Deus* loquitur, neque loquentis *qualitas*, neque *status*, proprie si dicas, obseruari possit, cum neque in Deo *qualitas* neque *status* reperiatur; tamen illa *relatio*, quam Deus loquens habet ad *personas*, & *rem* praesentem de qua loquitur, ad *locum* item & *tempus*, cet. ei velut *qualitatem* aliam atque aliam, statumque diuersum inducere, humano cogitandi more, censetur. *Genes. XVII, 1. ss. Iesa. I. 1. Ps. XVIII. 26. 27.* cet.

100. Fontes *occasionis* inuestigandae, in sermonibus sacri codicis, sunt vel *interni*, hoc est, qui ipso in sermone interpretando, *Luc. I. 1. ff. Matth. XXII. 34.* & * aliis codicis sacri libris, *Actor. I. 1.* reperiuntur: vel *externi*, qui ab *aliis* scriptoribus, siue *ecclesiasticis*, siue *profanis*, subministrantur. Qui fontes vel aliqua tantum, vel plura huc pertinentia, offerunt, itemque vel singuli solum, vel plures aut omnes simul, si licet, adeundi sunt. Interni

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0079
DFG

ternis *praerogatiuam* deberi, per se liquet. **

* Ita e libris *Chronicorum*, libri *prophetici V. T.* & ex *Actis Apostolorum*, epistolae illorum lucem accipiunt.

** *Modus*, ex his *fontibus* hauriendi, non est ita difficilis, vt multis regulis indigeat. Nam illae *circumstantiae* 1) vel aperte memorantur, 2) ex signis sagaciter euoluendis, deteguntur, saltim *probabiliter*, ac diuerso *probabilitatis* gradu. Huc refer, *stili* qualitatem; allusiones rebus, dictis aut factis certi hominis, tempori, loco, fini loquentis, cet. magis congruas: materiae tractatae indolem, certo scriptori familiarem, *obiecto personali* magis aptam, certo tempore magis frequentatam, similem eiusdem auctoris, in eadem alibi materia versantis, tractandi modum, aliasque circumstantias ad locum, tempus personas, facta connexa, melius, quam ad aliud quidlibet quadrantes, cet. Ad *affectus* autem noscendos partim praelibatae philosophorum institutiones, eaedemque *psychologicae*, atque *morales*; partim interpretes, in eruendis affectibus feliciores, inseruiunt.

II.

II.
DE
OCCASIONE
SERMONIS SACRI
SPECIATIM.

RESP. CHRIST. LVDOVICO LEVN,
Palaestra 12.

101. INter *circumstantias* ad *occasionem* pertinentes, *auctoris qualitas & status* primo loco refertur. (§. 93.) Quoniam *nomen* * eius cognitum, est instar indicis, quo dirigimur, vt ea, quae illi tribuenda sunt, facilius ad illum, non ad alium, referamus: ideo nomen eius notare decet, in fontibus vel *internis* vel *externis* (§. 100.) exhibitum; quo e ceteris, de persona eo nomine insignita, passim commemoratis, de *qualitate* ac *statu* eius, iudicium faciamus.

* Ideo scriptores sacri *nomina* plerumque sua statim in fronte locant, *Rom.* 1. 1. 1 *Petr.* 1. 1. *Iac.* 1. 1. *Iud.* 1. *Apoc.* 1. 1. nec aliorum nomina dissimulant, quos inducunt loquentes *Iob.* IV. 1. *ss.* XI. 1. XV. 1. cet. *Iesa.* 1. 1. *ss.* *Io.*

v. l. 19. *ſt.* 48. Alibi *eccleſiae* cura iſtam memoriam conſeruauit, quod valde probabile eſt de euangelio MATTHAEI, MARCI, LVCAE, IOANNIS, cet.

Notetur.

1) *Parua nominis eiusdem inflexio, non eſt tanti, vt diuerſa propter illam perſona quaeri debeat.* Sic LVCAS compendio pronunciandi, vel alterius linguae idiotiſmo, dicitur, qui alias LVCANVS, LVCILLIVS, vt GROTIVS docet *prefat. ad euang. Lucae*, & MABILLONIVS *muſeo Ital.* apud WOLFIVM. Ita EPAPHRAS & EPAPHRODITVS idem homo eſt, aliquoties in ſacris literis memoratus. Eodem modo PETRVS, modo *Simeon*, modo *Simon* vocatur, *Matth. XVI. l.* 16. 17. 2 *Petr. l.* 1.

2) *Cum Iudaeorum veterum mos fuerit, plures libros canonicos in vnum volumen compactos, ab eo denominare, qui primi in eo volumine libri, auctor eſſet; id notandum eſt, ne offendamur. Matth. XXVII. l.* 8.

3) *Vt nomen ipſo in textu expreſſum, certam fidem facit: ita inſcriptiones librorum* quae nomen quoddam exprimunt, *non ſemper ſunt indices auctorum.* Sic liber *Ruthae*, non eſt liber quem conſcripſit *Ruth*a. Partitio libri *Iudicum*, *Regum*, *Eſtherae* & fortaſſe *Ioſuae*, *Iobi*, cet. De MOSIS libris aliter ſtatuendum, propter auctoritatem totius eccleſiae, & CHRISTI.

4) *Sicut*

4) *Sicut idem nomen tunc non arguit eandem personam, cum adsunt notae in alteram personam conuenientes: ita nec omissum nomen, diuersum arguit auctorem, cum eundem aliae notae sufficienter declarant, vbi praesertim ratio sat probabilis omissi nominis adparet.* Qui epistolam ad *ebraeos*, tribuunt PAVLLO potius quam alii; exempli loco eam habere possunt.

5) *Est, vbi auctor scripti vel sermonis, per modestiam, aliasue causas, de semetipso in tertia persona loquitur, vt alium intelligere videatur. Matth. IX. 9. Io. XIX. 35. 2 Cor. XII. 2.* Quod non nulli ad morem ebraeorum referunt.

6. *Auctori cognito tribuitur, quicquid in eius libro occurrit, donec ratio sufficiens adpareat, quae alium auctorem indicet, vel auctorem cognitum non sua sed alterius verba proferre, persuadeat.* Vid. *ven.* BAVMGARTEN *herm. s. §. 41. 42.* B. RAMBACHIVS noster *herm. s. lib. II. cap 2. §. 5.*

102. Cum auctores sacri ab aetate nostra longissime absint; non aliunde, nisi ex literarum monimentis, eorum de *qualitate* nobis constare potest. Et quoniam ad *qualitatem* alterius noscendam, *patria, parentes, educatio, temperamentum, institutio, vitae genus, bona corporis & animi,* *sti-*

ſtilus, mores, cet. & *mutationum* inprimis *exſtantiorum ſequelae durabiles* pertinent; iſta, quantū licet, e fontibus *internis* vel *externis*, vel vtriusque ſimul, (§ 100.) colligi & inter ſe comparari debent, vt cognito, quantum quidque ex his influat in *totam* eius indolem formandam, *characterem perſonae* verum, animo concipiamus. *Iob. I 1. ff. Luc. I. 5. ff. 57. ff. Matt. III. 4. Act. XXII. 1. ff. XXVI. 9. ff.*

* *Vitarum* ſcriptores huc inſeruiunt, & qui de *temperamentis* virorum diuinorum explicuerunt, quorum tamen ſollertia & acumen alicubi deſideratur.

103. Quoniam ad * *qualitatem* ſcriptoris ſacri, ipſa diuina *illuminatio* ſeu cognitio per *inſpirationem*, pertinet, quae in actu ſcribendi ſemper illis adfuit; ideo, quicquid in eorum libris exhibetur, id inſpirante Deo exhibetur, & *veritate hiſtorica diuina* gaudet. Sed cum de veritate *propoſitionum* quaeritur, & de *rectitudine* eorum, quae ipſi tanquam dicta & facta, recenſent, cautione opus eſt. Itaque ſollicite videndum, quomodo iſta *qualitas* in ſermonem ** influat.

* Si malis ad *ſtatum* hoc referre, nihil pugnabimus.

bimus. Rationes enim suppetunt non contemnendae.

** Influit illa qualitas *semper ita*, vt omnia in huiusmodi libro obuia, Deo inspirante consignata esse, certa fide praesumere liceat. 2) vt quae Deo loquenti tribuantur, reuera pro sermonibus Dei habeantur, vel *trinunius* (cum talis sermo sit *opus ad extra*) vel *filii*, quoniam is est *interpres* voluntatis diuinae ad homines, vel eius personae, quae notis haud dubiis, insignitur: 3) vt quae angelus, aut homines alii, qui vt internuncii Dei inducuntur, alicubi dicunt, pro verbis Dei habeantur. 4) vt, quae scriptor ipse, suis verbis profert, pro veritatibus, remotius vel propius ad salutem ordinatis, seu *articulis fidei* habeantur. 5) vt, quae scriptor diuinus allegat e profanis, addita comprobatione, vel *expressa*, vel e contextu *intelligenda*, *Tit. I. 12. 13. 1 Cor. XV. 33.* nunc pro testimonio diuino, habeantur: & quae *ex hypothesi* profanorum assumit, ad refutandam aliam hypothesin; ea pro *modo concludendi* diuinitus adprobato, reputentur, & hactenus etiam pro *vera* hypothesi, quatenus aliquid veri continet. *Act. XVII. 28. 29.* Quae omnia, quatenus e *qualitate* scribentis, adeoque ex occasione, praesumuntur ante, quam ad ipsam *conceptuum* explicationem deuenias, hoc loco tangi omnino possunt.

104. *Status* scribentis vel loquentis, ad *occasionem propiorem*, & pro re nata, *proximam*, referri debet. (§. 93.) Status animi, qui per singulos *inspirationis* vel *revelationis diuinae modos* * determinatus fuit, etiam influit in *modum scribendi* vel *loquendi*. Quare cognito inspirationis modo, ratio reddi potest, cur ita potius quam aliter formati sint conceptus, & cur verba, conceptuum signa, haec potius quam alia, hoc potius quam alio modo, fuerint adornata. Prodest igitur ad praenoscendum aliquid de sensu sermonis, si ad hanc *occasionis* partem, *inspirationis* nempe *modum*, in *examine historico*, attendas.

* *Ebr. l.* 1. *Apoc. l.* 10. *Act. X.* 11. 2 *Petr. l.* 21. 2 *Tim. III.* 16. cet. Nimirum per diuinam illam operationem, quae Θεοπνευστία dicitur, varie affecta fuit anima virorum sanctorum, adeque varium in statum deducta, vt *ideae sensuales & phantasmata* modo viuaciora, affectibusque pro re nata, vehementioribus apta, existerent, modo gradus illius *viuacitatis* minor esset. Sic *visiones*, *insomnia*, *ecstases*, *alloquia*, *apparitiones*, obtigere viris sanctis, ita, vt mentes eorum, pro varietate huiusmodi *modorum revelandi*,

di, ad varios quoque cogitandi loquendique modos determinatae fuerint.

Quoties igitur eiusmodi *modus reuelandi* praenosci potest a lectore, toties ea cognitio negligi non debet. Ipsi vero scriptores sacri, crebro id manifestis verbis indicant. *Apoc. l.* 10. *Iesa. l.* 1. Certe, hoc statu virorum diuinorum praenotato, *schemata* sermonis, *affectus*, & si quae sunt alia; promtius diiudicantur.

105. Ad *statum* scribentis loquentisue determinandum, ii, aliquid adferunt, *ad quos sermo dirigitur*: qui *obiectum personale*, vocari solent. (§. 93.) Tametsi vero sacrae literae omnibus sint hominibus destinatae: id tamen haut obstat, quo minus auctor sacri codicis, *partim* doctrinas communes omnibus, traderet, dum aliquos alloquitur: *partim*, quod singulis vel paucioribus dicit, aut ab illis dictum recenset, id applicari vellet ad similes multorum vel omnium status, cet. *Quinam* igitur sint, ad quos sermo tendat proxime; *Deus?* & quaenam SS. Trinitatis *persona? angeli? homines?* vna persona singularis? an persona moralis? e fontibus *internis* & *externis* (§. 100.) ex-

promendum * est. *Qualitas* autem ** & *status* personarum maxime perquirenda, quales per *naturam* & *gratiam*, cet. reperiantur.

* In *fontibus internis*, vel 1) recensentur *nomina* personarum tum singularium, *Matth. l.* 20. tum *moralium* h. e. integrarum societatum, *Gal. l.* 2. 1 *Petr. l.* 1. *Apoc. l.* 4. *Zach. IX.* 9. vel 2) *characteribus* certis insigniuntur, quibus satis agnosci & ab aliis discerni possunt, si totum sermonem vel librum perlustres. Ita *christianos exiudaeos* probabiliter agnosces, e *Galat. IV.* 22 *ss. III.* 16. *ss.* 1 *Petr. II.* 9. 10. *III.* 6. 20. vbi 3) nomen singularis personae saepe *totam gentem*, *Genes. II.* 17. coll. *Rom. V.* 12. *societatem homogeneam* (ad eundem finem eadem per media tendentem) *Deut. VI.* 4 *antitypum*, cet. denotat, quod ad *rhetoricam* considerationem pertinet.

** Huc maxime respiciendum est. Ita *qualitas Galatarum*, ad quos PAVLVS scribit, ex ingenio patriae & gentis colligitur, quae nimirum *stupida & tarda*, *vana*, *flexilis*, & *seruilis*, ipsa in externa historia, perhibetur, Quod vel e CALLIMACHO constat. Quare & HIERONYMVS de illis: *originis ingentium ingenii* ~~tra~~*ditate referebant*. Vnde iudicari potest de phrasibus PAVLLI, cum

eos

eos *seruiles c. V. 1.* ἀνοήτους, *c. III 1. mobiles c. I. 3.* adpellat, *neque in alios vllos*, ERASMO iudice, *tam acriter inuehitur.*

Status vero *Galatarum* ex ipsa hac epistola elucet: qui ad Christum quidem adducti, sed *pueri* adhuc, in vtramque partem flexiles, & propositi minime tenaces, reperiebantur, accedente praesertim *tentationis* statu, per falsorum doctorum insidias. Propter ingens hoc filiorum periculum, PAVLLVS paterno aestuans amore, immo materno, nusquam fere concitatior est, quam in hac epistola, *c. IV. 19. 20*

Ita *sectae* cuiusdam studium ac *professio*, ad *qualitatem obiecti personalis* refertur. Ex illius sectae natura, ratio reddi saepe potest, cur hoc, vel aliud quiddam, sermonem ingrediatur, eumque modificet. Vide Paulli sermonem cum *Stoicis* consertum, *Act. XVII. 18. 22. ss*; *Christi*, cum *Pharisaeis* & *Sadducaeis* habitos sermones *Matth. XXIII. 13. XXII. 23.* cet. &, si veteribus credimus, *Ioannis euangelium*, certae eius aeui sectae oppositum. Ad *qualitatem* vel *statum* obiecti personalis, etiam *locus vbi istae personae degunt*, (§. 93 *not.*) pertinet. Forte hinc ratio reddi potest, cur PAVLLVS ad *Corinthias* scribens, a ludis sollemnibus similitudinem ducat *1 Cor. IX. 24. 25* & ad *Romanos*, turpem idololatriam commemoret *Rom. I. 23.*

106. *Statum* loquentis determinant *aliae* quoque *res & personae* concurrentes (§. 93.) quae, vna cum *tempore* & *loco*, *occasionem proximam* (*ibid.*) constituunt. Atque vt 1) de *rebus* moneam, illae sub *tempore locoque*, plerumque comprehendi possunt, (§. 93. *num.* 3. 4.) *Res* autem * *tractanda*, seu *materia sermonis*, singulis in casibus est eiusmodi, quae in modum cogitandi loquendique, non parum influat. Adde res naturales, aliasque contingentes, ** a quibus dicendi occasio saepe sumitur. Quamobrem *qualitas* etiam *rei*, considerari debet. De 2) *personis*, *** videndum erit, qualis earum *status internus* & *externus*, quorsum *facta* quoque pertinent, tunc fuerit, vel tunc innotuerit, cum auctor sermonis ad loquendum vel scribendum accessit.

* Sic, vbi vates V. T. de rebus futuris agunt, quae ecclesiae, vel statui politico, vel singulis familiis, aut *tristes* aut *laetiores* euenturae erant: ipsa materiae indoles in qualitatem scribentis aut loquentis ita influebat, vt eam ad certum orationis characterem, & ad *affectus* argumento congruos, i. e. ad *sta-*

tum

tum singularem, determinarer. *Zach. IX. 9. Iesa. II. 1. ss. III. 1 ss. Luc. XIX. 41. ss. 2 Petr. II. 3. ss. III. 10. ss.*

Ita, vbi de re dogmatica, graui, ac sublimi, agendum est, qualis *iustificatio* peccatoris, de qua in epistola ad *Romanos* & *Galatas*, PAVLLVS agit; status etiam animi in scriptore sacro, ad cogitandum *acutius*, & ad *orationem syllogisticam*, seu *enthymematicam*, *definitionibus*, *axiomatis*, cet. refertam, determinatur. *Rom. III. IV. V. Gal. III. IV.*

** Ita *allegoriae Christi*, a *Pastore bono*, *ouibus*, *seminante*, *vinea*, cet. Huxere procul dubio a *rebus* eiusmodi, tunc obuiis & praesentibus. Quarum meminisse sub titulo *loci* ac *temporis*, etiam conuenit. *Vincula* in corpore *Paulli*, saepe *statum* eius dum scriberet, alteraueruntvt *carcer* ipsi templum, vincula corpus ambientia, pectorale, sacerdoti adstrictum, & populi curam velut imprimens in ima cordis penetralia, *Phil. I. 7.* viderentur; vtque amorem absentium, & *Christi*, propter quem vinctus erat, concitatius exprimeret. Sic *Petro* signa in corpore, mortis praenuncia, & ipso a senio profecta, 2 *Petr. I. 14.* & PAVLLO *cicatrices* in corpore, pro CHRISTI caussa susceptae *Galat. VI. 17.* statum singularem induxerunt; in quo, si diceret, oratio sane illi conuenienter, in quibusdam adornari potuit.

*** *Personae*, (praeter eas ad quas sermo tendit) (§ 105.) quam *relationem* habeant ad dicentem, & ad illos, qui sermone compellantur, etiam atque etiam videndum est. Nam I. tales personae *motiua* praebere possunt ad scribendum vel loquendum. Vnde in ipso sermone ad earum qualitatem, dicta & facta saepius respicitur. Quare 1) notanda earum *qualitas*. Ita PAVLLI & *Galatarum* inimic & corruptores, erant *Zelotae* e Iudaeis, qui legem MOSIS postliminio in ecclesiam reducere nitebantur, *Gal. IV.* 17. animo feruidi, moribus ad blanditias & pietatis speciem compositis, iactatores, cet. 2) *facta & dicta*, propius influentia in statum scribentis aut loquentis. Sic *pseudapostoli*, *a*) insidiis suis, vsque adeo inclinauerant animos *Galatarum*, vt proni essent hi, ad suscipiendam Mosis legem. *Gal. I.* 6. *b*) Detrahebant porro de auctoritate PAVLLI, quem in ordine *Apostolorum* reliquorum ideo non ponebant, quoniam cum *Christo* ante ac post mortem, familiariter non esset versatus. Ab *hominibus* igitur constitutum esse PAVLLVM, criminabantur. *Gal. I.* 1. II. 12 *ss.* *c*) Denique hac formula vtebantur: *Nisi quis circumcidatur, non prodest ei Christus*, *Gal. V.* 2 coll. *Act. XV.* 1. Aliud exemplum est *Luc. I.* 1. 2.

II. Aliae personae, *adiumento* esse possunt loquenti, *Exod. IV.* 15 *Matth. XXII.* 15. 16.

16. Cognita igitur *qualitate* earum personarum, de *fine* sermonis, aliisque huc pertinentibus, conici vel iudicari potest.

107. *Locus* denique, & *tempus*, (§. 93.) vel ad *qualitatem* dicentis pertinent, quatenus generatim *patriam** eius, & *viuendi spatium*, cum aliis simultaneis eiusdem aeui, determinant: vel ad *statum*, quatenus dicens ad actum dicendi progressurus, *speciatim* in *hoc loco*, & *hoc temporis articulo* constitutus fuit. *Loci* autem & *temporis* nomine, *res ipsae* hic insigniuntur, quibus eorum quae simul sunt, & sibi succedunt, seriem, seu partem seriei, vnam ab altera discernimus (§. 93. n. 3. 4.). Notato ** *loco*, vbi scriptor sacer librum suum adornauit, & vbi aliquis qui loquens ab eo inducitur, verba fecit, itemque *tempore* vtriusque, multa ipsius sermonis, ab indole loci & temporis, & connexorum, illustrari possunt.

* Hoc in ipsum loquentis *stilum* influere potest, qui patria & aeuo scribentis, ad certum saepe *idiotismum* determinatur, (§. 77.)

** 1) *Subscriptionibus* epistolarum in N. T. quae locum indicant, non semper tuta fides, neque chronotaxis aestimanda e collo-

catione librorum biblicorum, quae nunc obtinet; aut e collocatione plurium eiusdem libri, miscellanea praesertim dogmatica complexi, partium, sicut e critica sacra notum est. 2) Ad *harmoniam* euangelistarum N. T. multum conducit, loci ac temporis inuestigatio, vt narrationem eorum, & sermones Christi aliorumque, ab eis recensitos, felicius intelligamus, 3) idem sermo diuersis temporibus ac locis habitus esse potest. Quare ab eodem sermone ad idem tempus, eundemque locum, si cetera repugnent, non valet conclusio. 4) Quoniam ii, quibus *insomnium* diuinum, *visio*, aut *ecstasis* obtigit, in alium locum sibi transferri visi sunt, ita vt perinde sit, acsi corpore in eo praesentes, scripserint aut dixerint: is quoque *locus* ad occasionem proximam pertinet. Quod recte & acute obseruatum a B. RAMBACHIO nostro *herm. sac. lib. II. c. II. §. 8. not.* ** & *ver.* BAVMGARTEN *h. s. § 51. not.* 5) Eadem obseruatio de *tempore* euentuum praenunciatorum valet, quatenus illud tempus velut praesens, vatibus in illo statu sistebatur.

* * *

DE

DE AFFECTIBVS INVESTIGANDIS,

MEMBR. I.

RESP. PHILIPP. MELCHIORE SIEBERO.

Palaestra 13.

---

108. §. *Tatum* loquentis aliqua etiam parte conficiunt *affectus*, qui sunt ex eorum numero, quae minus constanter insunt (§. *93. not.*) quamuis habitus ad eos concipiendos, (de quo non magnopere hic agendum) constantius inesse, adeoque ad *qualitates* (*ibid.*) referri queat. Cum vero dicentis *qualitas* (§. *102. 103.*) nec non repraesentatio *obiecti personalis* (§. *105.*) *rerum & personarum concurrentium* (§. *106.*) *loci ac temporis* (§. *107.*) ad ciendum affectum aliquid, vel *remotius* vel *propius*, conferant: ideo, his praemissis, postremo loco de *affectibus* tractandum est.

109. *Affectus*, esse actus vehementiores appetitionis & auersationis, sensitiuae, adeoque voluptatis etiam & taedii sensitius

tiui, ex repraesentatione boni malique confusa, satis notum est. Quare *affectus proprie dicti*, non nisi illis, quibus inest *appetitus sensitiuus*, & in quos cadit repraesentatio confusa, tribui possunt; hoc est, angelis & hominibus. *Deo* tribuuntur *affectus*, quando appetitio & auersatio eius, pro maiore gradu bonitatis & prauitatis in obiecto, concipitur. Cum in sacro codice occurrant sermones *angelorum*, *hominum* *, & ipsius *Dei*; & cum obiecta eorum sermonum, saepe sint talia, quibus vehementior *adpetitio* vel *auersatio* respondet: *affectus* etiam loquentium notari possunt ac debent.

* Homines in sacro codice loquentes, vel sunt *diuinitus inspirati*, & ex actu inspirationis loquentes: vel alii non inspirati, hique vel *boni* vel *mali*, iidemque vel in actu loquendi malitiam produnt, vel licita & vera loquuntur. Quibus obseruatis, ratio suppetit, vnde, si quis eorum affectus incidit, de *moralitate* illius, (quod vix est huius loci) iudicium ferri potest. Id notandum, hominibus adflatu diuino correptis, maxime per visiones, insomnia, aut ecstasin, duplici ratione *affectus* in promtu fuisse. *Prima* est,

est, quod is *modus inspirationis* viuidius afficeret facultatem imaginandi, horum praecipue, qui patriae genio calidiores essent: *altera* quod *res* inspiratae ad classem *maximorum bonorum* vel *malorum*, plerumque sint referendae. Nam princeps eorum scopus erat, inexplicabilem erga homines amorem Dei, missionem filii, eiusdem perpessiones, mortem, restitutam vitam, admiranda opera, depingere. Rursus hominum vel stupendam corruptionem, & continuatam malitiam erga Deum tam infinite misericordem, & poenas horribiles inde secuturas, vel aliorum emendationem mirabilem, vitam pro perdita felicissimam, inenarrabiles gratiae operationes, mirificas in regno gratiae, mentibusque piorum mutationes, gloriam post fata summam, cet. explicare. Quae omnia, sicut affectus mouere, ita ex affectu proficisci debebant.

Facile exinde patet, homines sanctos ex affectu diuinitus inflammato loquentes, de iis praecipue mutationibus, quas operante gratia, experti erant, optime intelligi ab his, qui similes in se affectus senserunt, aut sentire apti sunt. Vnde prouerbium verissimum: *Dauidica non intelligit, qui Dauidica non sentit.* Vide *Psalmum* 6. 23. 18. 27. 32. 38. 42. 88. cet.

Nec obuertere licet, *commotionem affectuum* referri debere ad πειθὸς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγους,

λόγος, *persuasorias humanae sapientiae orationes*, quas PAVLVS indignas reputet legato Dei 1*Cor.* 1. 4. 13. Namque PAVLVS ibi materiam orationis diuinae, distinguit a materia declamandi sophistarum, quales Corinthi crebro audiebantur. *His* propositiones *mere probabiles*, & nonnunquam *falsas*, sola *arte* adhibita, comtis orationibus perpoliebant, ad assensum populi per insidias istas venandum. *Apostoli*, propositiones non modo veras per se, sed coniunctas etiam *cum efficacia supernaturali*, sermone complectebantur, e quibus liquido adparebat, *spiritum sanctum* inesse loquentibus, seu, loquentes esse θεοπνεύστους, & propositiones ab istis prolatas δύναμιν, *vim operandi supernaturalem* habere, ad assensum extorquendum. Sed tales inter propositiones multae erant, ad ciendos affectus per se aptissimae, & ex affectu dicentis profectae, 2 *Cor.* 7, 8 11 *Gal.* 3, 1. 4, 15. *Act.* 13, 48. 14, 14. *ff. Phil.* 3, 18. quamuis nec *arti sophisticae*, immo nec *humanae* omnino, nedum soli, deberentur.

III. *Affectus* hoc loco considerantur, tanquam *praenoscendum* aliquid, in *examine textus historico*, (§. 90. 91. 92. 93.) Quare ea affectuum notitia quae ex intima demum ipsius textus cognitione nascitur, alium potius, quam hunc locum sibi vindicat.

dicat. (§. 63. n. 2.) Vnde consequitur 1) si quid hoc loco praeciperetur de *affectibus* ex intima textus notitia colligendis, id fieri propter *materiae integritatem* eodem in loco retinendam, 2) *studium indagandi adfectus* non dimitti debere, in ipsis *examinibus textuum subsequentibus*, & acrioribus. Quod de reliquis *circumstantiis* ad *examen historicum* pertinentibus, pariter obseruandum est.

III. *Indicia affectuum*, in sermone biblico, vel *memorantur* * in ipso textu, vel e *textu*, eiusque circumstantiis *eruuntur*. Nos hoc discrimine praenotato, seriem quandam indiciorum texemus. Est enim, cum 1) scriptor aliquis diuinus, vel qui loquitur auctoritate diuina (§. 103. ** 1. 3.) vel qui ab his, vt vera loquens, inducitur, affectum dicentis ipsum, *nominat*, eumque non tantum adfuisse, sed etiam ** influxisse in sermonem relatum, testatur. *Ies. LXI. Psalm XVIII. 2. 3. Rom. VIII. 38.* cet. *2. Sam. XII. 5. Psalm CXIX. 53.*

* Hinc etiam in *certa* & *probabilia*, & haec rursum in *magis minusue probabilia* dispesci possunt. **

** Nempe non satis est, si affectus aliquis commemoretur, sed probari debet, quod is, qui memoratur, in ipsum etiam sermonem praesentem influxerit. Vbi notandum est 1) ipsius *sermonis obiectum* seu materia; quae si talis est, vt apta sit ad illum qui nominatur affectum, in loquente producendum, tunc dubitatio omnis excluditur, de influxu affectus in orationem. *Psal.* 84, 2. 3. 4. Quodsi 2) addatur in textu, quod loquens *ex illo* qui nominatur, affectu, locutus sit, tunc res pariter est planissima *Exod.* 32, 19. 21. *Luc* 10, 17. 21. cet.

112. Proxime huc accedit *signum* loquentis, ipse quidem haud nominatur affectus, sed *signum* * tamen eius, recensetur, idque tale, quod loquens cum ipso sermone coniunxit. *Phil III. 18. Luc. XIX. 41. 42. Act XIV. 14. 15. Matth. XXVII. 3. 4.* Dum enim *signum* adesse dicitur, quod effectus aut comes individuus est praesentissimi cuiusdam affectus: huius quoque ipsius praesentia minime dubitabilis est. Et dum signum illud connectitur ipsi sermoni, exinde colligitur, in sermone adhuc regnare affectum, & exprimi magisque concitari per sermonem.

* De

* De *signis* hoc intelligendum, quae ab ipso sermonis habitu, (affectus ceteroquin signo pariter luculento) distinguuntur, & *motibus* quibusdam in corpore, constant, qui *vel* vltro, nobis ne quidem meditantibus, immo nolentibus saepe, motui mentis vehementiori se associant; vt *lacrimae*, *vocis concitatio acrior*, *exsultatio*, *gestusque* & *actiones*, actionumque *modificationes* aliae; *vel* e more gentis cuiusdam, indicia affectibus propria, constituuntur, *vt scissa vestium Matth. XXVI. 65. percussio pectoris, Luc. XVIII. 13.* ita, vt alii cuidam rei, nisi per *simulationem* (quae, per hypothesin (§. III.) hinc excluditur) haud conueniant.

113. His adde 3) si loquens (§. *111.*) ex instituto, *statum animi sui* vehementer commoti, per modicum orationis tractum, sic aperit, vt appareat, affectus sui *descriptionem* & *manifestationem*, ipsi pro *scopo* fuisse, dum loquitur. Dum enim loquitur eo scopo, vt affectum suum confiteatur, ipso tunc affectu eum flagrare oportet, cum loquitur: qui nempe status, est optimum *medium* isto scopo potiundi, siue tunc primum, cum loquitur, conceperit hunc affectum, siue tunc memoria repetat quem antea iam concepis-

set. Vtroque in casu, per leges etiam repraesentandi & appetendi, sensuum praesertim & imaginationis, vel, si mauis, per harmoniam illam necessariam animi & corporis, verba edita, vel commissa litteris, non possunt ab eo animi motu seiuncta esse, quem pingunt.

* Exemplo sunt *Psalmi Dauidis* quibus *poenitentiam* suam profitetur, vbi *morsus conscientiae* ex instituto recenset & profert, hac mente, vt illos, quam graphice posset, exprimeret. Adde *Thren. V.* 15. 17. cet. *Psalm. XLII.* 1. *ss. Misericordiam* suam IEREMIAS hoc modo etiam exprimit *Ier. VIII.* 21. 22. *IX.* 1. *ss. XIV.* 17. Conf. & *Psalmum CXIX. passim.*

Hic casus differt a *primo*; (§. 111.) nam illic *nominatur* quidem affectus aliquis, e quo sermo profluxerit; sed ille affectus tamen non est ideo obiectum proximum, cuius descriptioni, sermo tanquam *fini* suo, saltim *proximo*, impenditur. Differt etiam a *secundo*, (112.) ex eadem ratione: licet in vno alteroue exemplo, haec tria simul concurrere possint.

114. Vicinum huic est, 4) si loquens *obiecta*, quae affectus mouent, luculenter & viuaci habitu sermonis, ob oculos ponit,

ponit; * *obiecta* inquam, quae vel ad ipsum, vel ad alios etiam, siue sibi coniunctos & amicos, siue aduersos & infestos, pertinent. Nam talia dum quis *obiecta* recenset, *sensibus* eius vel *imaginationi* sunt praesentia. Dum verbis luculentis, & copiosius, vel certe viuacius, eadem describit; hoc ipso ostendit, quod viuax eorum adsit repraesentatio, quae apta est ad affectus ciendos. Dum denique illa ad *ipsum* pertinent, *bona* referuntur, vel *mala*, quibus ex hypothesi, vehementer attendit. Dum ad eos pertinent *quos amat*, perinde est, ac si ad ipsum pertineant: dum ad eos qui ipsi *aduersantur*; tunc, prout illa vel bona vel mala sunt, & prout ipse pio vel improbo est animo, illis se *commotum* esse fatetur, cum illa obiecta (ex hypothesi) tam graphice depingit.

* Huc refer, totum fere *Threnorum* librum, & multos in IOBI libro sermones. Et Psalmos *poenitentiae* Dauidicae testes, vbi rex, macie confectum *corpus*, ossa prope tabescentia, sudorem circumfluum, sagittis irae diuinae perfossum pectus, cet. tanquam *obiecta* quae *miserationem* vel in hoste moueant, per *congeriem* recenset. Quod fa-

cere sine maximo dolore, & aliis affectibus haud potuit. Sic *Ieremias*, ecclesiae iudaicae miseraudam faciem, libro *Threnorum*, depingit. Confer. *Iesa. XLVII. 1. ss.* Contra IESAIAS statum felicissimum N. T. commemoratis *obiectis* plurimis, affectuum irritamentis, e. c. *Iesa. II. 2. ss. LII. 7. LX. 1. ss.* cet. conf. (§. 109.*)

115. Accedit 5) si occasione immediata *facti* alicuius, quod sua natura irritat affectum, *vehementiores loquendi formulae** a dicente vsurpantur. Si enim facta quaedam, occasio immediata sunt, sermonis; sermo per illa determinatur. (§ 91.) Si autem illa facta continent *bonum* vel *malum* aliquod, dicenti illatum, quod dicens pro magno habere possit; tunc affectus est *possibilis*. (§. 109.) Et quando *vehementiores formulae* statim prorumpunt, tunc *signum* adest affectus *actu* ipso concitati. *Act. XXIII. 2. 3. V. 1. ss. VIII. 18. ss. Luc. I. 38. Io. XX. 27. 28. Ps. LI. 1. 2. 3. LIX. 1. 2. LX. 1. 2. Gal. IV. 17. 19. I. 5. 9.*

* Quales sunt *comminationes*, *imprecationes*, *exclamationes*, *reprehensiones*, *iussionet*, *permissiones*, *vota*, *invocationes*, *promissa repentina*, *devotiones*, cet. Quae & ipsae, sine cognito quodam tali facto, signare possunt animi

animi quendam impetum : sed *certior* fit ista cognitio, si de facto etiam constet. Et notandum, talia facta etiam reproducta per *imaginationem*, vel supernaturaliter imaginationi oblata, sive praesentia sint, sive praeterita, sive futura, eundem habere effectum. *Ps. LII. 1. ss. CXXXVII. 1. 4. 7. ss. Iesa. XVII. 1. ss.* conf. (§. 109. *)

116. Affinis est his, 6) *exhortatio ad affectus*, si exhortans ipse, obiecta affectuum floridiore stilo describit. *Psal. LXVI. 1. ss.* Id enim vbi contingit, animus dicentis in re affectus mouente, occupatur, & dum alios viuidiore stilo concitat, se ipsum concitatum esse, ostendit.

DE AFFECTIBVS INVESTIGANDIS,

MEMBR. II.

RESP. OTTONE HENRICO CAPPE.

Palaestra 14.

---

117. NOn multum hinc abeunt 7) verba * verborumque nexus & ** conformatio, quibus receditur ab eo more cogitationes exprimendi, quo vtitur

anima in ſtatu ordinario. Quodſi textus ipſe talem tractat materiam, quae ciendis affectibus apta eſt, tunc certius iſtis e verbis & formulis de affectu iudicari poteſt. Nam omnis affectus inducit animae ſtatum extraordinarium (§. *109.*) & modum cogitandi ſequitur modus loquendi. Si igitur textus talia continet, quae apta ſunt ad talem ſtatum animae inducendum, tunc *a priori* colligi poteſt *poſſibilitas* affectus; & *a poſteriori*, h. e. ab inuſitata verborum & formularum vſurpatione, ipſa affectus *exiſtentia* intelligitur. Tanto autem vehementior affectus indicatur, quanto plures huiusmodi notae, in eodem textus tractu cumulantur, quae & *compoſitum* interdum affectum produnt *Gal. IV. 14 - - 22.* Reliqua, quae ad *qualitatem* dicentis, & determinandum dicentis *ſtatum* concurrunt, (§. *103 - - 108.*) neque hoc loco, neque in caſibus ſupra allatis, excluduntur

* *Voces* affectum ſpirare poſſunt; vt 1) *deminutiuae*, quibus perſonae compellantur, *amoris* affectum ſaepe denotant, *Gal. IV. 19.* alibi *irriſionis.* 2) voces *metaphoricae*, a rebus ſenſualibus ductae, pariter in compellationibus

lationibus *personarum*, exprimunt *amorem*, *Cantic. II. 14. Psal. XVIII. 2. 3.* alibi *indignationem Iud. 12. 13. Luc. III. 7. Matth. XII. 32.* 3) *interiectiones* dolentium, laetantium, admirantium, optantium, insultantium, cet. quae solum fere hunc vsum habent in linguis, vt affectum prodant, praesertim, si quando geminantur. *Iesa. I. 4. IX. 5. Psal. CXVIII. 25. Rom. XI. 33. Matth. XXI. 9. Luc. XIX. 42. Psal. XXXV. 21. Marc. I. 23.* Quodipsum & *aduerbia* asseuerantium, *geminata Io. XVI. 20.* & negationes repetitae, *Psalm. CXV. 1.* cet. 4) compellationes personarum cum pronomine possessiuo. *Io. X. 13* in primis *geminate Io. XX. 28. Psal. XXII. 2. XVIII. 2. 3.* praestant. 5) voces quae *relationem* ceteroquin habent ad alias in contextu; quando illae velut ex improuiso sermonem aut periodum incoant: ita, vt ostendant repraesentationum vehementiam, aut impetum, qui contineri in animo diutius haud possit. Rhetores inchoationem *ex abrupto* vocant. Quae nimirum indicat, cogitationem quandam, aut seriem cogitationum in animo praecessisse, cui vox talis non secus respondet, ac si voces ipsae, illam cogitationem aut cogitationum seriem exprimentes, praecesserint. Ibi praeceps cogitationum & appetitionum impetus effundi properat, impatiens moræ, quae insumenda fuisset, si voces, praecedentium

cedentium cogitationum indices, praemitterentur. *Pſal. LXII.* 1. *LXXIII.* 1.

** Nexus verborum, formulae, periodorum ſtructura & connexio, plurimum ad indicandos affectus, habent momenti. Quae doctrina fere libellis e rhetoricis petenda eſt, qui *figuras affectuum* explicant. Vbi tamen ad *rem* tractatam & dicentis *qualitatem ſtatumque*, diligenter attendi debet, ne ſolo dictionis habitu, & formulis ſcriptori cuidam, vel extra affectum familiaribus, fidamus. Huc refer 1) *anaphoram*, in materia concitandis affectibus apta, vſurpatam *Pſ. CXVIII.* 2. 3. 4. *CXXXVI.* 1. *ſſ. Matth. V.* 3. *ſſ. Rom. VIII.* 33. *ſſ.* In *affectu* enim *plura* ſimul repraeſentantur (§. 109.) vbi vehementia appetitus vel auerſationis repraeſentationi coniuncta, ſtimulat animam ad continuandam illam & reperendam, atque ita motus organorum quibus verba eduntur (ſaltim conatus organorum ad hos motus) vel membrorum quibus ſcribuntur, eandem repraeſentationem & appetitum eius comitem, acuunt. Verbis autem iisdem ab initio propoſitionum, ſaepe repetitis, quibus intendi affectum ſenſimus, crebro ad eandem repraeſentationem & appetitum quaſi recurritur.

2) *Congeriem*, vel *ſynonymorum*, maxime a rebus *ſenſualibus*, cum *abſtracti* tamen *conceptus*,

ceptus, seu *notiones*, exprimuntur, *Ps. XVIII. 2. 3.* vel *obiectorum*, quibus affectus monetur, *Ps. CXXXVI. 5. 6. 7 Is. Rom. VIII. 39. Gal. III. 28.* Nam in affectu est simultanea plurium bonorum vel malorum repraesentatio, eaque non diu deliberata, sed in vnum fusa, seu confusa (§ 109.) & sensibus, atque imaginatione percepta. Huc *polysyndeton* refer, & *asyndeton*: itemque *incrementum* & *exergasiam*.

3) *Comparationes* a rebus *sensualibus ductas*, seu metaphoras latius euolutas, vt magnitudo boni vel mali, clarius, & minus distincte, minusque diu singulas per partes agitati, adpareat *Iesa. I. 3. Gal. IV. 19.*

4) *Interrogationes*, in primis *repetitas*, *Rom. VIII. 35. Io. VIII. 46.* quibus nimirum loquens indicat, *bonum* vel *malum* de quo agitur, pro tanto a se haberi, vt vel ipsa confessione eorum quos alloquitur, pro tali debeat agnosci. Et cum per ipsas leges grammaticas *vehementius affirment* interrogationes vel *negent*, concitatum quiddam in anima, denunciant, vti crebro sunt *indignantis*, *miserantis*, cet.

5) *Exclamationes*, quae, quoniam repentinam in serie sermonis mutationem pariunt, & altiore voce, gestibusque subito mutatis (haec enim anima sibi repraesentat dum exclamamus) pronunciari solent, vehemen-

tiae repraesentationum & appetituum sunt aptiores, quam ordinariae dicendi formulae. Sunt autem, *admirantis*, *Rom.* IX. 33. *Matth.* XV. 28. *optantis*, *Iesa.* LXIV. 1. *Psal.* XIV. 7. *Apoc.* III. 15. 16. *laudantis*, *Matth.* XXV. 21. vbi amoris vel gaudii vehementiam spirant, *Luc.* XI. 7. *obiurgantis* *Gal.* III. 1. *imprecantis Psal.* XII. 4. CXXXII. 9. Ita *querentis*, *comminantis*, *precantis*, *obtestantis*, cet. exclamationes occurrunt. GLASSIVS *rhet. S. Tr.* II. 6. IV. plura collegit exempla.

6) *Apostrophas*, quae mentem repraesentatione boni vel mali sic perculsam indicant, vt ab omnibus aliis celeriter se auertat, & cum *impetu* quodam in illud obiectum tendat, quod vel ipsum continet repraesentatum *bonum malumque*, vel quocunque modo cum illo connectitur. Ita *obsecratio Ier.* XLVII. 6. *obtestatio Iesa.* I. 1. *ss.* *exhortatio Ps.* XXVII. 12. *imprecatio Ps.* GXXVII. 8. 9. *prouocatio* & *insultatio* 1 *Cor.* XV. 55. *percontatio Ps.* CXIV. 3. *increpatio Ps.* LII. 3. & reliqua multa, hic locum habent.

7) *Aposiopeses*, cum reticetur aliquid, in formula dicendi, quod ad integritatem sensus pertinebat. Sicut enim affectus vehementiores, ita obruunt animam confusa repraesentatione, vt perturbatus veluti stupeat; ita in corpore stupor quidam, crebro sequitur,

quitur, vt *vox faucibus haereat*, poëta teſte. Hinc eſt, quod vehementer commoti, ſubſiſtunt in ipſo ſermonis nexu, ſiue quod animus turbatur, vt dixi, ſiue quod verba aſperiora quaerant iis, quae obuia & in promtu erant, ſiue quod feruor affectus ipſius, paullatim ſubſidit, & vlterius progredi reformidat. *Geneſ. XXV.* 22. *Pſ VI.* 4. Vterque locus affectum certe ſpirat: quamvis & ſine *apoſiopeſi* explicari poſſit. Adde *abrupta ſermonis membra*, *Matth. VIII.* 15. coll.

8) *Sermocinationes* *Rom. VIII.* 33. 34., *proſopopoeias*, *communicationes*, *addubitationes*, *correctiones*, *permiſſiones*, *hypotypoſes*, *pathopoeias*, (de quibus ſupra §. 113.) *iuſiurandum*, ſiue ipſa formula eius ponatur, 2 *Sam. XII.* 5. ſiue loquens ſe inter loquendum iurare dicat *Pſ. CXIX.* 106. formulas *ironicas*, *parentheſes*, quae concitati ſpiritus interdum indices ſunt, & *vinacium idearum* cumulum produnt 1 *Cor. XV.* 56. Cetera e rhetorum adparatu addenda ſunt.

118. Reliqua non prorſus negligenda indicia, ſunt iſta: 8) ſi auditores vel lectores ſermone alterius ad affectum concitati ſunt, ſermonis auctor cum affectu dixit. *Luc. XXIV.* 32. *Act. II.* 37. 2 *Cor. VII.* 8. 11. Si enim conſtet a) de *obiecto* ſermonis, ad affectum commouendum apto,

pto, b) de *qualitate* & *statu*, tum eius, qui loquitur, tum eorum, qui compellantur; tunc & *potuisse* id fieri, & *factum* esse, non temere iudicabis. Aliter si est, affectum saepe concipit alius, ex re & oratione minime ad affectum idonea, & cum animus dicentis ab affectu fuit alienissimus. *Act. XXIII. 1. 2.* 9) Si quis eadem de re, cum affectu nunc locutus est; is pariter affectu incaluit, si alibi ad eosdem, vel eiusdem qualitatis & status homines, illa ipsa de re locutus est. Nam tunc non modo per *leges imaginationis*, idem recurrit affectus, sed *res* & *personae*, easdem quoque causas praebent affectui: nisi loquens sit talis, de quo suspicari possis, ipsa *consuetudine* refrixisse affectum, dum idem saepius dixerit. Quod de viris θεοπνεύστοις coniectare non licet. *Act. XX. 31. Eph. IV. 1. VI. 11. 2Cor. II. 4.* 10) vbi ordo verborum, in materia pathetica, praeter consuetum linguae & scriptoris genium, disturbatus est, ibi animus quoque dicentis, affectu perturbatus fuit. Nam confusa repraesentatio, mater affectuum, varia miscere

potest

potest in cogitando : quem cogitandi modum, sequitur modus dicendi.

* Haec regula postremum merito suo tenet locum, quia insolitus verborum ordo, aliis etiam e caussis proficisci potest. In primis cauendum, ne talis verborum ordo tribuatur affectui, qualis ipsi linguae, vel eius ornatui proprius & familiaris est. Ita quod *subiectum* est *propositionis logicae*, non ideo in sermone, primo loco vbique ponitur, sed frequentius praedicato subnectitur, ex ipso vel vsu vel ornatu linguae. Quare frustra ex eo colligitur affectus CHRISTI, quod *Matth. V.* 3. vox μακάριος, quae praedicatum est, subiecto suo anteponitur. Id namque ex vsu communi & fere perpetuo ipsius linguae fieri, docent omnia noui foederis exempla, vbi vox μακάριος cum verbo *sum*, de suo *substantiuo* praedicatur; ita vt vix vnum aut duo loca excipere possis. Taceo quod Christus ibi ebraice locutus est; (§ 81.) ebraei vero suum אשרי, more maxime recepto, in fronte ponunt. *Deut.* 33, 29. *Ps.* 1, 1. 2, 12. 32, 1. 2. 33, 12. 34, 9. 40, 5. 41, 2. cet. Ita & Latini frequentissime.

Sic quod *Matth.* 26, 38. scribitur περίλυπος ἡ ψυχή μου, id filius Dei cum affectu dixit. Sed in eo non est nota affectus, quod vox περίλυπος praemittitur. Consuetudo linguae id ferebat,

ferebat, *Marc.* 6, 26. vbi sane euangelista ideo non loquitur cum affectu, aut *emphasi affectuosa*, quod eandem vocem *substantiuo* suo praemittit. Quid? quod CHRISTVS apud *Matthaeum d. l.* inductus, tunc ebraice, dialecto Syro-chaldaea locutus est. (§. 81.) Quis nescit autem, ebraeos תֹּךְ נַפְשִׁי in hoc nexu postponere frequentissimo more? *Genes.* 12, 13. 17, 14. 19. 19. 20. 27, 4. 19. 25. 31. 49, 6. *Exod.* 12, 15. 19. *Num.* 23, 10. *Ps.* 34, 3. 42, 3. 44, 26. 62. 6. 63, 9. 72, 14. 88, 4. cet.

119. *Quales* in vnoquoque loco affectus indicentur, laeti an tristes, simplices an mixti, & quisnam ex his nominatim regnet? id, praecognita * affectuum indole, nisi in textu vel alibi, affectus ipse nominetur (§. *111*) constabit ex materia ** substrata, signorum *** natura, (§. *112. 118.*) comparata cum *qualitate statuque*, tum eius, qui affectum dicendo commouet, tum eorum qui commouentur.

* Facile patet, in irritum cadere laborem omnem, nisi cognitio affectuum in eo sit, qui scribentium affectus indagare instituat. Quocirca philosophi hic ante omnia consulendi sunt. Nam inuentio affectus in sermone

mone quodam, hoc syllogismo constat: Cuicunque haec definitio conuenit, illud est hic affectus. Atqui, huic quod praesens textus indicat, conuenit haec definitio: ergo cet. Notitia igitur ipsorum affectuum, semper efformat *maiorem* in isto syllogismo: quae, in *minori*, adplicatur ad casum determinatum, in textu obuium. Qui notitia debita affectuum non instructi sunt, illi facile, quiduis extraordinarium in sermone sibi visum, conuertunt in affectum. Quare videas, qui in sacris litteris *omnia*, vel *omnia propemodum*, affectus continere arbitrantur: quod caue opineris.

** Haec enim de *bono* vel *malo*, affectuum fonte ac parente, lectorem instruit. Id quod ad verum de affectu iudicium tamen non sufficit, quia non omnium est eadem de bono maloque mens & opinio. In sacris autem litteris non soli virorum diuinorum sermones memorantur.

*** Signa pleraque, sunt eiusmodi, vt affectui vni eidemque non sint propria, sed simul pluribus conueniant. Sic *lacrimae* PAVLLI *Phil.* III. 18. sunt affectus indices. Ploratur prae amore, gaudio, tristitia, ira & indignatione, misericordia, timore, cet. Nisi hic in subsidium vocemus 1) materiam substratam (*not.***) 2) *qualitatem & statum* PAVLLI loquentis 3) eorum ad quos loqui-

loquitur: nondum nominare licebit affectum, quem lacrimae PAVLLI denunciant. His autem simul sumtis, aditus patebit in affectum PAVLLI. Nempe amor, misericordia, tristitia, indignatio, metus, istis cum lacrimis prorumpunt.

Ita *clamor* CHRISTI *Io. VII, 37.* concitatiore voce editus, si cetera conferas, affectum subindicat. Sed *qualis* fuerit? *res* ipsa de qua sermo est, vna cum reliquis circumstantiis, indicat. Nimirum, *indignationis* aliquid CHRISTVS conceperat. *Amor* accedebat, seu miseratio. Quiddam etiam *gaudii* subrepere potuit, quando Seruator optimus maximus, animo subiicit largissimam donorum spiritus sancti, in suos redundaturam, vbertatem: nec non *glorificationem* sui, coniunctam cum effusione futura spiritus sancti. Nam vt ista duo, *re* coniuncta erant; ita etiam *cogitatione* connectebantur.

Ceterum sub finem huius capitis *regulae* de *examine historico* annectendae forent, vt supra factum est, Quoniam vero suis quaeque locis iam insertae sunt, huic operae parcere licebit.

* * *

DE

DE

EXAMINE SERMONIS SACRI LOGICO.

MEMBR. I.

DE

NEXV SERMONIS SACRI,

I.

De nexu generatim, & ratione, illum determinante.

RESP. IVSTO IACOBO CRAMERO,

Palaestra 15.

120. Logicum * examen dicimus, quo *generatim* ** disquiritur de nexu ac discrimine plurium conceptuum, quibus sermo sacer vt *vnum totum* constituitur.

* Distinctionis caussa, haec nobis adpellatio condonabitur, sicut paullo ante examen *philologicum* & *historicum*, cum praefatione veniae nominabamus. (§. 89) Logicae nimirum est, agere de *conceptibus*, quatenus inter se *connecti*, & rursum aliquo modo connexi, in plures *resolui* possunt ac debent. Quamobrem acturis de *nexu* & *partitione* sermonis sacri, commodior inscri-

ptio non succurrit. Qui enim de *nexu* agit, is *plura* vt *connexa*, considerat. Cumque ideo *plura* concipiantur, quoniam inter se *differant*: per id autem quod plura connexa inter se differant, *partes* constituantur: ideo *nexus* & *partitio* inseparabili tractatione examinantur. Porro, illi *conceptus* qui respectu reliquorum in eodem sermone, vt *scopus* reliquorum considerantur, ex ipso nexu illorum cum reliquis diiudicati debent. Quare *scopi* consideratio pariter huius erit loci.

Quocirca in *examine logico*, de

1) *nexu*
2) *partitione*
3) *scopo*

sermonis sacri agendum erit. Id omne autem *logicum* negotium dicimus. Strictior huius vocabuli significatus infra occurret, vbi de *nexu logico* pressius agetur, (§. 124.)

** *Generatim* hic tantum agitur de *nexu*, *partibus*, & *scopo*: hoc est ita, vt nondum omnia quae distingui possunt, necdum accuratissima eorundem cohaerentia spectetur. Id quod in subsequentibus, post *examen logicum*, dispiciendum erit. Hoc nimirum loco satis est ea distinguere, quae 1) sine intima textus notitia, lectori attento, vt distinguenda, & a *nexu* reliquo seiungenda occurrunt: & quae 2) ita in suas sectiones

ctiones discreta, filum quoddam praebent, quo dirigimur ad distinctiorem singulorum deinde contemplationem. Idem iudicium de *scopi* consideratione, quae non vlterius extenditur hoc loco, quam ad id, vt conceptuum determinatio accuratior, ad subsequens examen reseruanda, facilius & felicius procedat. Quamuis postea demum *exactior scopi notitia*, accedente conceptuum sermonis cognitione interiori, gignatur.

121. Nempe, examen *philologicum*, in se spectatum, huc tantummodo valet, vt conceptum huic voci respondentem, vtcunque distinguamus a conceptu qui respondet alii, vel eidem in alio nexu grammatico, vel in relatione ad aliam linguam, cuius vocabula, huius linguae vocabulis reddantur. Per id vero, characteres ipsorum conceptuum, & ea, quae conceptibus insunt, nondum cognoscuntur. Sed illa consideratio *philologica* praecedere tamen debet, vt habeamus conceptus in quibus meditando, cogitatio nostra versetur. *Examen* autem *historicum* (§. 89. *ss.*) determinationes addit, quibus vnus conceptus sub hac voce vel propositione possibilis, ab alio, sub aliis *circumstantiis* ae-

que possibili, magis distinguatur. Sed si accedit * cognitio *nexus*, *partium*, & *scopi*, tunc ille ipse *nexus* vnius propositionis cum alia, adeoque *partis* cum *parte*, quorsum & *scopus* pertinet (§. 120.*) vlteriorem addit determinationem; ideoque conceptus *propius intelligibiles* facit, (§. 28.) Quare examen *logicum* ordine debito nunc sequitur.

* *Examen philologicum* indicat, qui conceptus quibus vocibus & phrasibus designentur: characteres ipsos, qui *definitionem* conceptuum ingrediuntur, per se non suppeditat. *Examen historicum*, e modo quo hic potius quam alius sermo a caussa efficiente producatur, de aliqua in illo sermone conceptuum determinatione, iudicare docet. Sermonem igitur considerat secundum ea, quae sermonis *existentiam* talem vel aliam determinant, adeoque sermonis existentiam *antecedunt*. *Examen logicum*, de sermone qui hoc modo existit, ita iudicat, vt conceptus connexi se mutuo plenius determinent. Vbi plura, eadem de notione particulatim enunciata, nos in cognitionem illius propiorem deducunt. Id vero liquet, prius *obiectorum* sermonis sacri *classes* constitui oportere (§. 127.) quam de examine historico cogites. Sed istae classes, per

se

se valde sunt *notabiles*, vt, qui incidat in lectionem sacri codicis, eas vel reperiat discretas, vel in prima *lectione cursoria* easdem deprehendat. De *capitum*, & *versuum* N.T. distinctione, hic non loquimur, quam esse lubricam, fatentur omnes.

122. Sermo quilibet, adeoque & *sermo sacer*, constat *pluribus propositionibus inter se connexis*. Cum multitudo variorum, quae ad vnum aliquod constituendum connexa sunt, *totum* vocari soleat: exinde patet, sermonem sacrum considerari debere vt *totum* quiddam.

123. Cum in omni *toto* sit *nexus*, (§. 122.) sermo sacer autem sit* *totum* quiddam: (*ibid.*) *nexus* etiam in illo spectari debet. *Varia* illa, quae in sermone connectuntur, *partes* dicimus. Easque *maiores*, si plures propositiones ad eas constituendas connectuntur. *Minores*, si pauciores, vel vna propositio, easdem absoluunt. *Nexus* autem est, *relatio mutua* partium, per rationem quandam determinata.

* Facile patet, proprie hic agi de nexu *sermonis*, i.e. plurium propositionum, e quibus sermo constat. Igitur nexus vnius propositionis,

tionis, seu conceptuum in vna eademque propositione separata, stricte si loquamur, non est nexus *sermonis*, quem hic spectamus. Quanquam ad *sermonis partes*, omnis propositio cum aliis ad conficiendum sermonem connexa, omnino pertineat. Ibi enim sensus eius propositionis per alias connexas determinari potest.

124. Ratio praecipua, quae *nexum* in sermone sacro tanquam in *toto*, * determinat, est *harmonia* ** quaedam plurium propositionum, quae se mutuo declarant & probant. Atque hic *nexus* dici potest *** *logicus*, voce strictius accepta, vel, si malis, *systematicus*.

* Nimirum, 1) est quaedam *harmonia rerum*, quibus *harmonia conceptuum* de illis rebus formatorum, respondet. *Propositiones* autem enunciant illos conceptus harmonicos, & *mediantibus* illis conceptibus, rerum ipsarum sistunt harmoniam. Quocirca *rerum* harmonia est *ratio determinans remota*: *conceptuum* harmonia, est ratio propinqua. Conceptus autem exprimuntur *propositionibus*. Quare & propositionum esse debet harmonia.

2) Plures conceptus ita cohaerentes, sunt eiusmodi, vt sub vnum aliquem *communem* redigi possint, ita, vt plura quae eidem insint

sint vel adsint, separatim sumi, & in simpliciores, vel notiores alios, resolui possint. Ita, quae *Paulus* priore parte epistolae ad *Romanos* scribit, sub vnum conceptum *iustificationis* redigi possunt. Quamobrem talis *terminus communis*, est *ratio proxima determinans* nexuum, qui est inter propositiones omnes huc pertinentes.

Quando in pluribus conceptibus *characteres* ita sunt *harmonici*, vt vnus conceptus per alterum *intelligatur* & *verus* agnoscatur, tunc nexus proprie talis, & *sermoni* quatenus est sermo, maxime accommodatus, existit. Eo enim consilio disquiritur de *nexu* propositionum, vt nexus ille praeluceat intelligendis propositionibus, quae vnum totum sermonem constituunt. Sic *Io. IV, 24. modus adorandi Deum*, vna eius effati propositione enunciatur: *Deus in spiritu & veritate adorandus est.* Id partim *declaratur*, partim verum esse intelligitur seu *probatur* ex altera propositione connexa: *Deus est spiritus.* Nempe adoratio constat actibus *intellectus* & *voluntatis.* Intellectus ea cognoscit, quae Deo insunt, & relationem habent ad adorantes; talem puta, qualis propter Christum & per illum, concipitur. Hae repraesentationes, tanquam motiua, volitiones sibi respondentes excitant cet. Cum igitur Deus adoretur quatenus est *spi-*

ritus, i. e. ens simplicissimum, intellectu praeditum, *spiritualitas* autem Dei & relatio eius ad adorantem, non nisi *intellectu* (non sensibus externis) percipiatur: exinde patet, *adorationem* Dei non nisi *intellectu* voluntatem determinante, fieri posse. Objecta externa, quae sub sensum cadunt, quatenus aliquid eorum quae Deo insunt, & relationem Dei quam propter & per Christum ad nos habet, (hoc omne *veritas* a Christo vocatur) tantummodo figurant, *vmbrae* dicuntur, quibus in V. T. tanquam subsidiis puerilibus ecclesia vtebatur, & quae in N. T. cessare debebant. Si quis igitur, praesertim in N. T. *vmbras* illas sibi repraesentaret, secluſa *veritate*, is non *Deum* sed vmbras adoraret. Qui vero Deum in *spiritu* adorat, idem & in *veritate* adorat. Vides igitur, in conceptu *spiritualitatis* diuinae, & *adorationis* humanae, esse harmonicum quiddam, quod efficit, vt hae duae propositiones: *Deus est spiritus*, &: *qui adorant eum, eos in spiritu & veritate eum adorare oportet*, nexum habeant, seu, est *ratio determinans nexum*.

*** Quia modus cogitationes connectendi & per sermonem declarandi, logices adminiculis excolitur & in ea docetur. Nempe & aliae sunt rationes, nexum qualemcunque *plurium*, immo omnium sacri codicis librorum determinandi.

1) Sic omnes libri, *communi fine*, qui est, salus hominum per Christum, connectuntur 1 *Tim. III.* 15. *Act. X.* 43. *Io. XVII.* 3 cet. Ad quem finem cum omnes libri canonici se habeant instar mediorum: necesse est, illorum omnium, tum inter se, tum respectu finis, aliquem esse nexum. Qui nexus dici posset *finalis*, qui & locum habet in libris, vbi varia argumenta, pro *fine speciali* scriptoris, miscentur. De quo hic non magnopere dispicimus.

2) Sic quando *plures libri* eadem temporis periodo, (quam pro vno tempore assumimus) conscripti sunt, tunc nexum habent respectu illius temporis i.e. pro *vno toto* omnes habentur, quia vno tempore prodierunt. Talis nexus (quanquam non solus & vnicus) est inter omnes libros veteris testamenti. Qui nexus plane *accidentalis* (cuius generis plures esse possunt) hic pariter non spectatur. In eadem tamen historia nexus *chronologicus* facit, vt vna pars historiae, ex altera intelligatur. Quare ad nexum *logicum* accedit.

3) Huc refer & illum nexum propositionum, qui tantum determinatur per *leges imaginandi* quas anima sequitur. Ibi enim e. c. producto alicuius hominis nomine, itemque rei gestae loco, reproducitur cogitatio alia, cum qua *accidentaliter* ista connectuntur. Ita PAVLLVS *Gal. II. 6.* cogitat de *obiectione pseudapostolorum*, qua contendebant,

PETRVM & IACOBVM tanquam potiores *Apostolos*, & ipso cum CHRISTO tam diu versatos, a PAVLLO tanquam inferiore, dissentire, ac retinere circumcisionem quam tantopere PAVLLVS impugnabat. Ibi, nominato PETRO & IACOBO, per leges imaginationis in mentem PAVLLO veniebat, quid rei quondam inter ipsum & illos actum sit. Quare, dum proponit illam *obiectionem com.* 6. statim cum illa connectit quae gesta quondam fuissent inter ipsum, & seniores illos CHRISTI legatos *com.* 7 - 16. Ratio igitur, (quamuis non vnica, quod fatemur) determinans nexum, qui est inter illam, propositionem, qua obiectio pseudapostolorum continetur, (*com.* 6.) & inter reliquas *historicas* (*com.* 7. *ss.*) est in *legibus imaginationis*, quibus conuenienter spiritus sanctus in PAVLLO operabatur.

4) Denique & *nexus* aliquis in *abruptis* sententiis seu aphorismatis variis, eodem libro, vel libri parte, comprehensis, notari potest. Quando nimirum plura diuersissima effata, sub vnum *genus* seu vnam *speciem* referri possunt: e. c. si omnia, sint *officia* seu *virtutes* secundae tabulae: cuiusmodi in *proverbiorum* libro & *ecclesiaste*, plurima occurrunt. Qui nexus denuo ad *sensum* singulorum effatorum (de quo tamen hic agitur) parum conducit. Confer infra (§. 132 138)

* * *

II.

II.

De nexu speciatim.

1) Variae eius diuisiones.

XLIV. IO. GEORGIO GOMBELIO.

Palaestra 16.

125. Nexus *vniuersalis* dicitur is, qui est inter *omnes* propositiones *totius* cuiusdam *libri* biblici, vel plurium librorum, qui materiam connexam persequuntur, ideoque pro vno libro haberi possunt. *Particularis*, qui est inter *propositiones*, quae partem eius libri constituunt, & pro vno *toto*, *subordinato*, assumuntur, itemque, inter *tota* quaedam subordinata, seu *sectiones*: qui & ipse denuo *subdiuidi* potest, prout *totum* aliquod *subordinatum*, denuo aliud sibi *subordinatum* suppediat. Cum in sermone sacro, seu serie cogitationum, propositionibus comprehensarum, semper vna propositio sit *tempore prior* consignata, quam altera; hinc vnaquaeque *posterior* nexum habet cum antecedente, & vnaquaeque prior, cum consequente. Vnde nexus est cum *antecedentibus*, & *consequentibus*. Propositiones duae ita connexae,

nexae, vt inter illas alia tertia, vel plures aliae, non intercedant, *immediatum* habent nexum; si secus est, *mediatum*. Si *plures* propositiones * pro vno toto assumuntur, tunc non nisi singulae cum singulis, *nexum* habent *immediatum*. Reliquae nexum habent inter se, sed *mediatum*. Et quoniam (ex *hypothesi*) reliquae omnes *e. c.* cum prima connectuntur: planissimum est, vltimam *remotissime*, ceteras *remote*, & *propius*, cum illa prima connecti. Nexus propositionum saepe *particulis connectentibus* indicatur; itemque tali propositionum ad se inuicem habitudine, vt posterior demum, assumta ad priorem, efficiat, vt sensus intelligibilis & plenus exhibeatur. *Ephes. III. 14. ss.* In vtroque casu, nexus dicitur *explicitus* seu *expressus*. ** Contra *implicitus* vocatur, vbi ex natura propositionum, seu e conceptuum quos illae continent, harmonia, de nexu iudicandum est, tametsi nec adsit particula, nec pendeat sensus. *1 Io. III. 13. 14. 3 Io. II.* Compara ven. BAVMGARTEN *herm. s. §. 68.* Denique nexus *particularis*, vel est

internus

internus, inter *propositiones eiusdem partis*, interque partes eiusdem propositionis; vel *externus*, inter *plures partes diuersas*.

* Quod hic de *propositionibus* dicitur, id vlterius etiam extendi & paullo aliter concipi potest. Nempe, si sermonis, quem vt *totum* quid, assumimus, partes quaedam *maiores* (seu *principales*) constituantur, (e. c. duae partes maiores) & vnaquaeque illarum fusius, i. e. per plures propositiones connexas, deducatur, tunc ex illis duabus, totum istud *immediato* nexu constitui censetur. Posterior itaque cum priori, & v. v. *immediate* connectitur, quamuis non *proxime*. Non *proxime*, quia inter priorem & posteriorem interiacet (ex hypothesi) *elaboratio prioris*, i. e. propositiones omnes, per quas prior illa fusius declarata probata, vel applicata fuit. Exemplum esto, *Rom. l.* 18. *vsque ad cap. III. excl.* Assumamus hunc sermonem, pro vno toto. Agit enim de *iustificatione fictitia*, cuius *duas species* (huius sermonis partes) adfert PAVLVS: primam, quae fieri putetur per *legem naturaliter notam cap. I.* 18. vsque ad *cap. II.* 17. alteram, quae fieri fingatur *per legem* a MOSE allatam. Quare, duae istae *partes principales*, nexu *immediato* iunguntur, & *totum* illud *assumtum* constituunt, non intercedente parte alia principali. Sed elaboratio partis primae,

primae, continet multas propositiones *interiacentes*, a *com.* 18. *cap. I.* vsque ad *com.* 17. *cap. II.* quae interpositu suo efficiunt, vt prior principalis cum altera principali, *proxime* non connectatur. Nempe in huiusmodi casibus, τὸ *proximum* refertur ad *situm* propositionum, in sermone *elaborato*: sed τὸ *immediatum*, refertur ad *dispositionem* partium respectu *totius assumti*. Vnde, de huius distinctionis rigore & ἀκριβείᾳ iudicari potest.

* *Particula connectens* γὰρ *Tit. II.* 11. indicat nexum huius propositionis: *apparuit gratia* cet. cum priore: *oruandam esse doctrinam Dei seruatoris in omnibus.* *Illa* nempe *hanc* probat, vti fit in *nexu logico* (§. 124.) Quare h. l. est nexus *explicitus*, siue *expressus*. Sic quoniam particulae ἔπειρ & ἀλλὰ in *periodo composita*, *concessiua*, sibi mutuo respondent, ita vt prior particula notet *antecedens* periodi, posterior, eius *consequens*: nexus *expressus* vtriusque propositionis, *antecedentis* & *consequentis*, cernitur. 1 *Cor. VIII.* 5. 6. Ita *Rom. XII.* 4. 5. *XIII.* 8. 9. *XIV.* 16. 17. cet. Vbi tamen 1) *solis particulis* non insistendum, si conceptuum natura diuersum quid vrgeat vt *Act. XIX.* 4. 5. 2) Quando *particulae* variis significatibus sunt obnoxiae, quales esse *ebraeorum*, & (tum per *imitationem*, tum linguae ipsius *genium*) *graecorum*

noui

noui testamenti, satis constat : videndum est, ne sine ratione, vnum significatum minus congruum, pro altero congruo, assumamus, *Philip. ll. 9.* Consule B. RAMBACHIVM nostrum *herm. sac. lib. II. cap. V. §. 4. not. *** num. I. p. 202.* 3) In *nexu logico* propositiones vnum totum constituentes, vel se mutuo *declarant*, vnde particulae *explanatiuae*, *comparatiuae*, *exclusiuae*, *restrictiuae*, *aduersatiuae*, *copulatiuae* cet. locum habent : vel se mutuo *probant*, vnde *causales*, *illatiuae*, *disiunctiuae*, *conditionales*, cet.

126. Propositiones connexae *, quae datam aliquam antecedunt & sequuntur, (§. 125.) dici solent eius *contextus*. Sic & connexae *partes*, datam aliquam praecedentes & subsequentes, *contextus* nomine adpellantur.

* Vix vnius eiusdemque propositionis *termini*, cum dato aliquo altero termino connexi, *contextus* nomen habent : quod si quis tamen velit, non pugnamus. Ceterum *contextus* supponere videtur *textum* : qui, hoc loco, nihil esset aliud, nisi ipsa data *propositio*, vel *pars*, respectu aliarum propositionum vel partium circumiacentium. Alibi *textus* nomen gerunt, *ipsa* scriptoris cuiusdam *verba*, quatenus *glossemata* vel *explicationes*

cationes, *notae*, cet. ab illis distinguuntur. Porro in *arte homiletica textus* vocatur, destinata quaedam pars sacri codicis, vel alterius libri sacri, quam oratione sacra explicare, probare & applicare solemus.

127. *Obiecta* sermonis sacri, sunt res, seu conceptus, qui propositionibus sermonis comprehenduntur. *Argumenta* vero, seu *capita*, sunt conceptus quidam communes, ad quos reliqui, vnum constituentes obiectum, referuntur. (§. 124. * 2.) Speciatim *obiecta* sacri codicis dicuntur, *partes maiores* (§. 123.) ab aliis in eodem libro, quem explicandum suscipimus, distinguendae. Quas & *segmenta* dicere licet. Cum illa *obiecta* sermonis sint *partes*; & cum *partes* sint, *varia*, quae insunt vni *toti*, (§. 123.) *diuersitas* etiam obiectorum notari debet. Nempe *maxima* est diuersitas, quando plura vnius libri obiecta, *nexum* inter se *logicum* (§. 124.) habent nullum. Tunc diuersae eorum *classes* constituuntur. Si vero *nexus logicus* adsit, tunc *plura* obiecta *subordinata* pro *partibus* vnius *maioris*, habentur.

128. *Obiecta* & *argumenta* (§. 127.) sacri

cri codicis praecipua, sunt *Christus*, & conceptus, itemque propositiones de *Christo mediatore*, & de *ordine* diuinitus constituto, quo vti debemus ad obtinendum statum salutarem in hac & futura vita. *1 Tim. III. 15. Act. X. 43. Io. XVII. 3.* cet. Quorsum illa, de Deo & operibus Dei in regno gratiae & naturae, plurimis, pertinent, sine quibus dogmata, de Christo & salutis ordine, vel plane non intelliguntur, vel minus plene & commode. *Christus* plurima *fecit*, in quibus ratio est *salutis*, seu status *salutaris hominum*. Multa quoque ab omni aeuo fecerunt homines, & spiritus boni malique, vel conuenienter voluntati & factis mediatoris, vel contrarie. Denique totus *ordo* gratiae respicit *officia*, ad statum salutarem pertinentia. Quare obiecta sacri codicis generatim in *duas classes* seu *duo genera* redigi possunt, quarum vna classis *historias* * complectitur, easque *variae speciei*; altera, propositiones *dogmaticas*, seu *dogmata*. *Dogmata* rursus duas habent species; ita vt alia sint *theoretica* **, quae inseruiunt *notionibus* formandis, de rebus ta-

libus, quae non sunt in numero iurium & officiorum: alia *practica*, quae enunciant *officia*, & *modum* quo illa exsequamur.

* *Historia*, est complexus propositionum, quae *vel* rerum naturalium *Gen. II.* 10. *ss.* & artificialium *Exod. XXV.* 10. *ss.* ortum, indolem, statum, fata, enunciant; *vel facta* entium rationalium *Genes. I.* 1. *ss. III.* 1. *ss.* cet. siue *praeterita*, siue *futura*, (quo refer *vaticinia*) recensent.

** Dogmata *theoretica*, practice *tractari* possunt, quando formatis eorum notionibus, subiicitur influxus eorum in officia, seu ostenditur, quomodo iis vti possimus, vt *motiuis* ad officia, aut saltim, quomodo per illa deduci queamus ad motiua talia. Rursum dogmata *practica* a quibusdam *theoretice tractari* dicuntur, quando non nisi *notiones* eorum formantur. Quem vsum loquendi facile admittes.

129. Liber sacri codicis, (vel pars eius) tractans vnum idemque argumentum dicitur *vnius argumenti*. *Mixtus* autem vocatur, tractans argumenta diuersi *generis* aut *speciei* (§. 128.)

130. *Nexus historicus*, si sit historia rerum *naturalium*, * mundi adspectabilis, (§. 128.

(§. 128.*) remotius determinatur per *partium*, quae insunt rei describendae, structuram, successionem, situm, motum, per *causas*, a quibus exstitit vel mutationes subit, per *effectus* & *mutationes* ipsas, cet. Eadem fere ratio historiae *artificialium*. *Factorum historia*, causis, occasione, mutationibus ipsis, quae in certis rebus aut personis, loco, tempore, euenerunt, consequentibus, & *adiunctis* aliis, determinatur. Quoniam scriptor sacer, pro *occasione*, ad scribendum *oblata*, aut *fine proposito*, modo *nexum* istorum & successionis ordinem per omnia, *naturalem*; modo *liberiorem* ad suum propositum, obseruare potest; ideo ratio, nexum historiae tunc *propius* determinans, in *occasione* ac *fine* scribentis quaeretur.

* *Supernaturales* non excluduntur.

131. Argumentum *dogmaticum* (§. 128.) nexu gaudet *logico* (§. 124.) vbi propositiones vnius argumenti se mutuo *declarant* & *probant*: Libri *mixti** (quales fere sunt omnes) nexum mutuum argumentorum in illis occurrentium, non nisi *finalem* (§. 124. ** *num.* 1.) agnoscunt, nisi *hi-*

storiae cum *dogmatis* coniunctae, aut *theoretica* dogmata cum *practicis* copulata, *harmoniam* habeant *internam* (§. 124.)

* Inprimis huc refer *Psalmos* in vnum fasciculum collectos.

§. 132. Libri, vel librorum partes, quibus dogmata varia, *abruptas* per *sententias* inter se mixtas, traduntur, nexum habent tantummodo *finalem* (§. 124.** *num. 1.*) nisi alicubi certus sententiarum tractus, sub *vnum genus*, vel *speciem* vnam redigi possit. (*ibid. num. 4.*) Quod tamen ad sensum determinatum, proxime inueniendum, haut multum habet momenti.

De nexu speciatim.

2) Varia scriptorum sacrorum methodus.

RESP. IOANNE LAVERO,

Palaestra 17.

---

133. *Methodus* est * modus quo scriptores sacri vtuntur, in historiis & dogmatis proponendis, vt fine suo commodissime potiantur. Quoniam non tantum

tantum de *nexu & partitione*, facilius iudicari poteſt, cognita *methodo*; ſed ipſa etiam *methodus* e determinato quodam partium *nexu* exſiſtit: hoc loco illam attingere, non eſt alienum.

* *Methodi* vox, hoc loco paullo largius communicatur. Alias enim ea voce deſignatur modus quo ſcriptor collocat partes, obiectum ſuum dogmaticum, vt totum quiddam, conſtituentes. Hac ratione, methodus nihil aliud eſt, niſi nexus *internus* & *externus* quatenus hic poſterior eſt *logicus*. (§. 125. & 124.) Nos ſimul attendimus ad modum quem ſcriptor facer vt commodiſſimum eligit ad gigendos in lectore conceptus, vel certe ad excitandam eius attentionem ad aſſenſum iis praebendum: ſi e. c. vtitur *dialogo* potius, quam *epiſtola*, *poemate* potius quam oratione *proſaica* cet. vt adeo ipſam *elocutionis* formam, quatenus *exſtantiorem* differentiam tractationis obiectorum (§. 127.) parit, non plane excludamus.

134. *Methodus* ſacri ſermonis vel *logice* ſpectatur, quando *collocationem* propoſitionum, ad idem obiectum (*§. 127.*) pertinentium, aeſtimamus ex ipſa naturali cogitationum in aliqua re defixarum ſucceſſione, ſi & easdem in altero *ex-*

citare & probare nitimur (*§. 124.*) *Rhetorice* spectatur, si ordo ille *logicus*, & cogitandi modus, simul formam accipit e rhetorum * praeceptis.

* Nempe methodus *rhetorice* considerata, ipsa quoque nexum *logicum* habet, eoque respectu *logica methodus*, vel *dialectica*, dici potest. Per rhetoricam non nihil tantum *externae determinationis* accedit, qua logica methodus, veluti *magis naturalis*, nouo quasi *artificio* locupletatur.

§. 135. Methodus *logica* in sermone sacro *dogmatico*, *conceptum* aliquem, plura distincta continentem, ita resoluit, vt illa quae in eo distingui, aut praedicari de eo possint, singula, ex eo deducat. Et tunc vocatur *analytica*. Si vero plura illa, eo ordine, quo vnum ex alio intelligitur, prius exponantur, vt ex illis omnibus conceptus deinde formetur, ad quem haec omnia pertinent, tunc *methodus* illa *synthetica* vocatur. Si in eodem obiecto, vterque modus obseruetur; tunc *mixta* * vocatur ** *methodus*.

* *Mixta* plerumque obtinet in sermone sacro. Ita *Paulus* methodo *synthetica* vti videtur *Rom. I. 16. III. 27.* Nam *conceptum* iusti-

iustificationis explicare nititur. Ad quem intelligendum, opus erat *notione euangelii*, quam proinde praemittit *cap. I.* 16.17. deinde *notione legis*, quam tradit passim *cap. I. & II.* tum notione *peccati & reatus poenae vniuersalis*, quam habes *cap. I.* 18. 21 *ss. cap. II.* 1 *ss.* conf. *cap. III.* 9. vbi PAVLVS id ipsum fatetur. His praemissis, notio iustificationis, (ad quam intelligendam praemissa illa omnia valebant) demum formatur *cap. III.* 24. *ss.* Sed mox *cap. IV.* analytica methodus sequitur, vbi data *iustificationis notio*, vt vera & *vnica* probatur *testimonio diuino* quod exstabat in V. T. de *Abrahamo*, *IV* 2. & quod ipse *Dauid* perhibebat *com.* 6. cet. regrediendo ad *Abrahamum com.* 17. *ss.* Denique e data *iustificationis* notione, *iustificatorum* iura & beneficia praedicat *cap. V.* 1. *ss. caussam eius meritoriam*, & *ius* exinde *hominibus commune*, per comparationem cum Adami culpa communi, postea subiiciens *cap. V.* 12, *ss.* cet.

Ad hanc *methodum logicam*, refer etiam *syllogismos*, *enthymemata*, cet. Et quanquam codex sacer non vtatur *methodo mathematica:* (stultum foret hoc vel somniando fingere) est tamen, vbi *definitiones*, *axiomata*, *problematum resolutiones*, notari sobrie queant. *Ebr. XI.* 1. 6. *Rom. III.* 24. 25. & 28. cet.

** Mixtam quoque vocabis, si *aphorismatica* (de qua infra §. 138) interseratur *logicae*, si historica *naturalis*, *accommodatae*: itemque, si obiectum theoreticum practico, dogmaticum historico, innectatur.

136. Ad *methodum rhetoricam* (§. 134.) pertinet, si in sacro codice * *orationes*, ** *epistolas*, *** *chrias*, (maxime poeticas) (*) *parabolas*, *apologos*, (**) *dialogos*, cet. obseruamus, in quibus omnibus certus *partium nexus*, per certas regulas, arti oratoriae proprias, determinatur.

* In *orationibus* cum exordio connectitur *thema*; sequitur, si opus est, *explicatio* vel *narratio*: succedunt *argumenta*, finit *conclusio*. Quae partes vel omnes, vel aliquae inter se connectuntur, e. c. *Act. XIII.* 16-42. vbi habes *exordium* v. 16. sequitur *thema* Iesus Nazarenus *resuscitatus a mortuis*, vera fide amplectendus *est*. Quod facile supplebitur e contextu. Excipit *narratio com.* 27. *s.* Deinde *argumentum* a *testimonio Dauidis com.* 35. Denique *conclusio com.* 40.

** *Epistolas* in *N. T.* plures habemus, quanquam plerumque *mixtas* (§. 129.) ita tamen, vt partes earum vnius *generis* vel *speciei* (*ibid.*) dispositionem seu *nexum epistolarem* admittant, qui essentialiter a *nexu* logico non differt (§ 134.)

Ita 1) *inscriptionem*, 2) *propositionem*, 3) con-

confirmationem, 4) *conclusionem*, in epistola *Iudae* agnoscit B. RAMBACHIVS *h. s. lib. 2. cap. 4 § 9 not.*

*** *Psalmi* plerique sunt huius generis, si sunt *unius* argumenti, nec admodum diffusi. Exemplo sit Psal. XXXVIII. vbi I) *Thema* est: *Ne punias me o Domine. com. 2.* II) *Confirmatio*, quae constat caussis. *Prima* est: *Satis enim iram tuam iam sentio:* cui adiungitur (*com. 3.*) *amplificatio* per *distributionem*, *com. 4 - 16. Caussa secunda: Tu, o domine fiduciam in te positam, non adspernaris, com. 16. s. Tertia caussa: Confiteor lapsus meos com. 19. s.* III) *Conclusio* repetit thema, *com. 21 23.* Nec obstat, *precationem* hanc esse. Nam & precantium cogitationes cohaerent, ideoque *disponi* possunt.

(*) *Parabolae* quoque & *apologi*, *chriae* sunt. Eo tantum differunt ab aliis, quod hic propositiones, quibus thema *illustratur* & *probatur*, a rebus *figurantibus* sumuntur, siue iis talia tribuamus, quae per earum naturam eis tribui possunt, & vulgo eueniunt: siue eis affingamus aliquid per *prosopopoeiam*, neque *attributis* eorum, neque *ceteris* quae *nexum fictionis* ingrediuntur, contradicentem. *Priori* casu *parabolas* habemus *Matth.* XIII. 24 *posteriori*, *apologos Iud.* IX. 8. *s.* *Aenigmata* huc referre possis. De quibus *rhe-*

tores in vtroque genere *prosaico* & *metrico*, plura & subtiliora praecipiunt.

(**) *Dialogistica* methodus, in primis obseruatur in *Cantico*, & quibusdam *Psalmis*, si non integris, eorundem tamen aliquibus locis, cuius exemplum pro insigni qua pollebat sollertia, exhibuit B. RAMBACHIVS *d. l.* § 8. *not.* **. Nec incommode libris in *propheticis*, hoc interdum obseruabitur. Hic denuo methodus logica dominatur, & externa tantum forma eidem inducitur.

137. Methodus *historica*, (§. *133. 128.**) vel est *naturalis*, si rei descriptae partes, eo ordine, quo naturaliter sibi iunctae sunt, & quo sub certas classes commode rediguntur, *Apoc. XXI. 16. ss.* aut quo, per momenta temporis connexa, sibi succedunt, *Gen. I. 1. ss.* & quo res certis a personis gestae sunt, *1 Chron. XV. 1. ss.* cet. exponuntur: vel *accommodata*, si tantum pro occasione & fine scribentis, sibi coordinantur, (§. *130.*) *Iudic. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. Matth. XIV. 3. ss.*

138. Methodus * *aphoristica*, certas sententias, ad virtutis exercitium, & prudentiam pertinentes, vno fasce complectitur, nulla in singulis addita explicatione

ne ac probatione copiosa. (§. *132.*) Quare nexum ibi logicum rimari, est contra institutum scriptoris inaniter esse curiosum; nisi scriptor ab ista methodo interdum recesserit, quo facto hypothesis mutatur, & *mixta* occurrit methodus (§. *135.***).

* Methodus *stricte* dicta (§. 133.) in huiusmodi libros plane non quadrat. Vero simile est, auctorem libri *prouerbiorum* & *ecclesiastae*, illas quas tradit, notasse sententias, vt quamlibet, attentio ad casum obuium, seu experientia, cet. suppeditauit. Vnde sillua quaedam plurium sententiarum succreuit, quam vel scriptor ipse, addita praefatione, collegit in vnum corpus, vel alius quispiam idoneus auctor congessit, memoriaeque posteritatis commendauit, salua istorum librorum θεοπνευστία.

139. Coronidis loco, has habeto regulas. Vt nexum sermonis inuenias, 1) obiectorum classes constitue, (§. *127. 128. 129.*) quod vel *cursoria* lectione fieri poterit. 2) Attende diligentius ad notionem communem, ad quam omnes propositiones, vnum obiectum constituentes, harmonice consentiant (§. *124.*) Ita enim

rationem

rationem nexus habebis, ne *fingas* aliquem vbi nullus adest. 3) Compara nexum *vniuersalem* cum *particulari* (§. 125.) & ad reliquas nexuum species attende; (*ibid.*) particulis, nexuum signis, non insuper habitis (*ibid.*) 4) obserua *methodum* scribentis (§. 133. *ss.*) 5) Acquiesce tantisper in nexu *generali*, donec ad reliqua examina deuenias, quae *specialiores* demum nexus recludunt, ne nexus debitos praecipiti sollertia confundas, ratione sufficiente nondum perspecta (§. 120.)

MEMBR. II.
DE
PARTITIONE SERMONIS SACRI,
I.

De partium natura, cet.

RESP. HENR. CHRISTIANO RÜHFELIO,

Palaestra 18.

---

140. Qui *textum partitur*, is eo id facit consilio, vt *varia* quae textui insunt (§. 122.) attentionem ad singula successiue dirigendo, clarius, aut distinctius

ctius cognoscat, adeoque *totius* notionem luculentiorem, acquirat. Id enim nisi foret, ratio idonea prostaret nulla, quarè *totum* in partes resolueretur. Nimirum cognoscimus *ex parte*, & *per partes 1 Cor. XIII. 12.* Et quoniam illa *varia* eiusdem textus, singula *nexum* habent: (*§. 122.*) ideo ratio sufficiens, cur *haec varia* * simul *sumta*, vel *vnum* eorum, separate sumtum, pro vna parte deligas, quaerenda fuerit, partim *in nexu* singulari eorum, quae talem partem vt *vnam* constituunt, partim in *defectu nexus* eiusmodi singularis, respectu aliorum, quae propter illum defectum, ad partem datam adiungi nequeunt, sed obiectum aliud, seu partem aliam constituunt. Vnde liquet, 1) *partitionem debitam fieri non posse, nisi constet de nexu:* 2) *partitionem accuratissimam fieri non posse, nisi cognito omni nexu* vniuersali, particulari, immediato, mediato cet. (*§. 120. 125.*)

* Nempe *totum* illud, quod est *textus*, prius ante oculos habemus, quam ipsas partes hinc eruendas. Vt igitur partes discernamus, ratio quaedam directrix nos ducit. Analysis *textuum* in suas partes, talis est, qualis

qualis medicorum anatome corporis humani. Quare *partes* sermonis etiam *membra* dicuntur. In machina corporis, singulae *machinulae* nexum habent *internum*, & *externum* cum reliquis. Aliqua earum compages, ad membrum exstantius constituendum, sub *communem notionem* cadit, quae suo vocabulo exprimitur: *caput*, *brachium*, *pectus* cet. Hunc nexum qui non perspexit, is in resoluendis & ad viuum resecandis partibus, imperite, dissecat quae integra esse debebant, membra laniat, fibras discerpit, & loco resolutionis singulorum secundum nexus, commissuras, cet. caecam exercet carnificinam. Par est ratio *partitionis* in omni sermone, ac proinde etiam sacro, quem ὀρθοτομεῖν recte & ad viuum *secare* decet 2 *Tim. II.* 15. vt sensum, auctoris menti respondentem exactissime, deprehendamus, deprehensum ad *status varios auditorum* eo felicius transferamus. Sicut autem *anatome* idonea praestruit notitiam nexuum: ita non obstat illa notitia, quo minus inter dissecandum, noui subinde nexus intime latentes, explorentur. Par ratio nostri est negotii cet.

141. Varietas partium notanda est, si in partiendo rite versari velis. Cognoscitur autem ista varietas, si 1) partes considereres

sideres in *relatione ad assumtum aliquod totum*, cuius *membra* (§. 140.*) sunt, quas partes dicimus. Nempe, quae partes nexu *immediato*, totum suum constituere concipiuntur, ita vt nulla earum, alteri parti, subordinato nexu, adhaereat, (§. 125. *not.*) illae dici possunt *primariae*, seu *membra praecipua*. Contra, si quae partes aliae ex his nascuntur, illae sunt *secundariae*. Deinde 2) partes considerari possunt respectu conceptuum quos exhibent. Vbi vel sunt *simplices*, si loquens, illos conceptus, in plures inde euoluendos, non diduxit: vel *compositae*, si contra. Vnde liquet, vnamquamque *partem compositam* denuo considerari posse vt *totum* quiddam in varia resolutum, hoc est partibus suis instructum. Itemque vel sunt *necessariae*, necessitate explicationis & probationis in se spectatae; vel *accessoriae*, ad commoditatem, *explicationis*, *probationis* vel *affectus* declarandi, prudenter additae. Inter *posteriores*, sunt *digressiones** & *parentheses*.

* Plures propositiones, quae cum parte quadam, in primis secundaria, cohaerent quidem, nexu logico, sed fusius tamen deducunt eam, quam ad ordinariam expli-

explicationem & probationem, pro ceterarum partium mensura, foret necessarium, dicuntur *digressiones*. Quae vel *maiores*, vel *minores*, esse possunt. 2 *Cor. XI.* 16. - *XII.* 12. *Gal. IV.* 24 - 28.

Interposita propositio vna vel plures, inter praecedentem, quae sensum incoauit, & subsequentem, quae sensum incoatum absoluit, *parenthesis* dicitur. 2 *Cor. IX.* 9 10. Si quis parentheses grammaticas *minutiores* agnoscat; eas hoc loco non curamus.

142. Praeterea 3) & *ordo* partium spectari debet, ad cognoscendam earundem varietatem. *Ordo* partium, est modus, quo singulae iuxta singulas & sub singulis collocantur. Qui ordo vel determinatur per *interna*, i. e. per ipsos conceptus quos exhibent, prout vnus ex altero intelligitur, adeoque vnus *prior* est altero, in modo cogitandi: vel per *externa*, i. e. per *methodum* liberam scribentis aut loquentis (§. *133.*) Quare *prior* ille ordo dici poterit *internus*; *posterior*, *externus*. Vnde, * pars omnis, quae continetur sub alia parte, dicitur eius *subdiuisa* seu *subordinata*. Alia vero, sub qua continetur, huius respectu dicetur *diuisa* seu *sub-*

ordi-

ordinata. Quae, si denuo ** alteram contineat, noua *subdiuisa*, & ita porro, nascitur, vt adeo subdiuisas *primi*, *secundi*, *tertii* cet. ordinis, constituere liceat. Spectato hoc ordine *gradus* partium obseruantur, hoc est, *relationes* partium, quibus vna pars ab altera *distare* concipitur. Quae distantia determinatur, si respicias ad *totum*, quod illae vel *immediate* constituunt, vel *subordinatione mediata*, hoc est quod altera alteram in se continet. *Aequalitas* graduum, est *identitas* distantiae. Vnde liquet, partes eiusdem totius, *primarias*, (§. 141.) esse in *aequali gradu*, velut *collaterali*. Porro vnius eiusdemque partis, *subdiuisas*, quae sint omnes *primi ordinis*, pariter in eodem esse gradu. Contra, *primarias* cum *secundariis*, *subdiuisas* primi ordinis, cum subdiuisis secundi ordinis, itemque secundi cum aliis, tertii ordinis, cet. esse in *gradu inaequali*. Qui eundem modum in partiendo seruat, vt gradus in singulis membris secundum eandem regulam determinet, is *analogiam* partitionis obseruare dicitur. Quod ipsa etiam de partium *denominatione*, suo modo valet; infra (§. 151.)

* Haec minuta cuiquam videri possint. Sed quoniam *regulae hermeneuticae* artificiales esse, ideoque conceptus, qui easdem ingrediuntur clari esse debent, nisi *confusionem* admittere velis: (§. 21.) nihil superuacuum dici debet, quod vsum in hoc genere praestare possit.

** Nempe: respectu *totius*, omnis pars *secundaria* (§. 141.) est pars *subdiuisa*, quia continetur in parte *primaria*. *Subdiuisa* secundariae, *proxime* determinatur per *secundariam*, *remote* per *primariam*. Hoc discrimen si quis non obseruat, necesse est, vt gradus partium commisceantur, & ratio quae vnamquamque determinat *proxime*, negligatur. Quo facto, facilis in turbulenta lapsus est.

143. Visa partium natura & varietate: ipsa sequitur *partitio*. Quae est actio, qua partes sermonis sacri *notamus*, *disponimus*, seu ordinamus, ac *denominamus*. *Notantur*, cum varia in assumto vno sermone tanquam toto, seiungimus. *Disponuntur*, seu *ordinantur*, (si nexus adsit *systematicus* (§. 124. 130. 131.)) cum *primariae secundariis*, (§. 141.) *subdiuisae diuisis* rite aptantur, seruatis vbique *gradibus* (§. 142.) *Denominantur*, si apto adhibito vocabulo singulae insigniuntur.

144.

144. Integri sacri codicis libri, si sunt *mixti* (§. 129.) tunc partes eorum, seu *obiecta*, (§. 127.) ipsa *argumentorum* varietate, satis se distinguunt.* Ibi igitur *notare* partes, in promtu est. Sed *dispositio* non est necessaria, quoniam non aliter cohaerent, nisi tanquam se mutuo antecedentes & subsequentes, pro iudicio prudente, ac voluntate scriptoris, hoc est *finaliter* (§. 124. *** 1.) *Denominatio* in isto casu tantum *numerat* obiecta,** & *argumentis*, prout fert *materia*, dat adpellationem. Quodsi *obiecta* in libris mixtis, singula, vel quaedam, habeant in se *nexum systematicum* tunc *ordinatione* partium *internarum* (§. 125.) opus esse, facile patet. De quo in sequentibus.

* Exemplo sit, *epistola Iacobi*, vbi varia officia, & dogmata, pro arbitrio scriptoris sacri, proponuntur. Ita tamen, vt quaedam nexu systematico gaudeant: vt *cap. I. 22 ss.*

** Sic in epistola Iacobi, si numerare libuisset partes antecedentes, vsque ad *c. I. 22* tunc pars haec a *v. 22 ss.* diceretur *c. 2. tertia*, *quarta*, *quinta*: & a *materia* tractata, nomen sumeretur *h. m. officia circa verbum diuinum*. Quanquam, si numerus obiecto-

rum fit copiosior, & obiecta breuius tractata; ne *numeratione* quidem opus erit.

145. Liber sacer *vnius argumenti*, nexum logicum a capite ad calcem porrigit, adeoque omnia in illo, atque hinc omnes eius partes, *systematice* (§. 124.) cohaerent. Id vbi accidit, necesse est, vt omnia *sub communi quadam notione* comprehendi queant. Quod equidem fieri in obiecto *dogmatico*, (§. 131.) & certa quoque ratione in *historico* (§. 130.) oportet. Nempe liber vnius argumenti (ex hypothesi) totus quantus est, *eadem* de re agit, de qua, plurima enuncientur. Quoniam itaque omnes eius libri partes ad *eandem* istam *rem* referuntur, omnes quoque cohaerent ad vnum totum (§. 123.). Sed in obiecto *dogmatico* nullae possunt aliae propositiones cogitari, quam *explicantes*, *probantes*, *illustrantes*, *applicantes*. Quare omnes obiecti dogmatici *partes*, talibus e propositionibus constare debent. Istae igitur omnes 1) sub *communem notionem* rediguntur, quae *totum* illud diffusum, in compendio, sicut semen arborem, exhibet. 2) Haec notio

tio determinat deinde *partes*, tum *primarias* tum *secundarias*. Porro exinde *gradus partium* concipiuntur, & denominantur. (§. 141. 142.) Vbi fieri tamen omnino potest, vt scriptor facer, *ordinem* arbitrarium, grauibus de caussis subinde sequatur, salua partium natura.

146. Liber *historicus mixtus*, h. e. historias plures diuersas (§. 129.) pertractans, eodem modo, sicut *dogmaticus mixtus*, dispescitur. (§. 144.) *Historicus vnius argumenti*, sicut *dogmaticus eiusdem argumenti* (§. 145.) Nam & eiusdem historiae partes, se mutuo explicant & declarant. Atque nonnullae illarum partium, *compositae*, adeoque * *subdiuisarum* secundae, esse possunt. (§. 141.)

* *Historiae* vel interseruntur dogmaticis, tunc ad *illustrationem* pertinent, & inter argumenta explicantia vel illustrantia referuntur: (§. 136.) vel *solae* ponuntur ad informationem lectoris de facto quodam (§. 137.) In ipsis vero *historiis* quaedam facta & circumstantiarum momenta, sunt *praecipua* seu *primaria*, quaedam *secundaria*. Quae distinctio partitionem earum dirigit eodem modo sicut in dogmaticis (§. 141. 142.)

147. *Partes* libri sacri, seu *obiecta specialia*, (§. 127.) quae & *sectiones* seu *pericopae* vocantur, si nexum habent *systematicum*, (§. 124.) non aliter in partes tribuuntur, quam integri *eiusdem argumenti* libri (§. 145.) Nam & ipsae in tali casu, non minus vt *vnum totum* assumuntur, quam integer eiusmodi liber. Quamobrem & partes, vel plures vel pauciores, pro quantitate totius assumti, eodem * modo, constituuntur, habita tamen ratione *contextus* (§. 126.) per quem non nulla necessario determinantur, praecipue, si tale obiectum speciale, sit *pars contextui subordinata*, aut classis alicuius *subdiuisa*. (§. 141. 142.) Partes vero singularum propositionum, *subiectum* puta, & *praedicatum*, tanquam *minutiores* quam pro *generali* partitione, (quae huius loci est (§. 120.)) ibi notari possunt, quando *conceptus* ipsi curatius euoluuntur.

* Exempla adferemus, tum *dogmatici* argumenti, tum historici.

Primum sumemus e *Phil. III.* 17. *fin.* quod est *practicum*, & facillimae partitionis. *Notio communis* in ipso textu latet v. 17. *Imitatio seruorum Dei*: vbi occurrit I.

I. prouocatio ad imitationem
1) ii qui prouocantur v. 17 *fratres.*
2) imitatio ipsa, *estote imitatores mei, & spectate* cet.
a) respectu aliorū, qui similes apostolis,
b) respectu Apostolorum.
II. Motiua imitationis.
1) multorum mores periculosi.
a) multitudo eorum *v.* 18.
b) indoles deploranda *ib.*
c) exitus eorum
α) pernicioſus *v.* 19.
β) ignominoſus, *ib.*
2) Paulli & aliorum contrarii mores qui deſcribuntur
a) ab indole caeleſti *v.* 20.
b) ab extiu glorioſo. *v.* 21.

Alterum ſit *Rom. I. 16. - cap. VI.* vbi obiectum pariter *dogmaticum* (§. 128.) cernitur. Quare propoſitiones omnes a *cem. 16. cap. I.* vsque ad *cap. VI.* cadunt ſub *vnam notionem communem* (§ 145) quae eſt: *inſtificatio peccatoris, per fidem.* Dabimus *ſciagraphiam* partitionis, ſed rudiorem, *omiſſis ſubdiuiſionibus*: vt tantum appareat modus partiendi, (§. 141.) & partium varietas atque gradus, generatim. In parte I. ad minutiora, (ſeu *partes ſimplices*) deſcendimus, eo tantum conſilio, vt partitionis analogiam oſtendere poſſimus, quamuis recordemur, hoc loco tantum *generatim* agi (§. 120.) de partitione. Haec excuſatio etiam infra valebit. (§. 151. *)

I. *Prin-*

I. *Principium cognoscendi* iustificationem, est, euangelium, *v.* 16. 17. summa pollens praestantia, quae

1) *declaratur*, vt
   a) supernaturalis, *v.* 16.
   b) vniuersalis, *ibid.*
2) *probatur v.* 17. reuelat enim modum iustificationis.
3) *illustratur* a contrario effectu legis, quae iram, non iustificationem reuelat, *v.* 18. vbi
   a) lex naturae paganis nota, *v.* 19. - *fin.*
   b) lex Mosis, Iudaeis data, cap. II. cet.

II. *Modus iustificationis*

1) explicatur per partes, vbi
   a) *gratia Dei*
   b) *meritum Christi*
   c) *fides c. III.* 24.
2) probatur *cap. IV.*
   a) exemplo Abrahami *v.* 1 - 6.
   b) testimonio Dauidis *v.* 6. &c.

III. *Consequentia* iustificationis *cap. V.*

Vides hic tres partes *primarias* I. II. III. vt supra dictum, (§. 141.) Pars prima *primaria* habet denuo tres *secundarias*, easdemque respectu primariae, *subdiuisas*, 1) 2) 3) Pars prima *secundaria*, denuo habet duas *subdi-*

subdiuisae, a) b) vt monitum fuit (§ 142.) Iam ad *gradum* partium quod attinet, facile videbis, partes I. II. III. esse in *gradu aequali*, respectu totius, quod ex illis *immediate* conficitur (§. 125 *) Porro & partes 1) 2) 3) denuo esse in *aequali gradu*, quoniam eodem modo ad partem principalem suam *num. I.* tanquam ad *totum* suum constituendum, *immediate* referuntur. Par ratio partium a) b) respectu partis 1) cet. sicut expositum (§. 142.) Contra partes *num. I.* 1) & a) inaequalibus ad se mutuo gradibus referuntur.

Alterum exemplum, idque facillimum, sit *historicum*, *Matth.* I. 1-18. nisi quod ibi partes *subdiuisae* cernuntur nullae. Id tamen exinde patet, omnes illas propositiones, a *com.* 1-18. *sub vnum conceptum* communem redigi, qui est *genealogia Christi*. Quem conceptum ipse *Matthaeus* suppeditat *com.* 1. sicut & in ipso argumento *dogmatico* interdum faciunt scriptores sacri.

148. Quoties *partes compositae* occurrunt adeoque *subdiuisarum* secundae; (§. *141.*) toties & ibi *conceptus communis* quaeri debet, sub quem contenta omnia redigantur, si nimirum ille conceptus communis, commodam subministrat ra-

tionem, *subdiuisas* partes determinantem.* Ita fiet, vt hoc quoque loco, nulla pars *subdiuisa*, sit sine apposita ratione.

* Exemplo sit §. 147. *num.* I. 1) 2) 3)

II.

De partium dispositione, denominatione, cet.

RESP. FRID. GOTTLIEB. CASPARI.

Palaestra 19.

---

149. *Dispositio* partium (§. *143.*) est vel * *externa*, quae partes sumit eadem serie, qua ponuntur a scriptore sacro: vel *interna*, quae partes determinat ex notione communi, pro naturali cogitandi modo, quo eas inde eruimus. *Internam*, si res poscit, e tota pericopa probe perlecta, colligere ante ** licebit, quam ad *externam* procedamus. Multum enim ita adiuuabimur, ad *externam* rite formandam, sobrio tamen adhibito iudicio, ne quid ex ordine scriptoris, luxemus violenter, aut textui inferamus, quod ei non insit.

* *Externam* dicimus, non quod extra sermonem

nem sit, sed quod *ipsi rei tractatae*, si illa *in se* spectetur, & modo cogitandi *rigido*, ad finem speciales scribentis non relato, non *insit* necessario, sed libere vsurpetur a scriptore.

** Exemplum habes supra (§. 135. *) quod conferre poteris, nisi graue sit, cum altero, vbi *ordinatio externa* partium rigide seruatur (§. 147. *.)

150. *Denominatio* partium supereſt. Dum *partium* denominationem quaerimus, necesse est, vt ad *denominationem totius*, recurramus. Cum *notio* quaedam *communis* requiratur (§. 145.) quae totum illud diffusum, in compendio exhibeat, & partes propius determinet: non est obscurum, ipsam quoque *notionis* illius *denominationem*, esse eiusmodi, quae partium denominationem determinet. Quare, determinatio illa notionis communis, est *regula* denominationis partium, qua fit, vt omnium partium nomina, in vno isto, quod est regula, conspirent, adeoque *perfectionem* debitam acquirant. Et quoniam *pars* quaelibet *composita*, pariter *notionem communem subordinatam*, requirit: (§. 148.) cui nomen suum imponendum est:

est: id quoque nomen necesse est per nomen prioris, quod notioni *totius* inhaeret, determinari. Quare * *denominatio partium fieri debet secundum eandem regulam.* Agitur autem hic, de nexu *logico* (§. 145.)

* Repete, si placet, exemplum supra memoratum. (§. 147. *not.*) Ibi videbis a notione communi *totius assumti*, partes omnes denominari. Erat illa notio: *iustificatio peccatoris per fidem.* Videbis, per partes I. II. III. illam notionem ita regnare, vt vbique nomini imponendo inseruiat. Et quoniam notio euangelii, cohaerebat notioni iustificationis: inde factum est, vt partes numeri 1) denominationem suam ab euangelio acciperent, h. m. *praestantia euangelii* a) *supernaturalis*, b) *vniuersalis.* Clarius id patebit, si sumas numerum III. qui indicat, capite V. epistolae ad Romanos contineri *consectaria iustificationis*: qualia sunt *pax* cet. Pax ista, cum ceteris ibi memoratis, hoc nomine etiam insigniri poterat: *bona regni gratiae:* itemque: *praerogatiuae piorum* cet. At vero, ita futurum erat, vt non *partes* denominaremus. Quippe illa *extra totum suum constituta*, omnino sic adpellari poterant: sed quatenus sunt partes *totius*; alia fuit *denominandi regula.*

151.

151. Qualibet in parte, duo distingui possunt, 1) *materia*, seu conceptus, qui latent in verbis, illam partem constituentibus; 2) *forma*, seu relatio eius materiae portionis, ad reliquas partes, vel ad *conceptum communem*, qui *totum* illud in compendio exhibet, & materiae summam, iam denominat. Quare *duplex* ille *respectus*, etiam in *denominatione* partium, regnare debet: vt pars omnis* *hinc* a *denominatione notionis communis*, *illinc* a *modo nexus sui*, tum respectu notionis illius, tum respectu ceterarum partium, denominetur, nisi alterutra denominatio, ex serie aliarum partium iam denominatarum, intelligatur, vbi repetitione non est opus. Posterior denominatio *terminis artis* & *methodi* (§. 133.) (in nexu systematico, de quo loquimur) carere non potest, nisi forte ** *verba ipsius textus* nomina partium *immediata* suppeditent.

* 1) Exemplum repete, e (§ 147. *not.*) vbi adparebit, 1) iustificationis nationem communem determinare omnia. Sed iustificationis notio, *materiam* tractatam respicit. Cum vero partes ex illa deductae, partim

probent,

probent, partim *explicent* & *illustrent*, necesse fuit haec *artis* & *methodi* nomina, certis partibus imponere. Quae, tametsi *philosophica* dicas, nihil tamen ab illis est metuendum; quia 1) sunt *notissima*, & maxime *natiua* 2) qui hermeneuticam docet, is docet *artificialem*, & versatur cum eruditis, vnde 3) si qua etiam magis philosophica nomina occurrant, vt est supra (§. 147. *not.*) *principium cognoscendi*, cet. non est, quare metuas censuram; dummodo a) non abutaris acumine philosophico, in fraudem simplicitatis, & b) distinguas loca & tempora. Aliter in *templo*, aliter in *cathedra* loquendum est. Relege, quae supra de *methodo*, e qua partes denominantur, obseruata sunt (§. 136 *)

** Exemplum adfert B. RAMBACHIVS *h. s. p.* 245. ex 2 *Cor. IV.* 17. vbi ponit

I. afflictionem, cuius occurrat
1) breuitas, παραυτίκα,
2) leuitas, ἐλαφρὸν
II. afflictionis catastrophen,
1) indicatam, κατεργαζεται,
2) exaggeratam,
a) a pretio gloriae,
b) duratione,
c) excellentia infinita.

Vbi obseruare licet, *terminos artis* pro re nata, adhiberi, & eodem iure terminos in ipso

ipso textu latentes. Nimirum, in exemplo superiore, termini in textu, denominant *partes simplices* (§ 141.) Simulae vero *compositae* occurrunt, quarum contenta sub notionem communem erant reuocabilia; notio illa communis *terminum artis* poposcit, *num. II.* 2) Quocirca scienter & ingeniose vir beatus subiicit: *Equidem terminis philosophicis atque etiam graecis res saepe breuius & rotundius exprimi potest: si tamen illorum loco adhiberi possint adpellationes, quae membri illius naturam & argumentum designant, rectius procul dubio, illae vsurpantur.*

2) Est nimirum, vbi scriptor facer, *partitionem* suam denominat, *termino etiam*, abstractae seu communi notioni respondente: siue id fiat *post partes* iam deductas, siue *initio*, cum partitio incipit. Ita PAVLVS finitis argumentis probantibus, quibus *Rom. II.* & *III.* vsus erat, subiicit *cap. III. 9.* se *probasse antea*, (sic enim scholiastes graecus vocem προητιασαμεθα reddidit) *reatum peccati*, *communem* omnibus hominibus. Sed idem PAVLVS, epistolam ad *Galatas* exorsus, ante ipsam partium tractationem, partes denominat 1) *apostasiam Galatarum metuendam*, 2) *vnicitatem* (sit venia rotundo vocabulo) *euangelii*, *Gal. I. 6. 7.*

152. Partitio dextre vt adornetur, has e supe-

superioribus in vnum nodum colligemus *regulas: 1) totum obiectum partiendum semel iterumque perlege, vt conceptum *totius*, quantum licet *clarum*, acquiras, (§. 122.) siue, vt scias quidnam pro vno toto assumtum sit. 2) Si *obiecta maiora* in vno libro plura occurrunt, (§. 127. 129.) eademque nexu logico interno coagmentata, (§. 124. 125.) illa sic distingue, acsi plures libri diuersi forent partiendi. 3) Ad partes *primarias*, (§. 141.) prima lectione potissimum attende, & *subdiuisas*, lectioni secundae vel tertiae, reserua. 4) Si prima lectione conceptum totius vtcunque clarum, obtinuisti, *ordinem internum* (§. 142.) mente agita, vt *rei ipsius* meditatio, (scripturae conformiter instituenda,) in mentem scriptoris sacri, adeoque in partitionem ab ipso factam te deducat: euitata tamen omni violentia. Hoc enim eo inseruiet, vt *methodum* eius *arbitrariam*, si talis sit, (§. 149.) rectius agnoscas. 5) In ipsa partium *dispositione*, tam diu serua ordinem *externum*, quamdiu cognitio & explicatio *interni*, per illum non fit difficilior. (§. 133.

123. ff. 149.) 6) Tum in *dispositione*, tum in *denominatione* partium, *analogiam* observa. *(§. 142.)* 7) In partibus textus *historici (§. 137.)* tam diu ordinem *partium naturalem* i. e. *chronologicum* defende, quam diu de *methodo accommodata (d. l.)* certius non constet. 8) In *denominatione* partium, eam praefer denominationem quae magis est *analogica*, alteri, quae est minus talis, quamuis haec altera, parti subdiuisae in se spectatae, aptior fortasse videatur. *(§. 142. 148.)* 9) Vt praeiudicium auctoritatis euites, sume codicem nondum in sectiones diuisum, vel saltim sectiones illas quae adsunt, nondum pro ** regula assume. *(121. *)* 10) Post operam tamen tuam, alios eadem opera functos, in consilium adhibe. 11) In primis ad indicia partitionis, in ipso textu obuia *(§. 151. *2.)* vel alibi libris in canonicis commonstrata, diligenter attende. 12) Memento, te *generatim* partiri, nec ad minutiora descende, praecipiti ac poenitenda sollertia, *(§. 140. 120. 139. num. 5)* 13) Incipe a facilioribus, i. e. a pericopis breuioribus dogma-

 ticis

cieis vel historicis, quia *notio totius clara*, sic facilius acquiritur, attentione minus late producta (*supra num. 1. 2. 3. 4.*)

* Regulae quaedam *generales*, aliae *speciales*, constitui possent. Quod facile quis faciet, iis praestructis & paullum evolutis, quae superius adfuerunt. Ita e. c. 1.) *plures non sunt partes constituendae, quam insunt textui*: haec regula generalis est, quam demonstrare licebit e definitione *totius* & *partis*, hoc modo: qui totum in partes tribuit, is varia quae insunt toti, non vero alia, quae toti non insunt, a se inuicem distinguit. Qui ergo plures partes constituit, quam quae insunt toti assumto, is non *totum ipsum* in partes dissoluit, sed aliquid extra totum illud fingit: ideoque *infert sensum in textum*, quod communi lege vetitum est. (§ 52) Par est ratio regulae alterius: *pauciores non constituendas esse partes, quam insint toti*. Nam, pauciores qui constituit, is vel vnam alteramque omittit, adeoque textum mutilat: vel distinguenda in textu confundit; atque ita, vtroque modo, *sensum* violat, quod est contrarium regulis hermeneuticis. (§. 1.)

** Nempe, quod attinet ad *vetus testamentum*, sola *distinctio in versus* per accentum ordinarium, *auctoritatem diuinam* habet apud

pud eos, qui signa ista grammatica pari pietatis affectu, quo sermonem ipsum, exosculantur. Apud ceteros *canitie* valet, ac *veneratione prouidentiae* diuinae. *Maiores* autem *distinctiones*, in *sedarim* & *perakim*, *paraschas* item & *haphtaras*, denique in *capita*, quae singula certo versuum numero constant, sola commoditas ad externos vsus, eademque caeca saepe, & a nexu textus proprio aliena, peperit. *Carminum* ebraicorum *pedes* & *regiones* ignoramus; quod mirum non est; cum & illi ignorasse, saltim accentibus additis, id artificium prodere non voluisse, videantur, qui *metricos* verborum custodes primum dederunt. Nam & graecos versus minime per accentus mensurari, constat.

Veteres nimirum, *continuo tractu*, nulla intercapedine, scripserunt, nullo sectionum addito indicio. Si qui rerum indices, hos vel in capite libri, vel in calce ponebant. De quo PLINII *praefatio ad histor. nat.* & IVSTVS LIPSIVS *epist. misc. Centur. III. ep.* consuli possunt, de AVLO GELLIO. vt nihil addam. Atque illos indices in ipsum sermonis contextum ingerere, non decebat, quod a grammaticis interdum factum esse, quis dubitet?

De *nouo* testamento, vt nominatim aliquid addamus 1) doctores christiani veteres, eccles[ia]-

rum antistites, & praecones euangelici, in *varias pericopas* seu *pensa*, diremerunt textum sacrum. *Graeci* περιοχὰς ἀναγνώσματα, τίτλους, περικοπὰς, *latini*, *canones*, *sermones*, cet. vocabant. Atque praeter istas sectiones a) denuo habebant *capita*, vel *capitula*. Ita e. c. *Marci* euangelium, habebat τίτλους 48, & *capita* 236. *Lucas* τίτλους 83, *capitula* 384. Est etiam, vbi *capita* maiores sectiones, *capitula* minores designant, cet.

Distinctio autem N. T. in *capita* & *versus*, quae nostro saeculo viget, itemque versuum in *commata*, *cola* cet. sane recentior est, nec vbique retinenda.

Cum tota hac dissertatione de nexu confer pag. 291—295.

MEMBR. III.

DE

SCOPO SERMONIS SACRI,

I.

De scopo generatim.

RESP. CHRISTIANO PHIL. LVD. NEBELIO.

Palaestra 20.

153. Ea, quae continentur sacris litteris, Deus ipse non modo consignari iussit, verum etiam scriptoribus sacris suggessit. Cum Deus ille sit sapientissimus,

mus, & nihil non sapienter agat; sapiens autem, actiones suas vt *media* vsurpet ad consequendum aliquem *finem* seu *scopum*: necesse est, vt sermo a scriptoribus diuinis consignatus, habeat, *scopum*, seu sit medium, ad consequendum finem, quem Deus intendit. *Sermonem* vero elegit pro medio, non aliud quiddam. Quare, ex eadem sapientia, id nos consequi voluit per sermonem, ad quod sermo in se * spectatus, aptus esse potest. Cum vero sermo ad id aptus sit, vt certas & determinatas in nobis cogitationes excitet, quibus, pro re nata, motus appetitionis & auersationis in anima & motus in corpore, respondent: *(§. 28.)* Deus etiam certas cogitationes, & motus illis respondentes, per sermonem sacrum, tanquam *medium* aptissimum, *intendit*. Cum igitur finis seu *scopus* sit, quod agens re aliqua, seu actione adhibita consequi cupit; necesse est, vt finis ** sermonis sacri sint *cogitationes quaedam*, & *motus*, qui cogitationibus respondent. *2 Tim. III. 16. 17.*

* De *supernaturali* effectu scripturae sacrae,

qui *finis* est obtinendus per efficaciam eius supernaturalem, cum actibus gratiae coniunctissimam, alibi agitur.

** Hoc de fine, hic proprie agendum esse, notandum est. Nam alius est *finis factorum*, quae in sacris litteris commemorantur. Vbi, si de fine seu scopo quaeritur, non id eo fit consilio, vt sensum sermonis, qui factum id commemorat, intelligamus; quippe sensu iam intellecto, factum tale cognoscitur; sed ideo de *scopo factorum* dispicimus, vt nobis adpareat, cur auctor facti, id existere voluerit, in hoc rerum nexu, & quid per tale factum introducere voluerit in rerum seriem. Quo refert *circumstantias historicas*, libertati agentis tribuendas. Negari non debet, hanc quoque scopi considerationem esse vtilem interpreti, ac necessariam. Sed ea non tam huic loco proxime conuenit, quam examini rerum profundiori. Nempe, sermo hic spectatur tanquam complexus verborum & propositionum, quae *conceptus excitant*, seu, quae *significant*. Facta vero, quorum de scopo dispicitur, vt *bona* & *mala* considerantur. Atque adeo *facti scopus*, est bonum illud vel malum, quod per illud factum tanquam medium, ab auctore facti intenditur. Hic igitur est *scopus facti*. Sed *scopus sermonis*, denuo duplici modo considerari potest, ita vt alius sit

remotus,

remotus, alius *proximus*. *Remotus* est, *vsus* quilibet veritatum sermone propositarum, quem auctor sermonis intendit. *Proximus*, est, *gignenda* in lectore vel auditore *notitia*, quae constat conceptibus per sermonem immediate excitandis.

154. Conceptus illi * & motus eis respondentes (§. *153.*) quos scriptura sacra, efficacia sua supernaturali gignit, seu notitia viua, & mutationes bonae, cum ea connexae, proxime constituunt *statum hominis* in hac vita *salutarem*, *internum*, seu salutem, *2 Tim. III. 15.* cum qua, ad mortem vsque durante, necessario connectitur salus alterius vitae, *Rom. I. 16. Io. III. 16.* & qui eam obtinent, illi per scripturam *illuminari* & *sanctificari* dicuntur. *2 Petri I. 19. Io. XVII. 17.* Itaque status iste salutaris, est *scopus* scripturae sacrae.

* Quando *finis scripturae* dicitur *Christus*, tuno intelligitur *cognitio Christi viua*, seu talis, quae motus sibi respondentes habet coniunctos. Si *gloria* Dei, tunc cognitio attributorum Dei, quae per opera eius reuelantur, viua, intelligitur. Quae omnia eodem recidunt.

155. Notitia illa viua (§. 154.) pro obiecto habere debet *Deum trinunum* salutis aeternae fontem, *Io. XVII 3. 1 Io. III. 1. 2.* tanquam nobis fauentem, i. e. tantum perfectionis e summa sua perfectione in nos deriuantem, quantum satis est ad perennem felicitatem. Quoniam vero post defectionem humani generis ab illo Deo, summo nempe bono, peccatum nobis obstat, quo minus gratia Dei ad felicitatem nostram, in nos deriuetur; contraque ira potius eius nos premit: ideo notitia Christi mediatoris, & satisfactionis per illum praestitae, vna cum fructibus eius saluberrimis, in hac & futura vita, necessaria est. Accedit notitia ordinis gratiae; quem obseruantes, vicaria illa satisfactione, tanquam sua potiuntur, & effectibus eius salutiferis. Qui ordo sapientissime constitutus, varias sapientiae diuinae regulas inter se connexas, exhibet Vnde notitia *euangelii* & *legis* necessaria est. Ex quo Deus euangelium, & legem ad illud relatam, reuelauit; *regnum gratiae* constitutum est, in quo varia gubernationis Dei specimina, variae tum ciuium

um, tum inimicorum actiones & fata, sistuntur. Quae omnia, cum in mundo adspectabili, tanquam in theatro, fiant, in quo praeter homines aliasque creaturas, Dei conditoris & conseruatoris sub imperio, etiam spiritus boni malique salutis humanae administri, vel hostes, versantur: ideo notitia illa, scripturae finis, late diffunditur. *Historiae* namque, & *dogmata*, illic occurrunt, quae partim ad *legem*, partim ad *euangelium* referuntur. conf. (§. 128.) Quare illorum omnium notitia, est scopus *scripturae*.

156. *Scopus primarius* est, qui prae ceteris spectatur, mediis adhibitis, seu propter quem media vsurpantur, tametsi non esset finis alius, per eadem pariter obtentu possibilis. Alii autem per eadem simul possibiles, & coniunctim cum illo obtinendi, dicuntur *secundarii*. *Vltimus* est, ad quem tota quaedam series mediorum ita tendit, vt ipse non sit medium ad alium quendam obtinendum. *Intermedius*, ad quem *medium* vel data series mediorum, ita tendit, vt ipse simul sit medium ad vlteriorem. Quare dici etiam potest *subordinatus*. *Proximus*,

ximus, inter quem & medium, simplex aut complexũ, non intercedit finis alius. *Remotus* contra. Si vnum medium (pluribus determinationibus instructum) aut plura ad fines suos relata, (ideoque connexa) pluribus obtinendis finibus simul inseruiunt, quorum vnus dicitur *generalis*, alter *specialis*, tertius *specialissimus*: tunc *generalis* seu *communis* obtinetur, per eas mediorum determinationes, quas illa similes habent cum aliis mediorum speciebus. *Specialis*, per eas, quas habent similes cum aliis mediis quae vt indiuidua spectantur. *Specialissimus* per eas, quibus differunt ab omnibus indiuiduis aliis.* Scopus *totius*, seu *totalis* est, quem auctor obtinere cupit, per omnia quae id vnum compositum constituunt: *partis*, seu *partialis*, quem per aliquod eorum, quae totum illud constituunt. *Plenus* a lectore obtinetur, si tantum continet, quantum media rationis praebent ad eum obtinendum: seu, si medijs suis est adaequatus. *Minus plenus*, si contra.

* Si quis eam diuisionem aliter sibi concipiat, ei non repugnamus. Aptior si sit alia, ad institutum

Institutum hermeneuticum, id quoque largiemur. Facilior quibusdam videtur haec ratio: Finis *generalis* est, quem habent *integri libri*, seu *partes maiores*. *Speciales*, quem habent *partes minores*, & *specialissimus*, quem *phrases & singula verba*.

157. Partes scripturae sacrae, quae restitutum Dei fauorem per Christum, & effectus illius fauoris plurimos, in hac & futura vita, itemque ordinem gratiae exhibent; proxime tendunt ad *salutem nostram* (§. 154.) adeoque media sunt ad finem *primarium proxima* (§. 156.) Aliae partes, quae inseruiunt ad intelligendas illas priores, vel *commoditatem* habent quamcunque ad illas: sunt media ad finem *suum proxima*, ad primarium *remota*, & pro rei conditione, denuo fines *intermedii*. Eoque respectu, finis *primarius* est *generalis*, seu pluribus his intermediis *communis*.

158. Singuli libri sacri, sunt singulae partes scripturae. Quare singuli habent scopum *partialem* (§. 156.) respectu reliquorum: sed *totalem*, respectu contentorum, quae singulis insunt; siue is *scopus primarius*

rius sit, quod fieri potest si liber detur *vnius* argumenti, *(§. 129.)* siue *secundarius*, isque *remotus* aut *proximus* respectu *primarii (§. 156. 157.)* Libri omnes scripturae, habent eundem scopum *generalem* primarium: quare, vbi simul singuli habent scopum specialem, & specialissimum, necesse est, vt hi scopi sibi *subordinentur. (§. 155. 156.)* Libri quidam sed *pauciores*, eundem habere possunt scopum * *specialem*, saltim quoad potiorem cuiusque libri partem. Sed singuli tamen, suum scopum *specialissimum* habent, quo ab aliis eo ipso quod quilibet est *alius* liber, distinguuntur. *(§. 56. coll. 153.)*

* Confer *alteram Petri*, cum *Iudae* epistola; illam ad *Romanos*, cum vicina ad *Galatas*.

159. Singulae librorum *partes*, *scopum* suum habent *(§. 153.)* Scopo autem respondent media ad illum apta *(§. 153.)* eoque respectu, perpetuus est nexus inter scopum & media. Si igitur partes librorum nexu gaudent *logico (§. 124.)* tunc vna pars est medium ad intelligendam alteram, adeoque conceptus partis, per alteram aliquam formatus, est

est *scopus* alterius: cumque in hoc nexu pars quaelibet suum scopum habeat, eundemque *partialem* (§. 156.) necesse est, vt in nexu logico scopus vnus determinet alterum, & vt vnus scopus alteri subordinetur. Quare in tali nexu videndum est, vt scopo totali cognito, scopi partiales omnes pariter inuestigati, subordinentur totali, & partialis quilibet * alteri.

* Confer, quae supra de partibus, variisque earum diuisionibus *membro II.* dicta sunt.

160. Scopi inuestigatio, quae hic tractatur, ad minutiora non descendit (§. 120.**) sed inseruit ad sensum scripturae hactenus determinandum, quatenus ipsa *notionum* euolutio, nondum spectatur, sed postea demum per hanc inuestigationem adiuuatur. Quare satis est, hoc loco, id praecipere: 1) tantum scopi inuestigandum esse, quantum inseruiat ad sensum ita determinandum, vt plenior deinde accedat determinatio per ipsam notionum euolutionem: 2) in illa deinde notionum euolutione, semper ad scopum vlterius inuestigandum respici debere,

161. In *nexu* igitur *logico*, scopus est, ille * conceptus communis, bonorum motuum fecundus, (siue termino respondeat, siue propositioni) ad quem intelligendum, & pro vero habendum, reliqua in eodem nexu omnia, referuntur, (§. *154.*) id est, cui explicando & probando, reliqua omnia inseruiunt (§. *124.*) Qui scopus in dato tali sermone, est *totalis*, & *vltimus* (§. *156.*) per quem reliqui partiales determinantur.

* Nec obstat, quod talis *conceptus*, quem supra *communem* diximus, iam in determinando nexu, (§. 124.* 2.) & *partibus* §. 145.) erui debet. Nam 1) totum hoc examen, quod in *nexum*, *partes*, & *scopum* inquirit, est eiusmodi, vt in ipsa praxi, concurrant, & manus amicas sibi mutuo praebeant, quae singula tamen a singulis, ipsa re & cogitatione distinguuntur. 2) illic conceptum illum communem quaerimus ad *dirigendam partitionem*; hic eundem vt *scopum* consideramus, quo ad determinandum sensum eorum, quae instar mediorum sunt, vtamur. 3) *Scopus* non semper est eiusmodi conceptus *communis*, sed in ipsis adeo *vocibus* interdum quaeri potest, cet.

162.

162. Scopus *partialis* (alias *specialissimus*) si quaeritur in *phrasibus*,* *vocibus*, *structura*, & huiusmodi *determinationibus* minutis: tunc quaestio est, cur inter plures *voces*, *phrases* cet. ad denotanda essentialia eiusdem conceptus, aeque habiles, haec potissimum & non alia, scriptori sacro, placuerit, vt adeo *sapiens electio* scriptoris sacri detegatur. Nam quod a scriptore phrases ac voces, structura item & connexio intelligibilis, ex regulis philologicis & logicis, communibus, adhibentur, id ad scopum *sermonis qua talis*, ipsumque adeo vsum loquendi (*§. 67. ss.*) pertinet, hoc est, ad scopum *maxime generalem*. Cum vero hic, ex hypothesi, agatur de fine *maxime partiali* & *specialissimo*: fieri non potest, vt aliter ille, quam dictum est, inuestigetur.

* Sobrie atque circumspecte haec res agenda est. Nisi quis *linguae sacrae* magnopere peritus sit, & scriptoris *idiotismum* in promtu habeat debitoque acumine in formandis connectendisque notionibus versetur; facile ad scopum specialissimum referet, quae generali quadrant, & non nulla finget solertissime, quae scriptor neque dixit, neque cogitauit.

gitauit. Et ſolent ſane, qui maxime cogitandi profunditate, & clarioribus rerum conceptibus deſtituuntur, vanis huiusmodi deliciis plurimum paſci, faſtiditis ferme ſolidioribus, propterea quod haec vetera & peruulgata, illas recentes & priſcis hominibus inauditas exiſtimant.

II.

De ſcopo ſpeciatim,

RESP. IO. ANTONIO SCHREINER,

Palaeſtra 21.

163. In libro ſancto vnius argumenti, (ſi modo ſint tales §. *129.*) ſcopus inuenitur (§. *161.*) *totalis*, ſi 1) *partiales* ſcopos omnes, conſtituas, & 2) conceptus, quos ibi tanquam ſcopos eruiſti, conſideres, 3) ſcopos illos omnes inter ſe compares, vt adpareat, quidnam illud ſit, quod explicetur & probetur per illos. *Scopi* autem *partiales* inueniuntur, ſi contenta eius partis, cuius de ſcopo quaeritur, examines, & quid vnumquodque contribuat ad conceptum quendam com-

communem, exquiras. Is conceptus communis, tunc scopus erit. Scopus vero *specialissimus* quem vocant, isque *sermonis*,* *qua talis*, nihil aliud est quam aliqua sensus determinatio, quae salua eiusdem conceptus essentia, abesse, vel aliter se habere poterat. Huius inuestigatio scopi, suppositio *examine philologico*, fere ad ipsarum notionum euolutionem magis, quam ad hunc locum, pertinet.

* Hoc est, quatenus vocibus & propositionibus certis, earumque nexu, certi in animo legentis vel audientis, excitantur conceptus. (§. 155. **) In historiis, quae facta exhibent, *circumstantiae* sunt. Scopus cur agens quispiam, hanc circumstantiam voluerit ingredi factum suum, non est scopus *sermonis*, sed facti. Quaestio cur *scriptor* eius facti, hanc circumstantiam commemorauerit, seu cur propositiones, quae conceptus eius circumstantiae excitant, voluerit esse partem sermonis sui, est quaestio de scopo sermonis, quatenus totus ille sermo, per propositiones, illam circumstantiam complexas, rectius, & menti scriptoris conuenientius intelligi debuit. Quaestio, ad quid conducat veritas illa, cuius obiectum est ista circumstantia? ad scopum sermonis *remotum* pertinet.

164. Libri mixti *scopus totalis* si quaeritur, tunc scire cupis, quid scriptor per id consequi velit, dum argumenta diuersa, eademque potius quam alia, in vnum eundemque librum contulerit, atque, si varia dogmata congesta sint, cur *methodo aphorismatica* (§. *138.*) vsus sit potius, quam alia. Quod tamen ad sensum determinandum, non magnopere valet. Ibi necesse est, vt 1) facta partitione (§. *144.*) singularum partium contenta percurras, 2) ad *occasionem* respicias, 3) attendas, an ipse auctor vel alius scriptor diuinus, hunc scopum aperiat. De scopo *partiali* valet idem, quod supra (§. *163.*) dictum est.

165. *Partes* librorum *dogmaticae*, si paullo maiores sint, eodem modo tractantur, quo integer liber dogmaticus (§. *163.*) nexu *logico* perscriptus. Huc refer in primis *parabolas* & *apologos* (§. *136.**) quorum tota explicatio per *scopum* determinatur. Vbi 1) videndum, an in *prooemio*, vel *epimythio*, scopus indicetur. 2) Id si non factum sit, *occasio* diligenter obseruanda. 3) Rei figurantis contenta examinanda. Cum enim parabolae & apo-

apologi, non propter rem *figurantem*, sed *figuratam*, proponantur: necesse est, vt indagetur, quidnam illud sit, quod contenta rei *figurantis*, in alia re *figuranda* designare *possint*: quid in hoc nexu eadem designare *debeant*, *scopus* docebit. 4) Scopo inuento, *a*) cauendum, ne vel *minus*, vel *plus* e re figurante ad rem figurandam * transferendo, quam scopus permittit, extra oleas vagemur, & sensum ingeramus in textum (§. 52.) *b*) ne ipsa verba ** quibus, in textu, scopus parabolae indicatur, praeter rem figurantem, adeoque contra scopum, exponamus.

* *Luc. X. 23. ff.* exhibetur parabola Christi, (nisi malis *historiam*, quod in medio nunc relinquimus) de homine a latronibus pessime habito. Scopus *Christi* est, verus & adaequatus de *proximo* (quem vocant) conceptus. Quamobrem quod res figurans continet, aptum ad id, vt verum *proximi* conceptum acquiramus, id applicandum est ad rem figurandam, seu, id *characteres* suppeditat, qui conceptum *proximi* constituunt. (§. 23.) Reliqua non sunt applicanda. Sed quoniam reliqua tamen non frustra ponuntur; facile perspicies, ideo illa exhiberi, vt res *figurans* sibi constet, secundum omnes

partes, quae ad illam intelligendam inseruiant. Et quoniam *attentionis* causſa parabolis potius, quam nudo sermone, vti placuit, ideo quaedam rei figurantis ad *ornatum* eius pertinent, excitandaeque & alendae attentioni dicantur. Quam in rem HVGONIS GROTII iudicium saepe consulendum est.

Quocirca, quod ad hanc parabolam attinet, illi haud dubie extra oleas vagantur, qui *vires hominis post lapsum reliquas*, exinde probare contendunt, quod miserum istum latrones non prorsus enectum, sed *semineccm* reliquerint.

** *Luc. XV.* 1. ſſ. de iis, *qui non indigeant poenitentia*, parabola exponitur. Quales illi sint, res figurans ad scopum relata, docebit. Sunt nimirum ii, qui imagine 99. ouium, sub cura pastoris sui adhuc degentium, pinguntur. Qui nempe non errant, per deuia, in periculo versantes, deserto grege atque pastore. Quare, *iusti non indigentes poenitentia*, non sunt illi, qui sua iustitia turgidi, opem boni pastoris, per securitatem periculosam dedignantur; sed illi potius, qui in statu gratiae degentes, vnionem cum Christo & grege illius retinuerunt, non indigi propterea *poenitentiae magnae*, quae dicitur *lapsorum*.

166. Sermo *historicus* absolute positus, nulli

nulli dogmati innexus, pro scopo *proximo* habet *notitiam facti*, quod exponit. Quando tamen aliae historiae cum illo connectuntur, ad quas intelligendas ille perscriptus est: tunc illa notitia est scopus partialis, & fit medium ad intelligendum *totalem*, quippe historia illa connexa, tunc assumitur cum antecedente, pro *vno toto*, vt adeo nexus *logicus*, *dogmatico* similis, existat. Quare, & modus inueniendi scopum, idem adhibetur, qui in nexu dogmatico. (§. *165.*) *Vsus** vero huius *notitiae* quae scopum vtrumque constituit, est scopus historiae remotus, (§. *153.***) & inuenitur, si 1) attendas ad occasionem, quae scriptori data fuit, (§. *89.* §§.) 2) si eam compares, cum fine scripturae *primario*, 3) cum aliis dogmatibus, quorum contenta, nexum propiorem habent cum illa, vel, quae ** ex illa deriuantur: 4) si in historiis veteris testamenti, id quod *typicum* est, obserues. 5) Si historiam rei futurae, seu *vaticinium*, referas ad eius *complementum*, vel ipso actu iam exhibitum, vel futurum adhuc, & aliis in locis, scripturae simul, praesertim *clari-*

as, commemoratum, 6) si ad insperſa, ipſius, aliorumque ſacrorum ſcriptorum iudicia, ſiue in illa ipſa, ſiue in ſimili hiſtoria, attendas, 7) ſi hiſtorias *regni naturae* cum iis, quae in *regno gratiae**** illis reſpondent, itemque, ſi tum *illas*, tum *has* cum ſatis *regni gloriae* componas, duce ſcriptura ſacra: quo harmonia mirabilis in illo triplici regno, perſpiciatur: quo refer & *oeconomias* regni gratiae varias inter ſe comparandas, quae multa, mirifice ſibi inuicem reſpondentia offerunt, quibus ſapientiſſima Dei bonitas, ſit teſtatior.

* Quae hic ſequuntur, propriam ſibi ſedem alibi potius, quam hoc loco, vindicare poterant. Sed propter nexum & cognationem hic tolerari poſſunt.

** Ita CHRISTVS ex hiſtoria inſtituti coniugii, perpetuitatem eius vinculi, deriuat *Matth. XIX.* 4. & PAVLLVS ex hiſtoria *creationis* atque *lapſus*, praerogatiuam viri prae femina, 1. *Tim. II.* 13. 14.

*** *Illuminatio* phyſica, *Gen.* I. 3. aliquid *harmonicum* habet cum *illuminatione* in regno gratiae, teſte Paullo 2. *Cor. IV.* 6.

Hiſtoria *diluuii*, quo tellus a noxiis hominibus purgata fuit, vbi eadem aqua, foederis bene-

beneficio, salutem Noacho, & perniciem improbis attulit, ad simile institutum regni gratiae, a PETRO refertur 2 *Petr.* III. 20. 21. ad baptismum puta; vbi foedus, aqua seruatrix, & purgatrix animae, contraque necans veterem Adamum, conspicitur. Quae quidem non temere, sed graui numinis consilio, ita harmonice fuerunt adornata. Ab huiusmodi meditationibus meri lusus ingenii abesse debent.

167. Scopus *proximus* sermonis *historici*, cum dogmatico in vnum nexum logicum redacti, (§. *131.*) est id, quod confert sermo,* ad explicationem, probationem & applicationem veritatis dogmaticae, cum qua connectitur; seu est *claritas* maior conceptus excitandi, & *firmitas* maior iudicii formandi, & ad casum obuium quemcunque, accommodandi. Scopus autem *remotus*, est ipsa *praxis*,**, seu complexus *actionum* illi notitiae conuenienter praestandarum, & *habitus* eas praestandi.

* Ita PAVLVS historiam adfert factorum, quae partim Deus edidit in educendo populo suo ex Aegypto in terram promissam, partim quae populus tunc patrauit 1. *Cor.* X. 1. §. Illam historiam scriptor sacer in-

texuit argumento dogmatico, cuius summam indicat *com. 6. & 12. non abutendum esse diuina benignitate ad licentiam peccandi.* Quod clarius & certius cognoscitur, & facilius applicatur, cognito illo facto, tanquam exemplo.

** Sic eadem historia vtitur PAVLLVS ad id, vt in obuiis casibus, de *vsu rerum mediarum cap. VII. seqq.* & similibus, tum *Corinthii*, tum christiani quilibet, recte iudicandi & agendi habitum sibi acquirerent, *com. 6 - 12. 31. 32.*

168. *Scopus proximus* sermonis *historici*, in tali nexu logico collocati (§. *164.*) reperitur, 1) si eius contenta in partes debitas rite dissecta (§. *142. 147. 150.*) compares cum ipso dogmate proposito. Tunc enim adparebit, quomodo, cognitis illius facti contentis, claritas augeatur in illo conceptu, quem exhibent propositiones dogmaticae connexae. Nam illa *claritas* & *assensus* hinc praebendus, est scopus talis historiae (§. *164.*) 2) Si attendas ad *occasionem*, quae data fuit, huic potius quam * alii facto recensendo (§. *89. ff.*) 3) Si obserues effata vel scriptoris ipsius vel alterius, quibus ** ille scopus indicatur. *

* *Status & qualitas Corinthiorum*, exemplum illud historicum suadebant. Hi namque magna parte ad Christi gregem e iudaismo, translati, *libertate* euangelica, post *iugum* caerimoniarum, luxuriare facile poterant; similes futuri patribus suis, post seruitutem liberalius a Deo habitis.

** Ipse Paullus *scopum* suum exponit, per modum *conclusionis* ex illa historia deductae, *com.* 11. 12. atque ita simul aperit scopum historiae eiusdem apud MOSEN *Exod.* XIII. 21. XVI. 12. XVII. 6. *Num.* XI. 13. cet.

§. 169. Quoties scopus sermonis ab ipso scriptore sacro, in contextu memoratur, vel ab alio in libris sacris postea perscriptis, toties inquisitione nostra non est opus: cum Spiritus sanctus sit optimus verborum suorum interpres. Sed 1) probe tamen videndum est, *totalem* an *partialem*, *primarium* an *secundarium*, *generalem* an *specialem* scopum indicauerit, ne permutando scopos, sensum alienum textibus inferamus (§. 52.) Quare 2) cum scopo tali indicato, * conferendus est contextus, partitione debita iam resolutus. Si vero sermo eiusdem argumenti, alibi in libris sacris occurrat, vbi vel

scopus memoratur, vel clariora tamen eius indicia suppeditantur: tunc *identitas scopi* ex *identitate* argumenti, recte colligitur, vbi *contextus* tamen consulendus erit. (§. 158.) e.g. Joh. 20, 30. 31. comp. cum relig. Evangelist.

* 2 *Petr.* III. 1. 1 *Io.* I. 3. 4. *Iud.* 3. *Phil.* III. 1. Nempe si scriptores sacri scopum commemorant, tunc necesse est, hanc propositionem ab iis tradi: *hic est scopus huius scripti*, siue totidem verbis illa exprimatur, siue legitime ex ipsorum dictis inferatur. Sola *allegatio* scripti sacri aut partis ex illo, non illico est commemoratio scopi. Quoniam pars quaedam allegata, ex alio scripto, potest inseruire scopo allegantis diuerso, propter *nexum* nouum, cui ab allegante inseritur, ideo falso concluderes: verba in hoc nexu allegata, eodem modo se habent ad nexum alterum e quo allegantur, ita vt vtriusque nexus idem propterea sit scopus *totalis primarius, proximus & specialis* (§. 156.) *Act* XIII. 33. *Matth.* XXII. 31. 32.

170. Scopus * *factorum*, (§. 153. **) quae a Deo & viris diuinis qua talibus profecta sunt, est *omnis vsus* factorum, eum vsus rei sit finis Dei. Vbi scopus tamen *primarius*, *proximus* & *specialis*, partim ex *occasione*, partim ex ipsis facti contentis,

tentis, adiunctis, effectis, eruendus. 2) euentus siniſter **, & abuſus, pro ſcopo non aſſumendus, 3) ex eo, quod ſcopus viro diuino incognitus fuit aut fuiſſe videtur, ad negationem ſcopi a Deo intenti, non concludendum.

* Quomodo ſermones ipſi, ad factorum claſſem referendi ſint, e praecedentibus (§. 91.) conſtare poterit. Ita ſimul patebit, ſcopum facti, a ſcopo ſermonis, quatenus ſermo vt ſignum & medium conceptuum pro illo ſcopo dicentis formandorum, ſeu vt complexus propoſitionum, quae *ſenſum* exhibent, conſideratur, ſatis differre. Sed ſcopus ſermonis qua talis, & ſcopus facti, connecti tamen poſſunt: ita vt ſcopus ſermonis, qui factum commemorat, *ſubordinetur* ſcopo facti. Ita *creationis ſcopus*, Gen. I. 1. eſt *manifeſtatio* gloriae diuinae. Sed ſcopus ſermonis, quo creatio deſcribitur, eſt *conceptus verus* de Deo creatore ac dependentia mundi ab illo. Scopus cur ille ſermo *conſignatus* & inſertus ſit libris ſacris, eſt, vt plenior eſſet hiſtoria de ortu & progreſſu eccleſiae. Quare cognito ſcopo facti, aliquid etiam ad ſenſum ſermonis, quamuis e longinquo & per anfractus, deriuari poteſt. Neque falletur, ſi quis *finem ſermonis remotum* quem ſupra dedimus (§.

153

153.**) ad ipsum factorum finem referre velit, quatenus *consignatio* sermonis, facti rationem habet, & *inspiratio diuina*, qua duce sermones consignati sunt, vt factum consideratur. Nam contenta sermonum, (quae *veritates* diximus, ad sermones diuinos & bonos verosque tantum respiciendo) siue sint vera & bona, siue falsa & mala, tunc erunt pars factorum, etiam respectu consignationis. Et quatenus Deus falsos quoque & prauos sermones consignari iussit, eatenus illi finem bonum habent, quem Deus intendit, quamuis malum intenderint eorum auctores. Ita factum consignationis, & factum consignatum, differunt.

** Sic missio prophetarum ad populum Dei, vt praedicatione verbi fungerentur, est *factum Dei*: cuius scopus non nisi sanctus esse potuit. Quando igitur *obduratio* tanquam effectus a Deo intentus, adeoque scopus Dei, describi videtur: non committendum est, vt particulas ἵνα, & similes, quae *scopo* alibi denotando adhibentur, in his quoque locis ita reddamus, vbi *tristem* potius *euentum* designant, & talem quidem, qui a Deo per miraculum non sit impeditus. *Iesa.* VI. 9. 10. *Matth.* XIII. 14. Vnde liquet, quomodo per *scopum factorum*, si eorundem auctorem, & contenta pensites, aliquid in sensu ipso determinari queat. De quo supra dictum est, in *examine historico*. 171.

171. Facta *mali genii* in sacris literis consignata, scopum * malum semper habent. Qualis ille sit, *examen historicum*, cum contentis & sequelis facti collatum, docebit. Facta malorum hominum, etiam specioſe ** bona, tam diu scopum malum habere praesumuntur, quamdiu contrarium ostendi nequit. Scopus eorum, saltim proximus, eatenus bonus esse potest, quatenus *bonitas* in malos cadit. Facta *** piorum tam diu susceptа censentur ad bonum scopum, quamdiu pariter non patet contrarium; id quod examen historicum, facti contenta & adiuncta, docebunt. De bonitate vel prauitate facientis vbi non constat, scopus facti bonus aut prauus, denuo e contentis ipsius facti, & examine historico aestimandus erit. Directo Dei * ad meliorem scopnm, confundi non debet cum scopo ab agentibus intento: sicut e contrario, siniſter euentus, cum piorum factis connexus, in locum scopi substitui non debet.

* Etiam illa facta, quae cacodaemon iussu & permissu Dei peregit. Quod Iobi docet historia.

storia. Si consideres *tentationem diaboli*, qua Christum adortus est, famis remedium suadendo, *Matth.* IV. 1. occasio eius facti, eiusdemque contenta, declarabunt, in eo fuisse tentatorem, vt *actionem Christi satisfactoriam* eluderet, qua, nisi consummata, ad nutum patris caelestis; miraculo ad famem pellendam vti, seruator optimus non debuit.

** Hostes PAVLLI Christum praedicant publice. *Philipp. I.* 16. Bonum factum, si cetera responderent. Sed pessima destinatio, vt molestiam crearent vincto, & cumulum adderent aerumnis. Ecce PAVLLVM, sollertissimum *scopi* censorem!

*** Lapsus Petri *Gal.* II. 11. *ff.* scopum habuit optimum, vt e *qualitate* PETRI statuque, & ipsis facti contentis, adparet. Euentus facti noxius erat: destinatio laudatissima. Neque sine iniuria PETRI, factum illud inter *hypocritarum* culpas locari potest. *Otia sacra p.* 99. *seq.*

* Huc referri posse videtur exemplum *Nicodemi*, noctu venientis ad CHRISTVM *Io.* III. 1. *seq.* Neque enim in ipso textu sunt indicia contrarii, quae dubitationem excludant. Vir animi non maligni, sed studio sectae corrupti, non aliud spectasse videtur, dum Seruatorem compellat, quam insidias tendere nouo doctori. Quae tanto speciosiores

fiores erant, quanto minus timoris esse solet a solo, sine teste in secreto, & noctu. Itio nocturna speciem meticulosae pietati dabat. Compellatio Christi ad solitas blanditias componitur. Sed filius Dei, sermonem fictum, ne longius culpa procederet, sapienter interpellat, atque ita percutit animum hospitis, vt euentus melior esset incepto. Adde factum *Abrahami Genes.* XXI. 14 qui fortassis aliquid humani passus est.

172. Si scopo vtimur, ad determinandum in textu sensum, 1) caue subsistas in scopo * *generali*. Nam is, cum sit pluribus pericopis, vel etiam libris sacri codicis, communis; eatenus parum determinat pericopam aut librum singularem: 2) ne confunde *caussam impulsiuam* ** cum ipso scopo. 3) Fac vt scopum, quantum licet, *plenum* (§. 156.) adsequaris.

* Ita non satis est adfirmare, *Christum* esse scopum *pentateuchi*, vel primi, in illo, libri. Id enim, tametsi verum sit, & vtile cognitu, ac non nihil etiam determinet in sensu: tamen non sufficit ad determinationem tantam, quanta requiritur. Valet hoc, siue historiam creationis consideres, siue reliqua. Sed, si e. c. agis de *historia lapsus*; non satis est, dicere, *Christum* esse scopum, Contra

tra, si *notitiam* seu *conceptum* de origine peccati, pro scopo assumis, propior determinatio sensus succurret. Nam inde conficies, *allegorias* in illa historia, quae peccati originem recenseat, repugnare isti scopo: adeoque falli maxime, fictores allegoriarum. In aliquo *Psalmo*, si Christum, duce ac teste sacro codice, pro scopo sumis, alia plane res erit. Nam ibi *Christus* erit scopus *proximus* nec tantum *generalis*.

** 2 *Petr. I*, 14. Falleretur maxime, si quis scopum huius epistolae fingeret, denunciationem mortis Petri. Nam illa mortis cogitatio, est caussa impulsiua, cur vir diuinus, istum scopum, propter quem scripta est epistola, sibi constituerit, & cur epistola tanquam medio ad illum scopum, vtatur.

Coronidis loco, adiicere lubet, in iis etiam locis, vbi spiritus sanctus, idem factum, & eundem saepe sermonem, variis vel omissis, vel additis circumstantiis, & verbis etiam diuersis, repetit, scopum indagandum esse. Quod ad *harmoniam* praecipue euangelistarum pertinet.

Singulare exemplum est, in verbis institutionis sacrae caenae, vbi, quod vnus scriptor facer *tropice*, idem alter *proprie* recenset. *Otia sacra p.* 184. *ff.*

EXA-

EXAMEN SERMONIS SACRI PRAGMATICVM.

MEMBR. I.
DE
PROPOSITIONIBVS ET CONCEPTIBVS SCRIPTVRAE SACRAE GENERATIM.

RESP. PHIL. CHRIST. WENCKENBACH,

Palaestra 22.

173. EXamen *philologicum* de *vsu* potissimum *loquendi* laborat. *Historicum* & *logicum* magis eundem vsum determinat. Sed vterque adparatus ad sensum scriptoris penitus adsequendum, nondum sufficit. Nam sensum adsequitur, qui conceptus eosdem ex sermone eruit, quos auctor sermonis cum verbis coniunxit. (§. 29.) Quod fieri * non potest, nisi ea, quae rebus insunt, & quae de illis cognosci possunt, perspicere labores, & conceptus qui rebus istis respondent, eosdem formes, quos formauit auctor sermonis, siquidem ille sit talis, cui rerum istarum

intelligentia abiudicari non possit : contraque, falsitatem conceptuum agnoscas, sicubi sermo errantium in iisdem sacris litteris exhibetur. Quoniam igitur hoc examen, ea quae rebus insunt, & conceptibus certis repraesentantur, *proxime* & accuratius indagat; ideo *pragmaticum* * dicere libuit.

* 1) Accipe exemplum : 2 *Petr. III.* 22. *elementa*, τὰ στοιχεῖα, commemorantur, igne supremo resoluenda. Examen *philologicum* ex ipso loquendi vsu non decernit, quaenam res voce ista hoc loco denotetur. Examen *historicum* & *logicum*, hactenus rem determinat, vt doceat, non elementa sermonis, seu litteras, denotari, vel aliud quidpiam ex vsu loquendi huic vocabulo respondens, sed partem mundi adspectabilis, quae flammis fatalibus pabulum suffectura sit. Si res ipsas seu partes mundi adspectabilis, rimeris, occurrent elementa Aristotelica, ignis, aer, aqua, terra. Haec intelligi non posse, contextus docet. Si *monades* intelligi putes, primo vsus loquendi illius temporis vix respondebit, deinde *monadum* indoles, flammarum violentiae non subdita. Succurrent igitur *orbes* quidam *lucidi*, qui per vsum loquendi illius temporis, στοιχεῖα dicebantur. Eorum natura talis est, vt Petri conceptus

ad

ad illos pertinere, & voce στοιχείων denotari, deprehendatur.

2) Nempe, sensus quidam perhibetur *grammaticus*, (si modo sensus is vocari debeat) quem tenere dicitur, qui significatus tenet grammaticos. Quod fit, in lingua *peregrina*, si vocem linguae patriae, re[illegible]identem voci linguae peregrinae, didiceris. In lingua vero patria; si vocem hanc, a vocibus eiusdem linguae aliis, vtcunque discernas: itemque, si modum, tempus, numerum, personam, formam, figuram, cet. cognoscas. In vtroque casu, id accedere potest, vt praeter voces, aliquam etiam rei significatae notam cum voce coniungas, sed qualemcumque, quae vltra *obscuriorem* rei *conceptum*, vix progrediatur. Si cognita *occasio*, *contextus*, & *scopus*, (quae ad examen *historicum* & *logicum* pertinent) non nihil determinationis addunt significatui grammatico, (sumimus autem, necdum adesse conceptum ipsi rei omnino respondentem) tunc inter plures significatus grammaticos possibiles, tantum habebis illum, qui in praesenti loco valeat, aut aliquas, at nondum sufficientes ad debitum conceptum notas. (§. 160. 220. **) Si conceptum deinde ipsum euoluis, tunc obseruas quaedam, quae insunt rei, quam conceptus repraesentat, eademque a se inuicem distinguis, distin-

ta figillatim consideras, & quomodo ad vnum quiddam constituendum connectantur, exquiris.

** Sicut veteres ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν, ita discernebant, vt illa, vocis *etymologiam*, *homonymiam*, *synonymiam*, expenderet; haec ipsum euolueret conceptum: ita nobis licebit, hoc examen de quo nunc agendum est, adpellare *pragmaticum*. Aliam substituat vocem, si quis meliorem & rotundiorem habet.

174. In sacris litteris *historiae* & *dogmata* occurrunt, (§. 128.) quae inseruiunt ad *salutem*, tanquam *scopum*, (§. 153. ff.) & *notitia viua* ideo cognosci debent, a doctoribus praecipue, qui per veritates sacri codicis tum se ipsos, tum alios, in variis casibus constitutos, saluare debent, 1 Tim. IV. 16. (§. 154.) Quare propositiones scripturae, conceptus in nobis gignere debent, tanta claritate fulgentes, quanta ad notitiam viuam potissimum requiritur. Et cum nihil in toto sacro codice frustra consignatum sit, sed ad finem illum, omnia eius contenta dirigantur; necesse est, vt *omnes* sacri codicis propositiones ita perueſtigemus, Io. V. 39.

vt

vt debita claritas, quoad eius fieri potest, conceptibus nostris adfulgeat. Quod, vbi contingit, non tantum *intelligimus* diuina oracula, sed etiam *vera* esse, tenemus atque sentimus. Si personarum quarundam falsae propositiones, & male facta describentes, in sacris litteris recensentur: illarum quoque cognitio ad finem scripturae sacrae pertinet, quamobrem & illarum conceptus, tam clari nobis esse debent, quam pro fine Dei id fieri potest.

175. In scriptis *humanis*, *historias intelligimus*, si rerum exhibitarum *conceptus* formare possumus, vel per *sensus*, vel per reproductionem idearum sensualium, vel per *abstractionem* & *comparationem*. Easdem pro *veris* habemus, si auctores historiae tales sint, qui *fidem* mereantur, & si eaedem nullas habeant *internas* falsitatis notas. In scriptura sacra, *historias* pro veris habemus, propter *testimonium diuinum*, omni exceptione maius: tametsi res in illis contentas omnes & singulas non semper penitus *intelligamus*. Ea tamen, quae in illis per subsidia debita intelligi *possunt*,

a nobis etiam cognosci tam clare debent, quam nobis datum est, (§. 154.)

176. In scriptis humanis, *dogmata* intelliguntur, si conceptus propositionum, quibus illa continentur, satis claros formamus. Eadem *pro veris* habentur, si *principia* sat clare cognita, cum illis *connectimus*, quibus gignitur assensus, dubitationem excludens omnem. Quod est opus *rectae rationis*, qua duce & auspice *nexum veritatum* perspicimus, *scientiam* acquirentes. In *scriptura sacra* Deus loquitur. Ibi necesse est, vt eius propositiones *intelligamus* ante, quam *credamus*, seu assentiamur: cum caeca fides sit nulla fides, nec ab ipso Deo nobis iniungatur. Si dogmata sunt talia, quae vim rectae rationis non supergrediuntur, *scientia* cum *fide* coniungi debet; quippe nec frustra Deus *excitat* rationem, nec propositiones ope aliarum, quas omisit, plenius intelligendas*, minus intelligi cupit. Sin *mysteria* tradantur, id est tales propositiones, quae nec ratione duce cognosci, nec aliis cum principiis natura cognitis, ab omni parte connecti possunt, vt iusta de-

mon-

monstratio existat: tamen conceptus eo vsque claros e propositionibus diuinis formare decet, quousque reuelationis claritas procedit; & tantus veritatum *nexus* adornari debet, quantus vel per ipsas sacri codicis propositiones, vel simul per aliunde cognitas, quodammodo potest obtineri.

* Vnde consequitur, si probare possis, scriptorem quendam sacrum, dogma proposuisse, cuius totam amplitudinem & nexum, non ex omni parte ipse perspexerit profundissime: tamen scopo Dei reuelantis congruum esse, vt *excitata ratio*, eo vsque in explicando progrediatur, quousque cum *data* quadam propositione, quae suppeditetur in sacris litteris, aliae, ad plenitudinem notitiae connecti possunt.

177. Cum sermo sacer constet propositionibus inter se connexis; omnis autem propositio contineat *conceptus*: necesse erit, vt interpres, sensum assecuturus, *singulos conceptus*, vocibus exhibitos, consideret, &, quantum satis est pro scopo spiritus sancti, euoluat.

178. Saepe accidit, 1) vt res, quarum conceptus, vocibus scripturae signantur,

varietate temporum, locorum, institutorum, aliasque propter mutationes, respectu determinationum suarum, * alterentur, manente tamen eadem voce, quae illas designat. 2) Neque insolens est, rebus ipsis per omnes suas determinationes iisdem manentibus, scriptorem quendam sacrum, istas res secundum determinationem aliquam sensibus ** adparentem, vel suo tempore cognitam, *** aliis tunc manentibus incognitis, solita voce exhibere. Ibi danda est opera, vt ex historia, vel ex indiciis in contextu aut alibi obuiis, illas determinationum mutationes, * & indicia propria discamus, ne eadem e voce, easdem determinationes, quae nostro aeuo, genti, patriae, per vsum loquendi conueniunt, & ab iis, qui tempore scriptorum sacrorum fuere, discrepant, eruamus, adeoque mentem spiritus sancti substitutis hoc modo alienis conceptibus, minus adsequamur.

* Si viri quidam Principes in V. T. adpellantur *Pastores*, ne intelligas tales, qui de faece plebis aeuo nostro his ministeriis adhibentur. Sic reges quidam erant antiquissimo *Abrahami* tempore, quorum fors angustior,

gustior, comparari cum regibus nostri saeculi non debet. Sic βίβλος & βιβλίον *Luc. IV.* 17. 20. pro more illius aeui intelligi debet cet. *Vrbis*, quam *Cain* aedificat *Genes. IV.* 17. conceptus, non formandus est ex more nostri aeui, vbi *vrbs* a pago, vico, villa, per amplitudinem & splendorem distinguitur. Ita *iustitiae*, *fidei* cet. vocabula, propter *institutum* illud benignissimum recuperandae felicitatis humanae, conceptus designant, a conceptibus earundem vocum philosophicis discrepantes, propter nouas, quae subiere, determinationes. In profanis scriptoribus latinis, voces *tyranni*, *latronis*, cet. exemplo esse possunt. Conf. supra, (§. 77. not. ***) Ita vocabulum κόσμος in sacris literis, non significat illud, quod nostrae tempestatis philosophi sub illo exhibent. Solus interdum *terrae nostrae planeta* eodem denotatur, *Io. XVI.* 28.

** Tales conceptus dicuntur *optici*, vid. supra (§. 47.)

*** Exemplum vide retro (§. 61.)

179. Conceptus qui ita per voces excitantur, vt non indigeamus ad illos, conceptibus aliis tanquam signis, dicuntur * *proprii*. Quando autem conceptus quidam per voces scripturae immediate exhibiti, adeoque *proprii*, denuo adhiben-

tur ad excitandos conceptus alios, propter *relationem mutuam*, quam vnus ita habet ad alterum, vt cogitanti de vno, simul occurrere *possit*, & propter contextum *debeat* ** alter; in primis vero propter *similitudinem*, *** quae vtrinque notari potest: tunc conceptus ita excitati, dicuntur * *improprii* respectu vocum, quibus conceptus proprius exhibebatur. Ibi conceptus *proprius* vocatur *rei signantis*; improprius *rei signatae*.

* *Genes. II. 9. X. 10.* In priore loco, vox arboris, in posteriore *Babelis*, conceptum proprium offert.

** Huc refer *metonymiam*, *synecdochen*, *ironiam*. Neque enim *ironiam* sacris e litteris proscribendam esse ducimus. Nam 1) praeter sermones Dei, angelorum & sanctorum, aliorum etiam, qualescunque, recensentur, 2) nec ipso Deo magis indigna est ironia, quam ceterae sermonis elegantiae, vel formae. *Genes. III. 22.* Deus cacodaemonis verba, vel ludibria potius, *ironice* repetit, *indignatus* fraudem eius, & *misertus* humanae cladis. Consulenda B. GLASSII *rhetorica s.*

*** *Metaphorae* hic locum habent. Nonnullae tamen voces per *vsum loquendi* sic migrarunt

grarunt in alienum, vt conceptus *signatus* in proprium fere abierit, per *idiotismum* in primis (§. 77. n. 4.) Cuiusmodi vocabula pro nouis velut haberi possunt, propter vsum loquendi nouum, (ibid. not. *** ad num. 4) vt *illuminatio Eph. III. 9. V. 14. Ebr. VI. 4.*

* *Matth. III. 10. Apocal. XVII. 5.* In priori loco vox *arboris*, conceptum exhibet, ex quo intelligitur *homo* (§. 32.) adeoque *impropriu*m, respectu vocis suae. In posteriore, *vrbs Babel*, conceptum offert, ex quo intelligendus est alius contextui respondens, adeoque *improprius*.

180. Si *integra iudicia*, vel eorundem *series*, e conceptibus *signantibus* euoluenda sunt, hique tales rerum *notas* continent, quae *notas rei alterius harmonicas* indicant: tunc complexus illorum conceptuum sermone exhibitorum, dicitur *simile* quoddam (§. 32.) vbi res & conceptus *signantes*, nominatim dicuntur *figurantes*, seu *comparantes*, res autem & conceptus signati, vocantur *figurati* seu *comparati*. *Notae* rerum vtrinque *harmonicae* seu id in quo res vtraeque conueniunt, adpellantur *tertium comparationis*; sicut vtrinque res totae

tae seu conceptus toti, dicuntur *extrema* comparationis.

* 1) Si conceptus *figurantes*, sunt *affectiones vnius eiusdemque rei*, per aliquem sermonis tractum *continuati*, *allegoriam* habemus. *Matth. III.* 11.

2) Si res figurans est *factum* aliquod, vel euentus, *exemplum* habebis, cuius *singularia* aliquid continere possunt, quod aliis, cum quibus illa sub eandem speciem vel genus redigi possunt, est commune. Quo respectu illa singularia imago esse possunt eius, quod in re alia eis respondet. Vnde constat, quousque *conceptus improprii* locum hic habeant, &, quo iure hi casus huc reducantur. 1 *Cor. X.* 1. 6. Ταῦτα τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. Nimirum hic *vniuersalia* in *singularibus* intelliguntur; & *comparationi* locus est.

3) Si tale exemplum *fingitur*, vt *phantasma* per verba depictum, veritatem quandam abstractam, siue theoreticam siue practicam figuret, *parabola* & *apologus* (§. 136. *) nascitur.

181. Speciatim *res* sub sensus cadentes, in natura obuiae, vel *phantasmata* ex illis, quatenus rebus aliis figurandis vulgo inseruiunt, *emblemata* * dicuntur: quae, si quis pingeret, figuras *hieroglyphicas* ** suppeditaret *Iesa. I. 5. 6. X. 17. XI. 1. 6.*

* Cu-

* Cuiusmodi, visionibus in propheticis, passim occurrunt. *Ier. I.* 13. *Amos VII.* 8. *VIII.* 1, *Zach. VI.* 1. *Ezech. I.* 5.

Huc refer & *symbola* quaedam, *actionesque symbolicas*, figurandis rebus aliis adhibitas, *Hos. I.* 2. *Matth. XXI.* 19. *ss. Io. VIII.* 6. cet.

Quaedam *emblemata* sic vsu loquendi vulgari possunt, vt abeant in *prouerbia*, *Matth. XXIV.* 28.

** Quoniam Deus, non pingi quidem, sed ea quae illi inesse & ab illo agi concipimus, per figuras *hieroglyphicas* repraesentari possunt: ideo *membra* corporis, in primis humani, & actiones corporeae, saepius in sacro codice in hunc vsum de Deo adhibentur. Qui conceptus dicuntur *anthropopathici*, qua voce tamen *laxius* accepta similitudines ab *anima* humana & *actionibus* eius, ad Deum translatae, interdum comprehenduntur (§ 82.**) cum alias *strictiore* significatu, illae locutiones *anthropomorphicae*, hae vero, *anthropopathicae*, vocitentur. Exempla habes apud GLASSIVM, *rhet. s.*

182. *Prouerbia* * strictius dicta, seu graues & peruulgatae sententiae, ad exempla, similia, parabolas cet. alludentes, vel ex illis desumtae, & *aenigmata*, quatenus continent notas rerum signantium, quibus

bus res signata *obscurius* indicatur, pariter hunc in censum veniunt.

* Hoc respectu prouerbium quodlibet *rem figurantem* continet. Hinc est, quod ebraeorum משל, modo παροιμία, modo παραβολή, graece redditur. Vide, quae maximus HVGO notauit ad *Io. X. 6.* quo magistro plures interpretes illustriores in hanc vocem usi sunt.

183. Quoniam *iudicia* constituunt *sensum* propositionum (§. *28.*) & conceptus *signati* respondentes *signantibus*, iudicia constituunt, ideo *iudicia* e conceptibus *signatis* confecta, vulgo dicuntur *sensus mysticus*. (§. *33.*) *Strictius*, ille sensus erit *mysticus*, in quo res *figurata* est *Christus*, & quae ad *regnum eius* pertinent, prospera vel aduersa. Quodsi *res figurata* in sensu mystico *strictiore*, respectu figurantis, est *futura*, &, si res *figurans* eo fine a Deo constituta vel permissa sistitur, vt rem *figuratam*, maioris * praecipue momenti, per istam repraesentaret, tunc sensus *mysticus* abit in *typicum*, vbi res figurans *typus* vocatur, & *figurata*, *antitypus*.

* Ita, tota fere *oeconomia V. T.* fuit typus venturae nobilioris, *noui* puta *testamenti*. Huc refer

refer c. c. *sacerdotes V. T.*, actus caerimoniales cultus Leuitici, euentum eductionis populi ex Aegypto. Auctor ad ebraeos epistolae, *typum* σχιὰν adpellat, i. e. *figuram* rudi velut penicillo depictam, & *antitypum* τὸ σῶμα, corpus ipsum, cui pictura respondet.

184. *Conceptus* in sacro codice verbis exhibiti, saepius ab ipso spiritu sancto, vel in eodem contextu, vel aliis in locis, explicantur, & determinantur. Quod si non accidit, ipse tales supponit, quales per experientiam, vel per disciplinas, in quibus illi habitant, offeruntur: Id nisi foret, intelligi scriptura sacra non posset. Quod eius fini tamen repugnat.

185. Quidam conceptus, per voces sacri codicis exhibiti, sunt eiusmodi, vt voce audita, & grammatice intellecta, statim sua claritate praesto sint *, & rem eis respondentem animo vtcunque sistant, ita vt in claritate eorum pro scopo speciali, acquiescere debeamus. Quoniam hoc examen in *formandis conceptibus* occupatur (§. 173.) posita autem tali voce, ponitur *claritas* eius conceptus, quem exhibet: non est, quod vlterius de formando

mando eiusmodi conceptu labores, nisi distinctior eius euolutio influat in ea quae contextus habet, aut in corollaria quaedam vtilia, intra limites scopi specialis cohibenda.

* *Matth.* 8, 1. *Christum, de monte descendentem magna populi multitudo sequebatur.* Caue hic definitionem *montis*, *descensus*, *populi*, *multitudinis*, *sequendi*, operose tradas. Vnumquodque illorum est in textu. Vnumquodque definiri potest, & suo loco cum fructu definitur. Sed hoc loco id frustra, & aliqua cum vanitatis nota, fieret. Nam per experientiam illa omnia vel pueris clara sunt: neque vel *contextus*, vel *scopus specialis*, vlteriora deposcit. Vt *montem* si fieri possit, determines, quem Christus tunc reliquerit, id contextus permittit vel iubet, quoniam illius *historiae veritas*, & circumstantiarum illustratio, aliquid inde lucrari possit.

Si conceptus *rerum nefandarum* vel *turpium*, clariores fieri possunt per scripta profanorum, quae tanquam antiquitatis monimenta, nobis seruauit prouidentia diuina, non est illa claritas *prorsus* negligenda, vbi ad *finem* scripturae, aliquid habet momenti. Vt enim ad *homiletae* prudentiam pertinet, dissimulare potius nequitiae modos, ne in exemplum trahantur,

tur, quam enarrare: ita *docto interpreti & pio*, omnis flagitiorum cognitio ad detestandam impuritatem, adiumento esse, & hactenus pura fieri potest, *Rom.* 1, 23. 24. *ſs.* 1 *Cor.* 7, 18.

186. Conceptus in propositione, vel *subiectum* eius constituunt, vel *praedicatum*. Alterutrum vel vtrumque, pluribus interdum * constat conceptibus, iisque partim *primariis*, partim *accessoriis*. Porro conceptus vel *ideae* ** sunt, vel *notiones*.

* *Ebr.* 13, 20. 21.

** Ita *magnus pastor ouium* d. l. est *idea*, seu conceptus rei singularis. *Pacis* autem conceptus est rei communis, adeoque *notio*.

MEMBR. II.

DE FORMANDIS SCRIPTVRAE SACRAE CONCEPTIBVS.

RESPOND. GE. HENRICO NEBELIO, *Palaestra* 23.

187. Ad sensum scriptoris sacri adsequendum, necesse est, vt *conceptus* verbis exhibiti, neque plus neque minus determinationis in mente nostra accipiant,

quam scopus Dei reuelantis, & ipsa reuelationis conditio * suppeditat. Cum itaque *definitio* conceptum quemque rite determinet: necesse est, vt *sensum daturus propositionis, terminos eiusdem definiat.* Sed quoniam sensum e verbis eruimus scribentium: eae quoque *definitiones* assumendae sunt, quas illi in mente habuerunt. Secus si fiat, non adsequemur sensum scriptoris, sed alium ipsi substituemus. Cum Deus loquens, & personae diuinitus inspiratae, sistuntur, eorum verba semper exhibent conceptus rerum *veros*, vt adeo definitiones alibi ** cognitas & veras, huc etiam adferre tanquam veras, oporteat. Aliter est, in sermonibus, respectu auctorum *non inspiratis*, & interdum *falsis*, quales in scriptura alicubi referuntur. Ibi contingit, vt loquens falsos conceptus efferat, qui tamen ex eius mente intelligendi, adeoque definiendi, *** sed pro scopo Dei deinde tractandi sunt.

* Qui sensum eruit e scripto quodam, is *pictori* similis est, qui exemplar aliquod expressurus in tabula, neque plus neque minus in tabulam referre debet, quam est in exemplari.

Exem-

Exemplari pictoris, respondet conceptus in scripto: tabulae, *animus legentis*; *imagini conceptus definitus*, actui pictoris, actus mentis, quo definitiones condit.

** Confer tamen §. 178 184.

*** 1 *Cor.* 15, 32. *Iesa.* 22, 13. vbi est 1) *actus*; 2) *motuum*. Quia hominines *epicurae* loquentes inducuntur, qui vitiosam curam corporis pro officio habebant, & voluptatem inde perceptam pro felicitate hominis vnica & summa: ideo τὸ *edere & bibere*, est alimentis vti, ad percipiendam inde voluptatem sensualem, tum ipsa per alimenta, tum per alia tali cum vsu connexa. Nam haec ipsa verba: φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν, cantilena quaedam comissantium quondam fuisse videtur.

Alia longe definitio locum haberet, si haec verba continerent *officium*, *auaro* vel superstitioso *homini* praescribendum, *Col* 2, 25.

188. Definiturus conceptus in separata propositione, *habitudinem*, seu *modum nexus* (§. 126.) eorum ad se inuicem consideret, vt ante omnia intelligat, quinam conceptus sit *subiectum*, & quinam *praedicatum*, itemque, quinam sint *accessarii* vtriusque. Nam si *sensus* quaeritur, *iudicium* quaeritur, (§. 28. 29.) iudicium vero constat *subiecto* & *praedicato*.

Quare 1) videndum, quidnam scriptor pro *subiecto*, & quidnam pro *praedicato* * assumserit; tum 2) vtrumque erit definiendum, & quoniam conceptus *accessorii* ** determinant primarios, ita vt hi clarius per illas determinationes cognoscantur, 3) ipsi etiam *accessorii* erunt definiendi, si prius exploraueris, *** cuinam primario, accessorius quisque iungendus sit.

* Conceptus in propositione, *primarii*, sunt *subiectum* & *praedicatum*, quatenus res vtrinque significata, per se, & sine determinationibus pluribus, vtrique respondet.

** Per *accessorios* conceptus efficitur, vt *habitudinem* subiecti ad praedicatum, & v. v. vberius & facilius intelligas. Ita per determinationes subiecti, talis subiecti qualitas & status indicatur, in quo praedicatum ei tribuatur ex mente scriptoris.

Ab *accessoriis* distinguendi sunt illi, quorum coniuncto & compositio, vnum eundemque *primarium* constituit, vel plures eiusdem ordinis connexos; ita, vt vno demto, non habeas *subiectum propositionis* vel *praedicatum*, sufficienter intelligibile; e. c. *Rom.* 14, 17., vbi *subiectum* est, ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ *regnum Dei*. Ibi conceptus *regni*, & *Dei*, vnum *conceptum primarium* constituunt,

tuunt, ita vt alter ex his pro accessorio alterius, haberi non possit. In praedicato sunt: *iustitia, pax, gaudium in spiritu sancto:* qui omnes sunt conceptus tales, quorum nullus est accessorius alterius, seu, plura ibi sunt praedicata, totum quiddam complexa, & ex *notione subiecti* intelligenda.

Huc refer *synonyma* in subiecto vel praedicato quodam obuia; si talia sint illa, quae ex *genio linguae*, ad eundem conceptum fortius inculcandum, vel e rationibus *rhetoricis poeticis* ac *musicis*, vsurpentur *Psal.* 103, 1. (§. 83. *** §. 117. **)

*** Hoc patebit partim e constructione & ordine verborum, (§. 85. 86.) *idiotismo & paralleliſmo* (§ 189. & 87.) partim ex ipsa conceptus primarii & accessorii comparatione. Quod saepe tamen difficile ac prope dubium relinquitur. Nam quorsum pertinet conceptus accessorius καθὰς εἶπεν ἡ γραφὴ *sicut dixit scriptura? Io.* 7, 38. ad *subiectum*, vt *fidei* determinationem exhibeat? an ad *praedicatum*, vt *promissionis?* Ita *Ebr.* 13, 20. ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου, *in sanguine aeterni testamenti*, ad determinationem *pastoris magni*, an *eductionis* referendum sit? non tam facile est dictu, quam prima fronte videtur.

189. Si *definitiones* menti scriptoris con-

gruas, adornare velis, nisi definitiones ab illis ipsis suppeditatae sint (§. 135.*) attendere oportebit 1) ad sermonis *nexum*, (§. 125.) qui tales determinationes suggerere potest, quibus insuper habitis, conceptus alienos pro domesticis, (licet alias eadem sub voce possibiles) facile substitues. Nam, si ex hypothesi, nexus aliquis sermonis, determinationes conceptus cuiusdam exhibet, eae simul sumtae, & inter se comparatae, conceptus ipsius attributa vel continent, vel indicia vnde colligantur, suppeditant. * Cognitis autem *attributis*, condere licebit definitiones *nominales* quae *significatus fixos* terminorum constituunt, vel progredi dabitur ipsam ad essentiam, seu quomodo *essentialia* connexa sint, indagare, vt adeo ad *definitiones reales* peruenias: 2) respiciendum ad alia scripturae sacrae loca, quae vel illis ipsis de conceptibus agunt, vel talia certe suppeditant, e quibus intelligere istos licebit. **

* *Galat.* 4, 4. Quaeritur, quid sit υἱοθεσία, *filiatio?* non sane generatim illa hominum habitudo ad Deum, quae rationem sui habet in regeneratione *Io.* 1, 12. Nam huic defi-

definitioni repugnant determinationes in nexu, e. c. *regeniti veteris testamenti non erant filii sed serui v.* 1-7. *cap.* 3, 24. 25. Vnde constat, υἱοθεσίαν hoc loco esse praerogatiuam regenitorum N. T. qua Deus, abrogato paedagogo, liberalius eos tractat, tanquam filios adultos. Ex his notis, definitio adornanda est.

Adulterii definitio, in *sexto praecepto*, determinatur per alias scripturae propositiones. Primo per illam: Decalogus poscit totius animae conformationem cum voluntate Dei, *Matth.* 22, 37. Deinde per alias, quibus *pravae cupiditates* ad abusum facultatis generandi tendentes, tanquam *species hic vetitae* commemorantur *Matth.* 5, 28.

** Primo igitur *nexus internus* vnius eiusdemque propositionis (§. 187.) obseruandus est, vbi valebit regula: *talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis praedicatis & contra.* Alias enim *contradictio* locum haberet, si quid enunciaretur per *praedicatum*, quod non inesset subiecto vel ad illud non pertineret: vel si quid remoueretur a subiecto, quod eidem tribuendum foret. Deinde, ad nexum huius propositionis cum toto contextu, & cum aliis de eadem re in scriptura sacra occurrentibus, attendere iuuabit, vbi semper de illo conceptu aliquid adfirmatur vel negatur, e quo determinationes eius

adparent. Vbi valebit regula: talis est scribentis conceptus, qualis permittitur ab illis determinationibus, quas ipse vel alius eadem cognitione pollens, eodem *explicando probando*, *illustrando*, commonstrat.

190. *Definitiones* * *& descriptiones*, ex pluribus *definito* aptis, sic adornandae sunt, vt tum *paralleliſmo* (§. 191.) tum *nexui* propositionis *interno*, & *contextui*, quam optime conueniant, hoc est, vt ex illis reliqua cum quibus cohaerent, *facilius intelligantur*. Nam si *reliqua ista*, compares cum definiendo vel describendo conceptu; videbis modum, quo obseruato, reliqua ex illo conceptu clariora fiant: &, quod ad *paralleliſmum* attinent, videbis, talem conceptum ipso a spiritu sancto proficiſci. Cumque Deus reliqua cum isto conceptu talem & non alium in *nexum* redegerit: eo ipso hanc potius quam aliam definitionem spectauit, adeoque voluit, vt *ad hunc nexum explicationem tuam accommodes*: quippe Deus in scriptura loquens, quam optime ac facillime cupit intelligi.

* Notum est, definitiones *nominales* pro arbitrio

bitrio adornari posse. Modo has rei notas, modo alias definitionibus his complecti possumus dummodo illae sic distincte euoluantur vt sufficiant ad rem definitam agnoscendam, ab aliisque discernendam. Quae igitur notae ad istum finem sufficiunt, & hanc praeterea cõmoditatem habent, vt, quae pro scopo meo inde explicanda sunt, ex illis facilius quam ex aliis deducere possim, eae sunt in definitionem adoptandae.

Si nexus definitionem *realem* potius, quam *nominalem* requirit, illa huic praeferenda erit, & contra.

Io. 14. 23. *Si quis amat me, verbum meum obseruat.* Ibi *amor* erga CHRISTVM, commode definitur, *habitus voluptatem capiendi e Christo*, *Psal.* 37, 4. In Christo est summa *sanctitas*, adeoque vult non nisi ea, quae recta sunt, & *auersatur* contraria. Qui ergo Christo delectatur, is *sanctitate* illius delectatur: is praecepta eius, tanquam specimina illius sanctitatis, materiam suae voluptati proponit. Et quoniam sanctitas CHRISTI eo tendit, vt his praeceptis conuenienter viuamus, seu praecepta illa obseruemus, ideo obseruatio praeceptorum *Christi*, est mera voluptas amanti *Christum*, *Ps.* 1, 2. 119, 1. 15. 16. Haec igitur *amoris* definitio bene conuenit *nexui* propositionis *interno*: *amans Christum, obseruat praecepta*

pta Christi : congruit etiam loco *parallelo*, *Ps.* 37. Sed eadem congruit *contextui.* Qui enim delectari debet Christo, is ea quae insunt *Christo*, cognoscere debet. Cognoscit illa, si Christus ei se reuelat, & praesentissimus in animam eius operatur, vbi simul, tum cetera bona, tum illum ipsum amorem operatione sua fouet atque auget. Igitur *v.* 21 dicit Christus *ego me reuelabo amanti*, & *v.* 23 *Ego veniam ad illum, mansurus in illo.* Porro cum Christus & pater ac spiritus sanctus sint vna essentia, *v.* 20. & eadem sit in patre & spiritu sancto, quae est in filio *sanctitas :* necesse est, vt amans *Christum*, amet Patrem & spiritum sanctum : porro necesse est, Christo veniente in animam, venire & ipsum patrem cum spiritu sancto *v.* 23. Denique, cum *Christus* cum patre suo & spiritu sancto, illa reuelatione sui & aduentu in animam, hunc amorem foueat & augeat, necesse est, vt & ipsa *SS. Trinitas* hoc amore, atque adeo amante, *delectetur*, (sicut amans sanctitate venerandae Triados delectatur) id est, vt *redamet amantem.* Quare addit Christus, *v.* 21. *amans me, amabitur a patre meo.* Et quoniam hoc modo voluptas homini amanti nascitur e sanctitate Dei, vnde & ipsi Deo iugis est voluptas, quae adeo ipsi Deo & homini *communis*

mutuis est ac mutua: ideo mutua quaedam *unio mystica* inter Deum & ex fide amantes, spectatur *v.* 23. 20. Id quod patet exemplo *Christi*, qui amat patrem, adeoque voluptatem ex illo capit, faciens mandata eius *Io.* 4, 34. *Io.* 15, 10. & *sanctitate* eiusdem ita delectatus, vt ad manifestandam illam, humanas miseria omnes sustineret, legesque sanctissimas impleret perfectissime. Quare rursum a patre amatur, ita vt patri sit voluptas e filio *Matth.* 3, 17.

Haec omnia, quamuis vera sint, & *amoris* data *definitio* sat multum habeat fecunditatis: tamen facilius explicabitur forte contextus, si hunc exhibeas amoris conceptum: habitus voluptatem ex eo capiendi, *quod Christo placet* cet. *Io.* 15, 14. *Matth.* 12, 50. *Io* 14, 28.

191. Vbi sola *descriptio* sufficit ad id, vt conceptum in hoc contextu, intelligas pro scopo dicentis, quod fit maxime in *ideis* (*§. 168.*) adeoque in *textu historico*, aut in commemoratione eorum, quae *sensibus* per *naturam* vel *picturam* sic obuia sunt, vt tantum claritatis inde sit in conceptibus, quantum pro instituto sufficiat: ibi scopus scribentis, saltim primarius & proximus, non poscit definitiones (*§. 185.*)

192.

192. Conceptus qui sunt *mysteria*, seu veritates supra rationem positae, *definitionem realem* non admittunt. Eo ipso enim, dum sunt *mysteria*, *modus possibilitatis* eorum nobis incognitus est, quem tamen *definitio realis* exhibere debet. Quamobrem propositiones scripturae quae continent *mysteria*, ita exponuntur, vt in *definitione* conceptuum *nominali* acquiescamus. (§. *176.*)

* *1 Io. 5, 7.* vbi *subiecti* loco sunt *tres testes in caelo*, sed *praedicatum* constituunt haec verba: (hi tres) *sunt vnum.* Hic satis est, *fixos eorum terminorum significatus* dare. Vnde voces *personae* & *essentiae* adhibentur. Sed *definitiones nominales* ad figendos significatus inseruiunt. (§. 188.) Nempe, res, quarum conceptus dicuntur *mysteria*, sunt singularissimae, quarum praeterea cognitio soli reuelationi supernaturali debetur, & hactenus supra vires animae naturales posita est. Sed scriptura sacra *terminis* tamen vtitur ad reuelanda nobis mysteria. Qui cum termino quodam alterius scriptoris, vult coniungere conceptum, ei & *conceptus* & *terminus* notus esse debet: quippe terminus tanquam signum, reproducit tantum conceptum illi respondentem. Deus igitur, qualemcunque in nobis mysteriorum no-

notitiam excitaturus, terminis vti debuit, qui noti essent, & cum quibus conceptum quendam alterius rei cognitae, iungere possemus. Qui conceptus, cum aliquid commune habeat cum iis, quae mysterium ingrediuntur: aliqua in nobis notitia mysterii, sed obscuritate pressa, suscitatur. *1 Cor.* 13, 12. Sic in oraculo superiore *1 Io.* 5, 7. termini *vnitatis*, *trinitatis*, *testis*, naturaliter quoque nobis cogniti sunt, & conceptus pari modo cognitos, excitant. Testis proprie dictus, est *persona*: id quoque scimus lumine intellectus proprio. Cum illi tres testes dicantur *pater*, *filius & spiritus sanctus*, vnicuique notionem *personae* adplicamus cet.

Si res quarum conceptus sunt mysteria, constant *mutationibus* a Deo in nobis productis, quarum nobis conscii sumus, seu quas experimur: tunc conceptus illarum *mutationum*, terminis quibusdam signari possunt, quibus auditis, reproducere licet illos conceptus. Sed illae tamen mutationes 1) animae conuenienter fiunt adeoque analogiam habent cum aliis, quas naturaliter experimur, 2) Deus in scriptura loquens tales mutationes salutares etiam illis hominibus commendat & pro *motiuis* adhibet, qui nondum illas experti sunt. Quare iis etiam *terminis* vtitur, qui, si ma-

xime *noui* (§. 77. *n.* 4.) dicantur, tamen ex aliis iam cognitis compositi vel deriuati, vel ad eorum analogiam adornati & ad rem praesentem translati esse debent. *Supernaturalis* efficacia scripturae, per ista non tollitur aut infirmatur.

MEMBR. III.

DE PARALLELISMO SCRIPTVRAE, ET ANALOGIA FIDEI, TANQVAM PRINCIPIIS FORMATIONEM CONCEPTVVM DIRIGENTIBVS.

RESP. GE. CONRADO STEINBERGER,

Palaestra 24.

193. Ea conceptuum determinatio, quae neque ex *interno* propositionis in scriptura sacra *nexu*, neque e *contextu praesente*, (§. *188.*) sed aliis e locis, eiusdem vel alterius scriptoris auctorisque, sumitur, e *parallelis* locis desumi dicitur. *Locus* igitur scripturae sacrae, alteri loco *parallelus* est is, qui diuerso in nexu (extra contextum) positus, non easdem & eodem modo exhibet determinationes quas alter habet, sed tales tamen,

tamen, quae * ad conceptum alterius rite inseruiunt. Ipsa talis *relatio* locorum ad se inuicem, dicitur *parallelismus* eorum. Si duo vel plura loca, quae eadem de re agere censemus, sibi *contradicere* videntur, id est, eadem de aliquid affirmare & negare: tunc vel non agunt eadem de re, vel idem de ea non affirmant simul & negant. Quod in tali casu erit ostendendum.

* *Parallelismus*, *in verbalem & realem* diuidi solet. *Illum* censemus, si talis adsit relatio locorum ad se inuicem, qua locus vnus determinationes suppeditat, ad significatus non nisi grammaticos alterius (§. 173. * 2) profuturas. Cui *parallelismo* locus est, in *examine philologico*, (§. 62 - 89.) vbi vsus loquendi & linguae *genius* atque *idiotismi* in censum veniunt, analogia *constructionum*, & variae affectiones e grammatica, rhetorica, poetica, petendae, (§. 71. 81.) Locum habet hic *parallelismus* etiam in illis scripturae dictis, quae de rebus, methodo, & affectu, agunt *diuersissimis*, & quae adeo paralleliſmum *realem* non admittunt. Dicitur *verbalis*, non quod vnum idemque verbum in vtroque loco necessario occurrere debeat, sed quod non nisi *verborum significatus grammaticos* afficit, ideoque re,

mo-

motius & *mediate* tantum, influit in formandos conceptus.

Realis parallelismus, differt a *verbali*, quod *realis* suppeditat determinationes propiores, quae definitionem conceptus ingrediuntur, vel easdem saltim propius adiuuant. Hic nimirū parallelismus *notas rerum*, quas repraesentamus in mente, & e quibus constant ideae vel notiones, aut suggerit, aut ad eas facilius & propius indagandas, materiam propiorem sufficit. Quorsum & methodi (§. 133.) & *affectuum* (§. 108.) similitudo, cet. pertinet; ita tamen, vt exinde *parallelismum realem* distinguere possis in *materialem*, qui est inter loca scripturae de eodem articulo fidei vel de re saltim eadem, agentia; & *formalem*, qui est inter loca, non eosdem necessario, sed diuersos etiam articulos, vel res saltim diuersas, at eandem methodum, eundemque *affectum* excitatum, exhibentia. Si *methodi* nomine, etiam elocutionis similitudinem complectaris, in re licet diuersissima, obuiam: tunc illa *methodi* notio ad *parallelismum verbalem* pertinebit. Si iam conferas §. *sequentem*, diiudicare poteris, quomodo *parallelismus scripturae*, differat ab *analogia fidei*.

Denique, si *parallelismum* dicere velis, conuenientiam plurium scripturae locorum eius-

eiusmodi, vbi vna eademque res vel eadem etiam verba occurrunt, ita vt vtrobique ildem plane conceptus reperiantur: non repugnamus, quo minus id quoque, significatu *latiore*, valeat.

194. *Regulae* hinc facile colliguntur. 1) Ad eruendum alicuius pericopae sensum, tantum adhibe *parallelismi*, quantum reperire licet in toto codice sacro. Id enim, nisi feceris, fieri potest, vt aliter determines sensum pericopae tuae, quam debebas per scripturam. (§. *189.*) 2) Ad *parallelismum historicum*, vtere subsidiis *chronologicis*, *geographicis*, *historiis externis* fide dignis, *commentariis* historiae sacrae, *scriptoribus harmoniae* euangelistarum cet. 3) Ad parallelismum *dogmaticum*, adhibe *systemata* pleniora, *lexica realia*, & locorum in quibus explicandis versabere, bonos interpretes. 4) Vtrobique non pigeat euoluere *concordantias*, tum V. T. ebraeas & *graecas*, tum N. T. graecas, & vtriusque etiam germanicas, quibus voces textus *originalis*, & interpretum veteris testamenti graecorum, adiectae sunt. 5) Lectio assidua, & comparatio locorum ipsius scripturae, omne

feret punctum. Neque 6) satis habeto, loca quaedam pro *parallelis* agnoscere, sed tantum nouae determinationis in illis inquire, & ad rem tuam adhibe, quantum illa suppeditant. 7) *Parallelismus* veteris & noui testamenti, in primis notandus erit, ita tamen, ne existimes, omnes veritatum determinationes, etiam illas, quae nouo testamento sunt propriae, in dictis V. T. parallelis ideo contineri. (§. 52.)

195. Veritates, quae in propositionibus scripturae sacrae latent, ad communem aliquem finem, (salutem puta) tanquam media sapientissime adornata, tendunt, (§. 153. 154.) Illae, in diuersis scripturae locis & libris dispersae traduntur, vt *status* hominum illas proposcit, ad quos *primum* & *immediate* perscriptae fuerunt, ita vt omnia quae ad vnum idemque *argumentum* (§. 127.) pertinent, non eodem loco connexa legantur. Qui colligit eas, ex dispersis locis, quae ad vnum idemque argumentum pertinent, apteque inter se connectit, vt vna ex altera intelligatur, & conceptus plenior, magisque ipsi

ipsi rei adaequatus nascatur, is *articulum fidei* * colligere dicitur. Qui omnes illos *articulos* denuo connectit inter se, vt vnus ex altero commodissime intelligatur, & vt pateat, quomodo illi omnes sint media sapienter ad suum finem coordinata, is *systema condit articulorum fidei*. Ille nexus veritatum, in *articulis*, & *articulorum* inter sese, facit, vt singulae veritates, & singuli item articuli, teneant suum ** *locum*, atque adeo sit *ordo* quidam inter omnes, a communi regula vbique determinatus. Vnde nascitur *analogia fidei*, seu *conspiratio veritatum scripturae talis, qua vnaquaeque locum habet in systemate articulorum fidei*; adeoque nusquam systemati contradicit. Ista *locabilitas in systemate*, characterem suppeditat analogiae fidei. Datus quilibet scripturae sensus (conceptus) *analogus* est fidei, si conspirat cum systemate, seu locum in eo habere potest. Vnde patet, *omnem scripturae explicationem*, (datum scripturae sensum) *oportere analogam* *** *esse fidei*. *Rom.* 12. 6.

* *Articulum fidei*, hoc loco, pro complexu

 veri-

veritatum sub vna notione communi comprehensarum, intelligimus, morem systematum secuti, vbi e. c. omnes scripturae veritates ad explicandam *creationis providentiae, regenerationis* cet. naturam pertinentes, dicuntur *articulus creationis, providentiae, regenerationis* cet. Non negamus, vnamquamque veritatem quae articulum suum cum ceteris ingreditur, seorsum etiam *articulum fidei* vocari posse.

Inter articulos fidei, non eas tantum veritates numerari, quae *disertis verbis* in sacro codice leguntur, sed illas quoque, quas legitimo concludendi modo eruimus, aliunde notum est. Qua in parte *latius patet analogia fidei*, quam *parallelismus*.

** Nempe veritates in systema fusae, vt *sibi coëxistentes* considerantur. *Locus* igitur talium veritatum, est *modus determinatus, quo, tanquam media simultanea, ad eundem finem, sibi coëxistunt.* Et quaelibet alteri hoc modo coexistit, vt altera per ipsam vel *immediate* vel *mediate*, *propius* aut *remotius*, intelligatur, & pro vera agnoscatur: adeoque, cum finis pro regula assumatur, vt vna ad finem obtinendum *prius, quam altera*, cognosci debeat.

Si in assignando cuilibet veritati loco suo, semper & vbique id obseruetur, tunc habebis *similitudinem* seu *identitatem illius modi*,

di, quo *illae veritates iuxta se collocantur*, id est, habebis *ordinem* in tuo systemate.

*** *Fides* nimirum, h. l. est systema veritatum scripturae, quibus fidem habemus, (per *metonymiam adiuncti*) & quibus *data* quaedam interpretatio scripturae, seu datus quidam sensus alicuius dicti biblici, congruere debet, ita vt cohaereat ceteris veritatibus in eo systemate comprehensis, adeoque locum in illo systemate obtinere queat.

Vnde consequitur, *nihil analogum esse fidei, quod non idem sit analogum scripturae.* Quod autem distinguunt non nulli, inter *analogiam scripturae* & *analogiam fidei*, simulque adfirmant, fieri posse, vt data explicatio dicti cuiusdam biblici, sit analoga *fidei*, quae non sit analoga *scripturae*; id commoda interpretatione temperandum est. Nempe hoc sensu, *scriptura* idem erit quod *contextus* aut *parallelismus*, illius dicti. Cuiusmodi est ille sensus dicti *Rom.* 14, 33. qui *fidem saluificam*, & *Gal.* 4, 4. *filiationem* omnibus credentibus communem, exhibet; quod fidei est analogum, sed non item contextui.

196. Vt *analogiam fidei* habeas in promtu, his potissimum insiste regulis. 1) Fac vt systema tuum (§. *191.*) sit *plenum* & *solidum*. Si *plenum* erit, non occurret ali-

quis scripturae sensus ad articulos fidei referendus, qui non suum ibi locum inueniat. Si *solidum*, nihil *precario* assumtum habebis, cum quo alias explicationes precarias connectere nitaris. 2) Dum analogiam fidei adhibes pro principio datae interpretationis, ne confunde contradictionem, eius respectu systematis, *veram*, cum *adparente*. 3) Ne existima, vllum esse tam plenum solidumque systema, in quo omnis explicatio locorum scripturae suppeditata, propter rationes exegeticas sat praegnantes mutari nequeat.

197. Ex his patet, definitionem conceptus in propositione scripturae sacrae latentis, esse veram, si, (praestructo vsu loquendi) congruat *nexui interno* propositionis, *contextui*, *parallelismo*, & *analogiae fidei*. (§. *189. 190. 193. ss.*) Id quoties fiet, necesse erit, vt idem conceptus ita definitus, conueniat etiam *scopo* dicentis, adeoque non tantum sit *verus in se*, & seorsum consideratus, sed *verus* & *necessarius*, *in hoc scripturae loco*, seu talis, qualem scriptor his praecise verbis intendit. (§. *159.*) Conspiratio conceptus vel sensus dati, in hoc scripturae loco, cum

reliquis

reliquis conceptibus, eiusdem loci, vel paralleli, per consequens conspiratio talis conceptus cum *scopo* scribentis, a quibusdam dicitur * *analogia scripturae*, & ab *analogia fidei* distinguitur. (§. *195.* ***) Hoc sensu recte constitues ** regulas: 1) *Omnis conceptus e scriptura euolutus, sit analogus & scripturae, & fidei.* 2) *Analogia fidei nunquam vtendum est, in fraudem analogiae scripturae,* (§. *196. num. 3.*)

* Fieri potest, vt datus aliquis scripturae sensus, sit secundum *analogiam fidei*, seu fidei *analogus*; nec tamen idem sit *analogus scripturae*, si analogiam scripturae ita describas vt est in §. Falsus nimirum est sensus, (falsitate *hermeneutica*) quem scriptor non intendit per haec determinata verba, adeoque falsus est, quia cum scopo scriptoris non consentit. Sed idem tamen sensus, potest esse sensus verus alterius propositionis in scriptura sacra obuiae, quocirca ille sensus erit *veritas scripturae*. Quare ingreditur *systema* in quo sunt reliquae veritates, in eoque systemate suum tenet *locum* (§. 190.) atque ita est *analogus fidei*. (*ibid.*)

** Si contingat, duos sensus eiusdem propositionis esse possibiles, eosdemque *fidei analogos*, sique *analogia scripturae* tam pro

vno quam pro altero militare videatur: tunc tutius erit, eligere ampliorem & fecundiorem, quam anguſtiorem, & minus fecundum.

198. Qui definitiones conceptuum ſic adornat, vt ſupra (*197.*) dictum eſt is de *veritate* earum ex indiciis ſibi cognitis, certus erit, adeoque veritatem earundem *probare* poterit. Modus igitur, ſuas definitiones probandi, exinde adparet.

MEMBR. IV.

DE CONCEPTIBVS IMPROPRIIS.

RESP. IO. IAC. EM. AVG. WEISENBRVCH.

Palaeſtra 25.

199. *Conceptus improprii* non admittendi ſunt, ſine vrgente neceſſitate. Vſitatius enim eſt ac linguae magis proprium ac natiuum, conceptus ſignificare per *terminos*, quam repraeſentare per alios conceptus ſignantes, (§. *86.*) Poſita autem * illa neceſſitate, (*ibid.* *) aſſumendus eſt conceptus *improprius* (§. *179.*) quippe modus ille, ſuggerendi conceptus per

per alios conceptus signantes, eximiam habet ** *vtilitatem*.

* Si nimirum posito conceptu proprio, poneretur *contradictio*, feriens *analogiam scripturae*, *fidei*, & aliarum veritatum, quae certae atque exploratae sunt. Saltim, si probabilitas maior militet pro conceptu improprio, quam proprio.

** Quia videlicet vnus conceptus *signans*, plura simul cogitanda offert, ideo viuacior, & amoenior est eiusmodi repraesentatio, quae & *acumen* interpretis tam excitat, quam scriptoris ostendit. Sed plus etiam *realitatis* ad formandos conceptus habet. Nam *rei signantis affectiones* complectitur. Quas qui cognoscit, similes affectiones rei signatae velut intuetur. In quo conceptus signans, ad *signa naturalia* accedit; cum e contrario verborum significatus primus, *arbitrio* debeatur inuentorum.

200. Vt e conceptibus rei figurantis (§. *179.* *** *180. ff.*) eruas figuratos, *primo* videndum est, quaenam sint, quae in *re* * *figurante* notari ac distingui, & de illa praedicari, atque in nexum quendam qui fit imaginis instar, redigi *possint*; *deinde*, quidnam illis harmonicum, res ** figurata admittat, vt adeo *aptitudinem* rei

figurantis, ad designandam figuratam, inuenias. Cum vero, id agens, scriptoris *sensum* adsequi cupias: non satis erit tenere tali modo conceptus figuratos per rem figurantem *possibiles*; *** sed in id vlterius incumbendum erit, vt intelligas, quosnam scriptor ex illis possibilibus elegerit, seu, quosnam *necessario* ex illis pluribus, hic & nunc spectauerit. Id quod e *contextu*, & *scopo* sermonis patebit, (§. *121.*) nisi in ipso *contextu* aut locis *parallelis*, iam sit indicatum. Quorsum & *vsus* scriptorum externorum, caute, & in subsidium, aduocari potest. *Fac igitur, vt in metaphora, simili, emblemate* (*) *notitiam rei figurantis ac figuratae sufficientem, acquiras, vtque contextum & scopum habeas perspectum, tunc tertium comparationis textui conueniens erues.*

* Si res figurans sensibus tuis non sit obuia; ex historia rerum naturalium & artificialium, disciplinis eo pertinentibus, geographia, & similibus subsidiis, opem arcessere oportebit, *conf.* §. 187.

** Si res *figurata* per difficilem coniecturam eruetur, sicut in visionibus propheticis, eventus praecipue futuros exhibentibus, accidere

cidere solet : animo tamen concipienda erit res figurata, qualiscunque sit, & videndum, quomodo contenta rei figurantis in eam conueniant.

*** Sicut in *verbis* & *phrasibus* non tam spectari debet, quid significare *possint*, quam quid hic & nunc significare *debeant* ; ita & res se habet in re figurante.

(*) *Emblema* per vsum frequentem & receptum, ita determinatam figurandi vim acquirere potest, sicut voces per vsum loquendi ad significatum quendam determinantur. Quo plures eiusdem rei, vel rerum connexarum affectiones in emblemate exprimuntur, eo propius accedit ad *allegoriam & parabolam*.

§. 201. In *allegoria*, *parabola*, & *apologo*, *affectiones* rei figurantis, seu illa quae eidem tribuuntur, enumerari, & in vnam velut imaginem compositam ipso a scriptore, redigi solent. Sed, quoniam fieri potest, vt quaedam earum *affectionum* eo tantum inseruiant, vt, rei figurantis *imago plena*, *verisimilis* & *comta*, *viuax & iucunda* sit, atque ab omni parte aptius cohaereat : ideo tutum non erit, *quamlibet affectionem rei figurantis*, *in textu obuiam*,* *assumere pro tertio comparationis*, sed ex natura rei figuratae, itemque e scopo & con-

contextu (§. 200. 32. 34.) iudicium ferendum, (§. 165.)

Parabolae Christi *Luc. XV.* 1. *ss.* exempli loco assumi possunt. Scopus parabolae *de ove perdita*, *v.* 1 - 8. est conuictio hostium Christi, 1) de rectitudine actionis Christi, conuersantis cum peccatoribus, 2) de iniusto dolore & increpatione indigna, qua hostes aduersus Christum vtebantur. Id patet 1) ex *occasione*, *v.* 1. 2) ex ipsis *contentis* parabolae (§. 165.) *Rectitudo facti*, sic demonstratur: qui cum peccatoribus versatur, non ad societatem peccandi, sed ad remedium peccato quaerendum, *is recte agit*, sicut pastor ouem perditam, non vt perdat, aut pereat ipse, sed vt reuocet perituram, persequitur. *Iniquitas* facti hostilis inde patet, quod *dolerent* pharisaei, vbi Deus, & *tota Dei familia* gaudeat, *v.* 5. 6. 7. Idem ex parte scopus est parabolae subnexae, de filio perdito & ad patrem reuerso. Compara *v.* 1 *f. - fin. cap.* nisi quod plenior scopus simul *peccati* naturam & consectaria funesta, itemque *resipiscentiae* indolem exhibet. Intermedia hisce parabola, de *muliere*, *v.* 8 - 11. *scopum* habet prorsus eundem, quem prima de ouicula.

Cum scopus sermonis, sit *conceptus quidam*, per aliquam sermonis pericopam, tanquam per *medium*, formandus, (§. 153.)

&c

& cum scopus *primae* parabolae atque *secundae* sit ille: 1) recte factum est, quod associor peccatoribus, ad salutem eorum obtinendam, 2) inique factum est, quod dolor vester ista e re subortus, in verba indignantis & increpantis, erumpat: hae duae propositiones sunt directrices eius, quod ex rei *figurantis affectionibus*, ad rem *figurandam* transsumendum sit. Iam in prima parabola res *figurans* Christum, est *pastor*; *peccatorem*, est ouis, societas cum peccatore, signatur per actionem pastoris, abeuntis, *quaerentis*, cet. Quod *domum redire* pastor idem dicitur, id ad *integritatem imaginis figurantis*, pertinet, neque applicari debet ad *ascensionem Christi in caelum*.

Numerus ouium 99. relatus ad *vnam*, non indicat plures semper esse pios quam perditos, vel numerum piorum sese habere ad caetum impiorum vt se habet 99. ad 1, sed *pro scopo & contextu*, Christus indicat tam operosam esse Dei gratiam ad *salutem* vel *vnius* peccatoris, qui numerum plurium, iam piorum, augere possit, procurandam, quam sit operosa ad conseruandam illam salutem in regenitis: neque vnice Deum id agere respectu hominum, vt pios curet, & quasi solis cum illis in deserto (in irriguo & herboso pascuo) versetur. Vt igitur *oues* 99. figurent ecclesiam iudaicam, numerosiorem,

&

& *ouis vna* paganos pauciores ad Christum conuersos, neque suadet neque iubet *scopus*, ille rerum magister.

Sic in altero simili, *mulier* sistitur, vt *verisimilior* sit res figurans, respectu *drachmae* perditae. Nam & *minutior* factura magis adficit illum sexum, & maior est illi in huiusmodi quaerendis patientia. Quid est igitur quod *mulier*, *spiritum sanctum* potius, quam Christum aut patrem signare debeat? Cur *scopas* etiam, quibus verritur domus, ad rem nescio quam figurandam torquemus? quae nimirum, consilio non memorantur alio, nisi vt *verisimilior* & *vividior* sit imago rei figurantis, adeoque aptior ad *curam intensissimam* gratiae diuinae, peccatoribus quaerendis impensae, figurandam.

202. In *exemplo* ea continentur, quae actu ipso contigerunt, adeoque *singularia* sunt seu *individua*. Sed eo ipso quod sunt *exempla*, necesse est, vt illa *individualia*, ex quibus factum totum vel euentus quidam conflat, aliquid contineant, quod de aliis, propter similitudinem, tanquam * *vniuersale*, praedicari queat. Quocirca necesse est, vt 1) *integritatem* ipsius exempli in conspectu habeas, ideoque si plura eius momenta in variis scripturae

pturae locis dispersa occurrunt, illa diligenter colligas ope *parallelismi*: 2) si plenior exempli commemoratio nusquam reperiatur: ex historia illius temporis quo illud contigit, e qualitate & statu personatum agentium, ex addita in textu *applicatione* illius exempli, tantum colligas, quantum, morali saltim certitudine, colligi potest, 3) praeterea sic agas, vt de *parabola*, (§. 121.) dictum est.

* 2 Cor. XI. 3.

203. *Prouerbia*, quatenus huius loci sunt, * originem habent in *exemplis*, *parabolis*, *similibus* **, & re qualitercunque figurante alia. Quare 1) *origo* illorum inquirenda, vnde non modo *gratia* maior eis affundi, sed *fecundior* etiam figurandi vis, perspici potest, 2) si eadem saepius in diuersis locis occurrunt; videndum, vtrum eodem vbique sensu adhibeantur, an *vsus loquendi* diuersum quid inuexerit, 3) reliqua hic agenda, e superius dictis, (§. 200. ss.) adparent. *Aenigma*, quatenus huc pertinet, *** notas aliquas, rei figurantis obscuriores, exhibet, quarum nexus imaginem quandam con-

constituit, quae ad rem *figuratam* coniectando assequendam, referri debet. Vbi 1) notae rei figurantis probe determinandae, & quaenam aliae hactenus occultatae, per illas tanquam per fragmenta totius imaginis, detegi, queant, inuestigandum, 2) eaedem notae, iam repertae, ita inter se connectendae, vt probabilem quandam imaginem ingeniosam conficiant, 3) dispiciendum, est quaenam res figuranda sit talis, quae huic imagini respondeat: vbi examen *historicum* & *logicum* interdum praestat opem.

* Nonnunquam & quodlibet, dictum saepius vsurpatum, adeoque *vsu tritum*, dicitur prouerbium. Plura huiusmodi disserit ERASMVS ROTERODAMENSIS *praefat. ad opus adagiorum*. Haec *latior* est vocabuli vsurpatio, quam hic non spectamus.

Allusiones autem ad prouerbia stricte dicta, seu, aliquid in propositione ex prouerbio tali desumtum, παροιμιώδες, omnino est huius loci.

** Ne prorsus ab vsu vulgato recedamus, τὸ *simile* h. l. & (§. 182) angustiore significatu sumsimus, vt vulgo fit in scholis rhetorum, quam §. 180. Quidam τὸ *simile* sic distinguunt a reliquis conceptibus figurantibus,

vt

vt in eo *rei figurantis* affectiones aeque late, vel latius pateant, quam rei figuratae, vid. ven. BAVMGARTEN *l. c.* §. 94. Nostro stilo sub *allegoria* comprehendi posse videtur, quae est euoluta metaphora.

*** Rariora in sacris litteris sunt *aenigmata*, quae nimirum scopo illarum, si frequentia forent, repugnatura sint. In *visionibus* tamen *propheticis*, & vaticiniis sunt, quae ad aenigma propius accedunt.

204. Cum omnia huius mundi, e quibus ea quae Dei sunt, cognoscimus, sint eiusmodi, vt ab illis ad haec per viam *eminentiae* ascendamus: etiam locutiones *anthropomorphicae*, & *anthropopathicae*, in scriptura sacra obuiae (§. 181. **) aliquid in Deo *per eminentiam* cognoscibile, figurant, adeoque θεοπρεπῶς explicandae sunt. Et quoniam locutio sacra, tale potius humanum, quam * aliud, continet; consequens est, hoc potius quam aliud eorum quae Dei sunt, per illud humanum in textu positum, figurari. Quocirca interpretis est, 1) determinare, quid sit & praestet illud humanum in homine, 2) quidnam diuinum apte per illud figuretur, 3) in illa comparatione, id quod

vtrinque congruit, retinere, & loco imperfectionis in illo humano, substituere aliquid perfectionis summae in diuino, 4) ad scopum & contextum attendere (§. 187.)

* Nempe c. c. *oculos* potius, quam *manus*, *poenitentiae* potius *affectum*, quam *gaudii*, cet. Quae omnia non proprie dici de Deo in sacris litteris, vel exinde patet, quod in iisdem, Deus vt *spiritus perfectissimus* sistitur. Huc refer illud de Deo patre, quando filium *ad dextram suam sedentem*, describit. *Oculus* est illud organon humani corporis, cuius ope anima per species impressas & ideas materiales, obiecta visibilia sibi repraesentat, pro situ eius ad haec obiecta. Id per quod Deus sibi res repraesentare concipitur, est intellectus eius. Imperfectiones repraesentationis humanae per oculum, hinc omnes remoue, c. c. quod *aliqua* tantum, visibilia videlicet obiecta, quod *successiue*, quod *pro situ* ad illa, quod *confuse*, quod non nisi *posita luce*, ista fiat. Ita actum repraesentandi in Deo perfectissimum habebis.

Sic *poenitentia* Deo tribuitur. Pro *scopo & contextu*, vel poenitentia illa refertur ad *mala moralia*, quae cum facto & decreto diuino, postea per factum alienum se coniunxere: vel ad mala *physica*, quae Deus sub conditione immissurus, postea non immittit, cessante illa conditione: vel quibus iam immissis, misericordiam suam declarat cet.

Ceterum

Ceterum non modo ab hominibus, sed aliis etiam *animalibus* locutiones ad Deum translatae sumuntur.

DE

SENSV MYSTICO EPIMETRON,

RESPOND. PHILIPPO MELCH. SIEBERO.

Palaestra 26.

---

205. SEnsum *mysticum strictius* dictum, (§. *183.*) eruens, prudentia debita vtatur, ne quid vel infra vel supra scopum Dei conetur. (§. *52.*) Vbi non sufficit, *aptitudinem* rei figurantis, ad figurandam rem alteram inuenisse; sed ostendendum est, in illo scripturae contextu, vbi res figurans exhibetur, Deum voluisse, vt res ad figurandum *apta*, ipso *actu* figuret: ne ab eo quod est *possibile*, ad id, quod est *actu*, h. e. *scopo*, *contextu* *, & *parallelismo* determinatum, concludamus. Quam extra determinationem, nihil pro *certo* scripturae sensu venditari potest, quanquam sagacitas & studiosa mysteriorum sollertia laudem habeat.

* Nempe 1) *parabolarum* res figurata vel determi-

terminatur per *prologum* & *epimythion* *Luc. XVIII.* 1. 7. 8. id est, per contextum & scopum *expressum* ac *manifestum*: vel per scopum ex *occasione* & contentis parabolae *colligendum*, *Luc. XVI.* 19.

2) In *exemplis*, addita applicatio, vel praemissum dogma, quod per exemplum illustratur, est *contextus* & *scopus manifestus*: qui *rem vniuersalem*, tanquam figuratam, indicat. Sic de ceteris, vbi *alterum*, quod sensu litterali continetur, *manifesto* pro re figurante *alterius figurandi*, sumendum est.

3) Sed multum distat ab illis, si eae sacri codicis partes sumuntur, quae *institutum aliquod diuinum*, *euentus a Deo destinatos & permissos*, *promissa* & *vaticinia* de rebus manifesto determinatis, *miracula Christi*, *personarum* facta & status, *cantica sacra*, res aeui sui, vel praeteriti, exhibentia, complectuntur. In his omnibus, tales conceptus per verba exhibentur, qui per se considerati, factum quoddam aut obiectum determinatum sistunt, neque a *scopo*, neque a *contextu*, neque a *parallelismo* ad aliud quidpiam figurandum, determinantur, nisi quod sola rei descriptae, cum aliis quibusdam rebus, obseruabilis *harmonia*, sese offert. Sola ista *harmonia* nondum efficit, vt conceptus illi sint *figurantes*, qui sensum quippe suum, quo *obiecta* vere existentia

pro

pro scopo & contextu, exhibentur, iam tum absoluerunt. Oportet igitur, vt auctor scripturae supremus determinationem aliam externam superaddat, qua conuincamur, eum *sensum* verborum, qui consueto more, per contextum & scopum iam ita determinatus est, vt aliam internam determinationem vlteriorem requirere non possimus; nihilominus vsum habere figurantem, & ad rem plane aliam indicandam valere, quam est illa, cui per scopum & contextum iam est proprius. Quare necesse est, vt auctor sermonis sacri, in loco quodam scripturae, (qui sic fiet *parallelus*) rem illam figuratam claris verbis denominet, & per sensum illum literalem, eandem figurari, declaret, (§ 35.) Fac enim, rem illam figuratam determinate haud indicari; fieri potest, vt & *res aliae* satis magnam habeant cum illa quae figurans perhibetur, *harmoniam*. Quare tam facile ad *alias* illas delabi possumus, quam ad tuam. Si ex *harmonia maiori* sumas rationem: vel nunquam, vel rarius in illis scripturae locis occurret exemplum, in quo cum re data figurante, tanta sit harmonia, quanta vestigari non possit cum alia. Nihil itaque certi in fundo residebit.

4) *Typus* igitur *stricte* dictus (§. 138.) differt 1) a *parabola*, quoniam in parabola a) *res figurans* non est *factum actuale aut perso-*

xa, id quod in *typo* tamen requiritur. *b*) Res figurata *parabolae*, non est necessario *futura*, sed praeterita vel praesens esse potest: *c*) eadem res figurata, in *parabola* est veritas vniuersalis, cum *antitypus* possit esse *individuum*. Differt *typus* a) ab *exemplo* a) quoniam exemplum potest esse res figurans aliarum *coexistentium*, neque necesse est vt hae sint *futurae*: *b*) quoniam ea quae ab exemplo abstrahi possunt *vniuersalia*, *veritates generales* sunt, *c*) quoniam ea quae ab exemplis abstrahuntur *generalia*, meditatione nostra per modum *porismatum* eruuntur; in *typo* autem necesse est, vt Deus ipse in aliquo scripturae sacrae loco, *antitypum* denominet, siue tunc, cum typum constituit, siue postea, cum adest antitypus, siue vtrobique.

206. Ea rerum relatio, qua quid inter se habent commune, dicitur *harmonia* rerum. Quae quidem harmonia est *perfectio*, manifestans Dei destinantis vel permittentis * summam sapientiam. Deus igitur, qui manifestauit per mundum summam suam perfectionem, adeoque summam sapientiam; vult etiam vt illa a nobis agnoscatur, quod fit omnino, si cognoscamus istam rerum *harmoniam*. Quoniam igitur scriptura sacra

est

est ex illis, quae ad hunc mundum pertinent; & res in sacris litteris diuersae occurrunt, inter quas aliqua est harmonia; itemque post consignatam scripturam, multa eueniunt, (ad regnum Christi praecipue pertinentia) quae conspirant cum istis, quae in sacro codice leguntur: vtilis est illa opera, & *scopo* Dei saltim vltimo, congrua, quae harmoniam istam exquirit. At vero ille scopus Dei tam ** generalis, non determinat sensum *individualem* huius vel illius propositionis (§. 29.) neque determinat (quoad sensum mysticum) has rei figurantis notas tanquam signa certa notarum in re figurata. Ergo ille scopus Dei, qui est manifestatio sapientiae per res scripturae sacrae harmonice explicandas, non sufficit ad sensum mysticum *determinate certum.*

* Si quis dicat inter peccata ipsa, esse aliquam harmoniam, adeoque & perfectionem, & ex illa perfectione, manifestationem diuinae sapientiae: is *permissionis & directionis diuinae circa varia peccata harmoniam*, hic spectari, cogitet, neque a *realitatibus* ad *defectus* concludat.

** Si qua ratio in promtu est, quae suppedi-

zet scopum Dei *minus generalem*, adeoque generali superadditum & propius accedentem ad specialiora: videndum erit, an & illa sufficiat ad sensum omni modo determinatum. Talis ratio est e. c. *omnes libri V. T. testantur de Christo Act. X. 43. XXVII. 22. Luc. XXIV. 27. Quid* autem, & *quomodo* singuli libri, eorumque partes, de Christo, testantur? id scopus ille, quanquam minus generalis quam alter, nondum determinat, nisi *contextus*, *scopus propior*, & *parallelismus*, tanquam rationes proxime determinantes, accedant. Vbi denuo rerum *analogia*, istis rationibus destituta, ad conuictionem de sensu, haud sufficit.

Propius determinat illa ratio: si Deus auctor & interpres scripturae, *aliquid rei* in scriptura propositae, ad repraesentandum quiddam aliud, ipse adplicuit, tunc cetera illius rei, ad repraesentandas alterius notas pariter aptae, pariter a nobis adplicandae sunt. *Propius* inquam, haec regula determinat, sed non *proxime*, ita vt conuincar de certitudine scopi diuini specialis, qui iubeat, vt ego analoga cetera pariter applicem. Quod tamen posterius ad *sensum ex omni parte certum* requiritur (§ 29. 172.)

Id fatendum est, sensum mysticum hac vltima regula subnixum, *plus habere probabilitatis*, quam ceteros, eiusdem generis regulis

regulis suffultos. Quales regulae sunt: *manifestior analogia* rei cuiusdam, cum re alia, adeoque *aptitudo* conspicua, ad illam figurandam, parit sensum mysticum. Itemque: res illa assumenda est pro figurata, quae cum altera, quam Deus diserte ex re quadam figurante deduxit, magnam habet analogiam. Et illa: si res figurata admittatur in hoc vel illo scripturae loco: clarius manifestatur *sapientia diuina*, qui res pro figurantibus assumendas, demto hoc vsu nimium leues vias, instituit aut consignari iussit. Huc refer solam *antonomasiam* & *allusionem*.

207. Solus ille sensus mysticus certo diuinus, & in loco quolibet determinatus est, ad quem intelligendum Deus ipse 1) rem figurantem eiusque notas, 2) figuratam eiusque notas harmonicas indicauit in aliquo claro scripturae sacrae loco, (§. 205. 206.) reliqui probabilitate sua, maiore vel minore gaudent, prout regula substrata, illam probabilitatem infert. (§. 206.**)

208. Si praedicata quaedam, in propositione scripturae, talia sint, vt vulgatum vsitatumque subiecti conceptum, manifesto transscendant, (in quo tamen diiudicando *contextus* valeat) tunc non

adest sensus mysticus, quia non adest res* figurans & figurata.

* Si praedicatum tale est, quod non conueniat *subiecto*, quod pro more ista voce denotatur, tunc aliud *subiectum* literaliter indicatur: cum *talia sint subiecta* cet. Fieri enim non posset, vt vera esset propositio, cuius praedicatum tribueret aliquid subiecto, quod eidem repugnaret, seu non inesset, neque conueniret. Quare tunc illud subiectum quod communiter ista voce designari solet, in hac propositione non adest; seu illud subiectum, alias hac voce denotatum, non habet eas notas, quas praedicatum exhibet. Si itaque deest subiectum *notis illis* instructum, quas poscit praedicatum, deest etiam res figurans, quae alteram similibus notis conspicuam, repraesentare possit. Erit igitur in tali propositione, quam sumis per hypothesin, *merus sensus literalis*, & subiectum per *antonomasiam*, vel tropum aliquem alium, indicabitur.

209. In *sensu* quem vocant *mystico* determinando 1) ea loca sacri codicis in promtu habeas, quae eundem certo indicant. 2) *probabilem* distinguas a *certo*, & *gradus* probabilitatis obserues. 3) ne probabilem obtrudas aliis pro certo, nec obser-

obseruantes illud discrimen, pro *caecis* declares, 4) praesertim illum *probabilem* exigas ad analogiam fidei, neque extra contextum & scopum vageris.

MEMBR. V.
DE
NEXV PROPOSITIONVM INTERNO.

RESP. OTTONE HENRICO CAPPE.

Palaestra 27.

210. COnsideratis singulis in propositione terminis, conceptus singulos exhibentibus, succurrit eorundem *nexus*, quo nisi penitus perspecto, ne definire quidem singulos, ex mente scriptoris, licebit. Nexus igitur *internus* h. e. praedicati cum subiecto suo, interdum talis est, vt ratio reddenda sit e *subiecto*, cur & quomodo ei tribui queat praedicatum, vel contra, cur praedicatum ab eo remoueri debeat, eique contradicat. Si propositio continet *notiones* (§. 185.) vel *naturaliter* cognitas, vel *reuelatas*, sed in scriptura satis determinatas: * tunc praedicatum

catum e subiecti definitione ** intelligitur, & ratio ex eo redditur, cur notio praedicati eidem conueniat, in *propositione affirmatiua*, aut contradicat in *propositione negatiua*: nisi praedicatum aliquid contineat *accidentale*; seu *modum* & *relationem* aliquam, cuius ratio per determinationes subiecti (*§. 188.* **) non sit expressa: quo casu tantum *possibilitas* e definitione subiecti patet.

* Si *fides actuosa dicitur per amorem Gal. V. 6.* ex notione fidei in sacris literis determinata, praedicatum, (*actuositas* nempe *per amorem*) deduci, & ratio eius reddi potest. Nam fides est *notitia viua meriti Christi, ad se pertinentis.* Qui meritum Christi viua notitia tanquam ad se pertinens, per operationem gratiae continuam cognoscit, is videt meritum Christi maximum esse bonum, a Christo, & Patre atque spiritu sancto profectum, eoque vt suo, delectatur. Videt, per fidem illam, omnes Dei perfectiones factas sibi esse salutiferas, ante fidem sibi funestas. Promissimus igitur est, ad voluptatem e Deo capiendam, qui si non foret, nec foret illud meritum sibi tam salutiferū. Amat itaque *Christum & Deum.* Porro, qui Deum amat, is voluptatem capit ex iis quae Deo placent. Placet autem Deo, amare fratres &

& quoscunque homines alios. Ergo ex fide est amor proximi.

** Cetera e praeceptis logices, (quae mater est hermeneuticae) facile supplentur. Nam nimis communia hic repetere, nihil attinet. Nempe in propositione affirmante vel negante *vniuersali*, etiam *vniuersalitatis* ratio quoties illa suppetit, reddenda est, & *particularitatis*, in *particulari*. In *optatiua*, *precatiua*, *vocatiua*, *interrogatiua*, *imprecatiua*, *obuiurgatiua*, cet. *animae status* in loquente, ad contenta propositionis referendus. Propositionis *indefinitae*, vtrum *vniuersali* aequipolleat an *particulari*, pariter erit ostendenda natura. Propositionis *modalis*, modus ipse, eiusque cum terminis suis nexus, declarari debet. e. c. *Necesse est existere scandala Matth. XVIII. 7.* Impossibile est, *seruire simul Deo & Mammonae Matth. VI. 24.* Propositiones *identicae*, & illae, quae rationem habent in vnione naturarum Christi, & *communicatione idiomatum* respectu Christi; *exhibitiuae*, *ordinatae* & *inordinatae*, *crypticae* item, *contrariae*, *contradictoriae*, *exclusiuae*, *exceptiuae*, *restrictiuae*, (quae *exponibiles* dicuntur) porro, quae vt *axiomata*, *scholia*, *corollaria* (§ 135.*) considerari possint, cet. ex iisdem fontibus diiudicentur.

211. Qui

211. Qui rationem reddit praedicati, e definitione subiecti, is, si notio est solius reuelationis, definitionem illam * e scriptura sacra probare debet. Si notio naturaliter nota est, ostendere oportebit, in scriptura sacra vel eandem supponi, vel alicubi eandem suppeditari, (187.)

* Equidem, dum praedicatum ex subiecti notione euoluo, satis videtur adesse probationis, pro vera subiecti definitione; cum *talia sint praedicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis.* Sed quoniam dum interpretamur verba alterius, sensum ab illo intentum praecise, & non alium, spectare debemus; Deus autem verborum suorum (vbi talia tractantur) est optimus interpres; fieri autem hic potest, vt 1) praedicatum adsit, quod ex subiecto aliter definito, deriuari queat; 2) neque insolens est, praedicatum aliquod a lectore in alium flecti significatum, vt alii subiecto respondeat: facile adparet, in his certe casibus probandam esse subiecti definitionem, quam assumseris, sicut in philosophicis, nominalium definitionum *possibilitas* probatur, *Rom. III. 20. opus legis non iustificat. Lex* h. l. tum caerimonialis, tum moralis intelligitur. Si quis ita definiat subiectum, vt *notio legis caerimonialis* in nouo testamento abrogatae, prodeat; non diffi-

difficile fuerit eidem. ex illa notione *iustificationis impossibilitatem* deducere. Quare, si definis legem ita, vt moralis cum caerimoniali intelligatur, haec definitio erit probanda.

212. Si propositio data contineat *ideas*, quae sunt rerum singularium, siue per naturam, siue solam per reuelationem cognitas; tunc fieri potest, vt *subiectum* sacris in literis per eas determinationes declaratum aut per scientiam & experientiam naturalem cognitum sit, quae in eiusmodi propositionem assumtae, satis ostendunt, cur tale potius quam aliud praedicatum tali subiecto tribuatur. Quoties illud fit, toties interpretis erit, tales determinationes huc aduocare, & rationem ex illis reddere praedicati.

* Ita de *sepulcro* Christi, quaedam praedicantur, & praedicari possunt, quae intelligi queunt, si determinationes euoluas, partim illas, quae singulari sepulturae iudaicae consuetudini, fuerunt propriae, ideoque communes cuilibet sepulcro iudaico, partim illas, quae propriae memorantur sepulcro Christi, cet.

213. Si propositio continet *mysterium*, strictius dictum, adeoque nec rationi *si-*

bi

bi relictae, nec *excitatae*, nec *illuminatae* quoad modum possibilitatis specialiorem, comprehensibile (§. *192.*) necesse est, subiecto eas determinationes e scriptura h. e. *testimonio Dei* sumtas, applicare, quibus positis, *contradictio* * respectu praedicati *adparens*, euanescat, & praedicatum subiecto vere tribui posse; atque scripturam non tradere quae sint contra rationem, eluceſcat. (§. *176.*) Vnde patebit, propositionem illam continere talia, quae sint 1) *credibilia* in se, 2) *credenda* propter testimonium diuinum, 3) ex ipso subiecto rite determinato rationem aliqualem reddi posse, cur ei praedicatum tribuatur, adeoque a *propositionibus mysterioſis* non exulare *nexum*.

* *Deus vnus, est pater filius, & spiritus sanctus*: quatenus in *Deo* non tantum *essentiam* considero, sed etiam *personas*. *Filius hominis* est *omniscius*, quatenus non solam humanam naturam, sed eandem in vnione personali considero, vbi de *humanitate* praedicantur attributa diuinitatis τῶ λόγε.

Contradictio illa *adparens*, vel putatur *verius* testimonii diuini contra *aliud* quoddam; vel testimonii diuini contra veritates naturaliter,

naturaliter, hoc est per experientiam naturalem, & rationem sibi relictam, cognitas. Quare si putas, *ideam* subiecti, in propositione *mysteriosa* per aliud testimonium diuinum, vel per ea quae naturaliter cognita sunt, ita determinari, vt praedicatum his determinationibus non respondeat, sed contradicat; tunc in illa *propositione* finges contradictionem; qua durante, fieri non potest vt credas. Quod idem accidere potest, si *praedicatum* aliter determines, quam scriptura duce, fieri debebat.

Quoties igitur in *propositione mysteriosa* fixam terminorum significationem dederis, in quantum idea nobis reuelata illis respondet; (§. 192.*) toties ita determinabis subiectum, vt ex eo rationis non nihil reddi possit, cur ei connectatur hoc potius quam aliud praedicatum: e. c. *Deus pater mittit alium, qui pariter est Deus. Io. XIV. 16.* Vbi in subiecto *Deus*, est prima trinitatis persona, a qua secunda & tertia eiusdem essentiae, illa per generationem, haec per spirationem cum secunda persona ipsi communem, procedit. Cur igitur Deus ille mittit alium qui est Deus? quia datur praeter illam primam personam, secunda & tertia, quae vtraque pariter est Deus (per determinationem conceptus in subiecto.) Cur *mittit* pater? quia congruum est, cum mitti

ab altero, qui ab altero procedat, (per definitionem conceptus in subiecto.) Alias *relatum* per *correlatum* & v. v. definire vetat alma logica.

Si quis *definitionem nominalem* conuenire neget terminis mysterioſis, qui non nisi *descriptionem* patiantur, cum illo quidem ego non contenderim, satis habens, *figendos esse terminorum significatus*, quo praetermisso, nihil determinate cognoscere licebit. Sicut communiter, vbi ad determinandum conceptum, sumi debent plura *singularissima*, seu individuantia, eademque, respectu definiti, vix aut ne vix quidem notiora, vel *analogice* tantum repraesentanda, illa descriptioni qualicunque, inseruire solent: ita videndum erit, an & quousque, & in quibus mysteriis, id obtineat.

Ipsa vero *mysteria* diuersis contineri classibus, quis ignorat? Duo sunt quasi *primigenia*, in eadem ponenda classe. Primum, *SS. Trinitas*: alterum *incarnatio filii Dei*, quae est miraculum regni gratiae *primigenium*, adeoque res singularissima. Reliqua in regno gratiae mysteria, inde deriuantur, & res plurimas continent, quae fiunt ordinarie *secundum leges*, per finem incarnationis potissimum determinatas, adeoque sine miraculo regni gratiae. Quamobrem talium mysteriorum *definitiones reales*, dari posse videntur,

videntur, vt *iustificationis*, *gaudii in spiritu sancto* cet. Id vero tunc demum fieret, si *modum operationis gratiae* (cuius notio distincta, ad intelligendum possibilitatis modum in his mutationibus beatissimis necessaria foret) nobis perspicere datum esset. Sed ibi *rem* nouimus, *modum* ignoramus *to. III.* 8. 13. Igitur in his, definitiones dabimus *realibus analogas*.

214. Supposita *subiecti* aut *praedicati* definitione vel descriptione, patebit ex vtriusque comparatione, vtrum *restrictiua*, an *extensiua* locum habeat interpretatio. Nempe, si conceptus *praedicati* rite determinatus, non quadrat in conceptum subiecti, nisi sub ea conditione, per quam illud praedicatum verum esse potest: tunc in sermonibus Dei & hominum inspiratorum, aut de falsitate, errore, vel ignorantia non suspectorum, subiectum per additam illam conditionem * *restringendum* est, quae diserris ei verbis non semper adiicitur. Porro, si conceptus *subiecti*, recte determinatus, non admittit conceptum praedicati, in consueta latitudine ** sumtum: tunc praedicato eae determinationes addendae sunt, sub

quibus congruit subiecto. Alias propositio non esset vera, & *fidei analoga*. Vbi talis *restrictio* locum non habet; ibi *extensio* per se patet. Vnde iudicium ferri potest, etiam de propositionibus *indefinitis*, vtrum vniuersalibus an particularibus aequipolleant?

* *Restrictio* illa, vel *vaga* sumitur, vbi e variis significatibus vocis, vnus determinatur, ceteris remotis: vel *determinate*; vbi conceptus quidam generalior, vel *plenior*, voci pro more respondens, ad quiddam *specialius*, vel ad *partem* totius, limitatur. Prior restrictio ad examen potius *philologicum* pertinere videtur, posterior ad *pragmaticum*. Sed & prior hactenus ad hoc examen refertur, quatenus inter plures eiusdem vocis aut phraseos significatus, hic prae altero eligitur, per *accuratiorem* ipsius *conceptus* determinationem. (§. 173. *) Quamuis fatendum sit, in his casibus non tam *restrictionem* conceptus ipsius fieri, quam significatus alterius, eidem voci per vsum loquendi conuenientis, *electionem*. Prioris exemplum est *Luc. I. 78. oriens ex alto, nos visitauit.* Visitatio rectius quadrat in *solem*, qui abire, redire, expectari dicitur, quam in *exorientem* e terra vel trunco *furcalium*, qualem interpretes quidam huc retulerunt.

Poste-

Posteriorib, 1 *Cor. X.* 23. vbi *omnia* sibi *permissa* dicit PAVLVS, omnia puta, quae lege nulla vetantur, in se, & in *abstracto* spectata.

** *Omnia vestra sunt.* 1 *Cor. III.* 21. Dic τὸ *omnia* in *subiecto*, esse omnia huius mundi. Ex hac determinatione patebit τὸ *vestrum esse* in praedicato, non *dominium* plenum, seu *proprietatem* omnimodam, indicare, sed restrictam, ad eam *vtilitatem*, quam totus rerum nexus praestet Christi clientibus; ita moderante supremo eorum rege, ac domino mundi, Dei filio. *Rom. XIV.* 17. *regnum Dei non est cibus & potus.* Sic: non posita praedicatione Christi, non ponitur Iudaeorum *peccatum Io. XV.* 22.

215. Si e praedicato ratio reddi potest cur haec vel illa determinatio accessoria (§. 188.) adhaereat subiecto: tunc, scopus * *specialior* (§. 162.) per hunc nexum detegitur.

* *Rom. XVI.* 20. Deus dicitur Deus *pacis*, in praedicato est *conculcatio Satanae sub pedibus fidelium.* Hanc Deus praestat, tanquam propugnator pro *pace interna & externa* fidelium. Non est interea inficiandum, ex more linguae ebraeae, *Deum verum* huiusmodi adpellationibus consuetis, fine respe-

ctu ad specialem adiecti vocabuli significatum, & nexum, frequenter designari.

216. Propositiones * *compositae* in sacris literis occurrunt: quarum arcta & velut in vnam fusa copulatio, ad *nexum internum* referri potest. Tunc vel *adsunt particulae*, nexum earum & compositionis speciem indicantes; vel *absunt*. Vbi 1) facta resolutione in vtramque simplicem, ratio talis compositionis reddenda est, ex ipsis conceptibus ingredientibus, per *contextum* & *paralleliſmum* rite determinatis: 2) *particulae praesentes*, hinc diiudicandae, vt inter plures earundem significatus possibiles, eligatur necessarius & rebus conueniens, 3) ex eadem ratione *particulae absentes*, supplendae sunt. Scriptor enim rationem habet, cur propositiones duas componat: ea ratio sumi debet ex conceptibus, hanc compositionem admittentibus: particulae ad indicandam talem connexionem aptae sunt. Interpres autem tantum eruere debet e verbis, quantum, & quam clare, fuit in mente scriptoris, (§. 29.)

* 1) Quando propositiones *hypothetisae*, per additam

additam conditionem, subiectum tantummodo restringunt, vt pateat, subiectum non nisi ita determinatum, admittere vel respuere praedicatum ipsi tributum, vt adeo neque *plura subiecta*, neque *plura praedicata* ponantur: ad censum simplicium illae, saltim quoad *materiam* seu contenta, referri possunt 1 *Cor. XII.* 31. *Si homo se ipsum iudicat, non iudicatur. Si impius se conuertet, viuet Ezech. XVIII.* 21. Nempe in omni propositione praedicatum subiecto conuenit vel repugnat sub conditione definitionis, aut determinationis accidentalis. Posterior, si subiecto adiicitur, pro nouo subiecto haberi nequit (§. 188. **) Verum, hoc non obstante, *ratio reddenda erit* huius quoque *conditionis* (§. 210.) quod fiet, si definitos *subiecti*, (adeoque & ipsius conditionis, quae est in subiecto) & *praedicati* conceptus, inter se compares. e. c. *Ezech. XVIII.* 21. conditio est: si se *conuertit peccator*. Non satisfacies huic propositioni, si definias 1) *peccatorem*, 2) *conuersionem*, 3) *vitam* ei promissam. Sed ipsam *conditionem* aggredere, & ostende quod illa, (nempe *conuersio*) sit 1) *possibilis*, 2) *necessaria*, 3) *vnica*, respectu vitae promissae. Ita rationem reddes, cur haec conditio *subiecto* addita, & ad *praedicatum* relata sit.

Ceterum magis conspicuae sunt propositiones

tiones *hypotheticae*, *ex antecedente & consequente plene*, (i. e. vbi vtrumque est integra propositio subiecto & praedicato proprio instructa) colligatae, vt *Matth. VI. 22. si oculus tuus est simplex, totum corpus erit lucidum.* Vbi, quoniam *syllogismum virtualiter* talem, habemus, sapplendus est *medius terminus*, quod Christus fecit, *v. 22. Oculus est lux corporis. Rom. VIII. 23.*

Si consequens propositionis conditionalis vt manifesto falsum, & ex confesso absurdum sumi potest, tunc *antecedens*, ex quo illud necessitate consequentiae fluit, per propositionem eiusmodi conditionalem pariter pro falso & absurdo declaratur. Tunc illa propositio est instar argumentationis *apogogicae*, quo aduersaria propositio, ad absurdum deducitur, vt 1 *Cor. XV. 16. Si mortui non resurgunt; Christus non resurrexit.* In his igitur exemplis, neque antecedens neque consequens, aliquid vt *verum* ponit, sed veritas & necessitas tantum *illationis* seu *consequentiae*, declaratur.

Si conditio impossibilis in antecedente, tanquam impletu possibilis, per fictionem sumitur: & tamen vel sub implctione illius, aliquid in consequenti negatur: tunc *fortissime* negatur. *Psal. L. 12.* Deus dicit: *Si vel esurirem, te non rogarem.*

a) *Copula-*

2) *Copulativa* propositio, *a*) si plura copulentur *praedicata*, indicat, plura illa praedicata, simul vni eidemque subiecto tribui vel non tribui posse. *Ebr. XII.* 2. *Christus*, est *auctor & consummator fidei*, & 2 *Cor. I.* 30. si *b*) plura copulentur *subiecta*, indicat, plura illa subiecta eas determinationes habere, communes, sub quibus vnum aliquod praedicatum iis tribui vel non tribui possit. *Gal. V.* 22. *amor*, *gaudium*, *pax* cet. *sunt fructus spiritus. Ephes. V.* 3. 1 *Cor. VI.* 9. 10. vbi rationem reddere oportet, cur *singula subiecta regno Dei nequeant potiri*, i. e. dicendum, quaenam ratio sit communis illis omnibus, quae efficiat, vt nequeant saluari, qua tales.

Huc refer & illas, vbi particula quae *distinguere videtur*, nihil nisi *aequipollentiam* huius vel illius subiecti ad hoc vel illud praedicatum, denotat, adeoque similem diuersorum habitudinem copulat. 1 *Cor. X.* 31. τὸ *edere* & *bibere* pariter congruit *praedicato gloriam Dei manifestare*: id enim indicat particula *sive*, sicut *Coloss. II.* 16. *Ps. CXXXIX.* 3. *Prov. XXIX.* 9. 1 *Reg. XX.* 18. 1 *Cor. II.* 22. 2 *Cor. I.* 6. *Phil. I.* 20.

3) *Distinctiva*, opponit inter se quaedam sibi repugnantia, quae *membra* dicuntur, & vel *subiectum* constituunt, *Marc. XII.* 14. *aut* τὸ *dare*, *aut* τὸ *non dare*, *est officium nostrum. Io. IX.* 2. *aut caecus ipse*,

aut parentes eius, peccauerunt. Act. VIII. 38. Rom. IV. 9. Gal. III. 2. vel *praedicatum, Matth. XXI. 25. Baptismus Ioannis, erat aut a caelo aut ab hominibus VI. 24. Marc. III. 4.*

4) *Causſalis*, vbi theſis quaedam, & eius cauſſa, coniunguntur; vel *a*) ita, vt theſis praecedat & cauſſa ſequatur, *Rom. 1, 16. Non me pudet euangelii, quoniam eſt efficacia diuina*: vel (*b*) ita, vt cauſſa praecedat, & theſis ſequatur, *Gal. 4, 6. Quoniam filii eſtis; miſit Deus* cet. *2 Cor. 7, 1.* Poſterius vbi ſit, propoſitio etiam *illatiua* dici poteſt, quae, ſicut prior, *virtualiter* ſyllogiſmum continet. Hic videndum an cauſſa ſit *finalis*, *impulſiua*, *principium cognoſcendi*, *cauſſa phyſica*, cet.

5) *Relatiuae*. *1 Cor. 15, 48. aduerſatiuae*, *1 Cor. 15, 46. Rom. 8, 9.. 2 Cor. 5, 7. conceſſiuae Phil. 2, 6. reſtrictiuae Rom. 8, 17.*

Eſt etiam, vbi vna harum compoſitarum, *bis componitur*, vt *conditionalis Rom. 8, 9.* ſimul *aduerſatiuam* complectitur. *Et v. 17. conditionalis* includit *reſtrictiuam* cet.

217. Denique ad *nexum internum* propoſitionis inueniendum, ſubiectum a praedicato, non *ordine* collocationis, ſed *ordine cogitandi*, ſaepe diſcernendum eſt, cum non raro propoſitiones occurrant

inor-

inordinatae. Interdum, e propositione ** *cryptica*, terminus alter, qui subiectum aut praedicatum sit, eruendus vel supplendus est.

* *Matth.* 5, 3. 4. 5. *sq.* 1 *Tim* 6, 6. quod per genium linguae, elegantiam, *affectum*, cet. fieri potest. In his casibus, praeter regulam communem, quod *praedicatum* esse debeat ille conceptus, *qui latius patet*, attendendum est etiam ad *scopum* & contextum. Sed saepe difficillimum est inuenire, quidnam loquens pro subiecto vel praedicato posuerit, & varia eiusdem propositionis *analysis* suscipi potest, vbi c. c. vel *persona* vel *res* de qua agitur, subiecti locum poscit. *Rom.* 3, 24. vel *nos*, vel *iustificatio* subiecti locum occupat. *Act.* 14, 22. *Luc.* 18, 10.

** Vt, si sumas vnum vocabulum: *Vigilate!* vbi propositio latens est talis: *Vigilantia est officium christianorum*, cet. Sic μετανοεῖτε, *resipiscite*. Propositiones *imperatiuae*, *vocatiuae*, *precatiuae*, cet. saepius crypticae sunt.

MEMBR. VI.

DE

NEXV EXTERNO SEV CONTEXTV,

AVCT. IO. GEORGIO GOMBELIO,

Palaestra 28.

218. COnceptus *definitionem* & *descriptionem* ingredientes, denuo *separatim* considerari, & singuli in alios denuo conceptus *resolui* possunt. Quaelibet definitio & *descriptio* recte adornata (*§. 197. 211.*) non continet nisi conceptus a spiritu sancto suppeditatos. Qui quidem *clariores* fiunt ac *pleniores*, si denuo per alios e quibus intelligi possunt, definiantur ac describantur. Quod, vbi per *contextum* & *parallelismum*, aut *veritates aliunde cognitas*, fieri potest, *scopo* conuenienter est faciendum. Quodsi propositionis tum *subiectum* sic euoluitur, tum *praedicatum*: tunc omnia ex vtroque euoluta, inter se conspirabunt optime: atque ita praeter *claritatem* & *plenitudinem*, ipsi etiam *certitudini* de sensu vero a nobis eruto, * consuletur.

* Sic

Sic *totalis* conceptus in suos *partiales*, *generalis* in *speciales*, *compositus* in *simpliciores* resoluitur. Ita *profundior* erit & *fecundior* nostra cognitio. Et dum semper a *cognitis* conceptibus progredimur ad vlteriores, e quibus illi clarius intelliguntur, continuus nobis *nexus* horum cum illis recludetur. Cumque de *veritate* conceptuum conuincamur, si vnum ex altero, tali intercedente nexu intelligere ac deducere valemus: hoc quoque modo *veritas* nobis tanto magis patebit, quanto magis totum illum conceptuum in resolutione nexum, congruere sacris litteris, aliisque veritatibus certis, animaduertemus.

Exemplo fuit *Gal.* 5, 6. (§. 210.*) *Fides est actuosa per amorem.* Conceptum fidei, per definitionem, ingrediuntur 1) notitia vtus, 2) meritum Christi ad nos pertinens. Facile videbis conceptum *meriti Christi*, resolubilem esse in plures, quibus cognitis, clarius & plenius intelligis quid sit *meritum Christi*. Meritum Christi est satisfactio eius pro peccatis hominum, vel bona exinde in nos redundantia. *Satisfactio* est obedientia Christi vicaria, qua damnum gloriae diuinae a peccatoribus illatum pensauit, hisque operationes gratiae ad vnionem cum Deo, recuperauit. Ad *obedientiam* illam pertinent *perpessiones* eius, tanquam poenae peccati, nobis

nobis, in aeternum infligendae. *Compensatio damni* est ille effectus perpessionum Christi, quo creaturis rationalibus per omnem aeternitatem innotescit, Deum sanctitati institiae & veracitati suae conuenienter agere, nec latum vnguem hinc recedere. Damno illo compensato, *operationes gratiae* in nos detinantur. Operationes gratiae sunt exercitium benignitatis diuinae, quod, damno illo compensato, tendit ad homines illuminandos & in consensum cum Deo aeternum reducendos. Homo, his *operationibus*, per verbum & sacramenta exercitis, non repugnans, *fidem*, seu notitiam *vivam* meriti illius, concipit, qua totam Christi satisfactionem & bona inde nascentia, ad se transfert. cet.

Haec omnia e conceptu *meriti Christi* euolui & testimoniis scripturae singula probari possunt. Quibus praestructis, iam patebit, quomodo fides illa, *per amorem* Christi potissimum, patris, & spiritus sancti, deinde etiam per amorem aliorum hominum, actuosa sit. Qui enim credit per operationem gratiae, is intelligit se ab infinitis malis a Christo liberatum, & infinitis contra bonis esse cumulatum. Tantum benefactorem non amare, ratio rei non permittit. Si *notitiam vivam* praeterea euoluas, itemque *amorem*; clarius reliqua & firmius cognosces.

Ceterum,

Ceterum, hunc exegeticum laborem ne confundas cum *homiletico*, qui *ad captum* vulgi magis accommodatur, & de quo hic non agitur.

219. Conceptus *resoluuntur*, vt *clarius* & *plenius* intelligi, & promtius pro *veris haberi* queant. (§. *218.*) Quando scriptor sacer aliquem conceptum primarium (siue sit *vnus*, siue totum constituat *iudicium*) ipse euoluit, tunc ea pars seu *pericopa* sermonis sacri, quae talem euolutionem complectitur, *argumentum dogmaticum* exhibere dicitur. (§. *131. 135.*) Ibi non nisi tales propositiones inter se iunguntur, quae se mutuo *declarant* & *probant* (§. *124. 145.*) & ideo *argumenta explicantia* (quorsum & *illustrantia* referre licet) & *probantia* * dicuntur. *Explicantia*, quae definitionibus descriptionibus, & euolutis inde conceptibus aliis (§. *218.*) itemque *similibus*, *exemplis*, & aliis *illustrationum* modis, constant. *Probantia*, sunt illa, quae respectu propositionis pro vera habendae, assensum extorquent, adeoque sunt instar *principiorum*, cum quibus alia propositio connexa, pro *certa* & vera *habetur*.

tur. Quorsum in sacris litteris ipsa *testimonia* pertinent.

* Quod propositiones *adplicantes* huc etiam retulimus (§. 145.) id ideo factum est, quoniam *dogma theoreticum* interdum ad praxin accommodatur. Erunt igitur propositiones applicantes, quae enunciant, quod & quomodo id quod theoreticum est, *in* praxin, h. e. executionem officiorum, influat. De quo infra, (§. 223.)

220. In *contextu* igitur *dogmatico* (§. 219.) nihil occurrit, nisi 1) propositio quaedam primaria, cui explicandae & comprobandae inseruiunt reliquae omnes, 2) *propositiones* explicantes & probantes * (§. 219.) Cumque 3) inter illas, tanquam partes vnum totum constituentes, nexus esse debeat, (§. 123.) isque *logicus* (§. 131.) & certus adeo modus illas partes iuxta se collocandi, qui modus *methodum* absoluit (§. 124 *sq.*) ipsa etiam *methodus* hic occurrit. Non nunquam 4) *occasio* sermonis dogmat ei praemittitur, qui, si *dialogum* continet, persona interloquens occasionem denuo praebere potest ad argumenta explicantia & probantia. Quare in terpres 1) videat quousque pericopa dogmatica

gmatica se porrigat, h. e, vnde nexus ille talium propositionum incipiat, & vbi desinat, eumque totum sermonis tractum, a partibus reliquis separet 2) propositionem primariam notet, 3) *argumenta* explicantia & probantia obseruet, neque 4) *occasionem*, tanquam partem eiusmodi perico pae, negligat. **

* Propositiones *coexistantes* vel explicationi vel probationi inseruiunt, adeoque ad vtramque classem reducuntur.

** Exemplo sit *Io.* 3, 1-22. vbi propositio primaria est ista: *Regeneratio salutem homini praestat.* Hic occurrit 1) *occasio*, *v.* 1. 2. 2) *propositio primaria v* 3. quae, data per interloquentem noua occasione, *v.* 4. reperitur. 3) *explicans propositio*, quae *affectionem* regenerationis, *necessitatem* puta, exhibet, & alia, quae *medium* regenerationis, *baptismum*, exponit *v.* 3. 5 4) *probans* propositio *v.* 6. tale est *principiatum*, quale *principium*. Ex homine carnali, prodit qualitas carnalis; ex operatione spiritus sancti, prodit qualitas spiritualis. Carnalem esse, & Deo coniunctum, implicat. Cum igitur omnes nascamur a *carnalibus*; omnes per naturam a Deo seiuncti, adeoque salutis

 expertes,

expertes, & regno caelorum extorres sumus. 5) argumetum explicans quo *illustratur* a simili, quod *modus regenerationis* inenarrabilis sit. 6) argumentum *explicans*, quod alterum regenerationis medium exhibet, *testimonium* puta *diuinum*, *de merito Christi*, seu euangelium a filio Dei patefactum *v.* 10-14. quod fidem, tanquam regenerationis *effectum*, excitet. Quem conceptum Christus *resolvit* (§. 219.) docens *a*) praemissa illustratione *a typo serpentis v.* 14. *obiectum* euangelii, meritum Christi, *b*) fidem ipsam, & eius consequens, *salutem* puta, de qua sermo erat in propositione primaria, *v.* 15. Quos conceptus denuo seruator optimus resoluit, & 1) *explicat*, ostendens α) *fontem* illius meriti, *v.* 16. *amorem patris*. β) meriti auctorem, *filium vnigenitum*, γ) *nexum fidei* cum illo merito δ) salutem actualem ex vnica illa fide. 2) *probat*, α) ex *destinatione patris*, filium ex amore (*v.* 16.) ideoque non ex ira mittentis, sed ad *salutem*, de qua erat quaestio vi propositionis primariae. *v.* 17. β) ex ordine salutis vnico. Cum enim ex *vnica* illa fide in meritum Christi, salus fit: sequitur inde, quod omnis in Christum credens, saluetur, & omnis incredulus pereat, *v.* 18. *coll.* 6. Denique, mentione facta incredulitatis, quae est *oppositum* fidei, adeoque caussa exitii, sicut

ficut fides causſa salutis, *a*) *modum* explicat, quo incredulitas illa mentibus insideat. *v.* 19. Nempe causſa eius est *repugnantia* obstinata contra gratiam regenerantem, *v.* 19. cum odio eius coniuncta *v.* 20. *b*) illustrat hoc ex *oppoſita* indole eorum, in quibus gratia regenerans dominatur *v.* 21.

EIVSDEM MEMBRI CONTINVATIO.

RESPOND. IOANNE LAVERO.

Palaestra 29.

221. CVm *partes* pericopae dogmaticae sint propositiones explicantes & probantes conceptum aliquem primarium (*§.* 220. 145.) non acquiescendum est interpreti, in *cognitione* illarum partium, & distinctione a se inuicem perspecta. *Ordo* illarum simul notandus est. (*§.* 143. *ſq.*) Ordo ille non semper est *internus* (*§.* 142.) sed *externus* plerumque, h. e. ad eorum statum accommodatus, ad quos sermo eiusmodi primum directus fuit, vel ad aliorum, qui maximam partem *simpliciores* sunt, intelligendi facultatem. Quae ratio determinans or-

dinem, vbi detegi poteſt, 1) *ſcopus* * ſapiens cur hic ordo potius, quam alius, loquenti placeat, detegatur: 2) filum tamen ſermonis quantum fieri poteſt, retineatur, quia ſenſum ſermonis eruens, omnem etiam nexum (qui pertinet ad hunc ſenſum individualem) eruere debet 3) *partitio* adcurata (§. 147. ſeqq.) adornetur: 4) antea tamen, ſpeciminis cauſſa, definire licet ** conceptus in propoſitione potiſſimum primaria, vnde facilius conſtabit, comparatis quae adſunt, argumentis explicantibus & probantibus, quinam ſit ordo eorundem *interus* (§. 142. 152. num. 4) ſeu quomodo per rei ſubſtratae naturam, & cogitandi modum naturalem, cohaereant.

* c. c. cur Chriſtus, ante, quam de ſe ipſo & merito ſuo plenius dicat, ſerpentis aenei typum praemittat? v. 14. ſcopus fuit, vt hominem Iudaeum & *Phariſaeum*, legis Moſaicae tenaciſſimum, ad ipſam Moſis legem, de ſeſe teſtantis, adeoque regenerationis magiſtri, remittat. Cur a *neceſſitate* regenerationis incipiat? quoniam phariſaei *ſanctitatem fictitiam* venantes, tranſitum talem e morte in vitam, a ſe alieniſſimum putabant, cet.

** Si

** Si in exemplo allato (§. 220. *) definias *regenerationem*, quod sit *actio diuina, qua, mediante verbo & baptismo, fides producatur*: &, si hanc definitionem compares, cum argumentis *explicantibus & probantibus* a Christo adhibitis; facile reperies, cur Christus *baptismi & testimonii* diuini, mentionem fecerit? cur *carnalem generationem*, adeoque ineptitudinem & impotentiam hominis naturalis, adduxerit? cui nimirum *actio diuina* succurrere debet: cur de *fide* dixerit, cet. Porro, si denuo regenerationis notionem resoluas, quam *fides* ingreditur, & fidei definitionem eruas, quod sit *notitia viua meriti Christi*: videbis cur Christus *de se*, de *satisfactione sua in cruce* cet. egerit. Si porro definias *salutem*, (qui alter erat in propositione primaria conceptus) quod sit coniunctio cum Deo post disiunctionem ab illo, seu felicitas post miseriam: ratio aderit cur *Christus* dicat: *non peribit, non iudicabitur, sed vitam aeternam habebit, seu ingredietur in regnum caelorum*, cet. Hinc & *ordo* colligetur.

222. In tractandis singulis pericopae dogmaticae partibus, id est, argumentis *explicantibus & probantibus*, (§. 220.) 1) illas quae plurimum habent momenti, aut difficiliores sunt minusque clarae, v-

berius resolue, quam ceteras, contrario modo se habentes: 2) in *probantibus* ostende *vim* probandi, & * *syllogismos*, si qui vel *pleni* adsunt, vel *virtuales* seu *truncati*, *ordinati* vel *disiecti*, secundum singulas praemissas expende. 3) *digressiones* & *parentheses* (§. 141.) vna cum earum ** scopo, obserua. 4) *obiectiones* possibiles & praeuisas, itemque *contradictiones* adparentes, solue, 5) posita vera explicatione & probatione, falsas alicubi obuias (errores) *** refuta. 6) cuncta per *analogiam fidei* & *scripturae*, adeoque per *scopum* loquentis, determina, & quantum satis est, confirma.

* Omnis propositio probans, complectitur syllogismum *virtualiter* talem. Dum igitur Deus vtitur argumento probante, vult etiam, vt illud ad regulas *logicas* exigatur. Quibus non adhibitis, distincte non perspicis vim probandi, quam Deus tamen perspici vult & iubet. In *homiletica* vero tractatione textus, abest artis eius vana & in fraudem simpliciorum desitura ostentatio. In exemplo superiore *Io.* 3, 6. latet hic syllogismus: quicunque est carnalis, ille cum Deo non vnitur (salute non potitur) A, qui natus est de carne, est carnalis, E qui natus

tus est de carne, cum Deo non vnitur. Postrema verba *v. 5. non potest ingredi in regnum caelorum*, i. e. salute potiri, hunc nexum syllogisticum manifesto docent. Iam si conceptus *τῆ carnalis*, & *vnionis cum Deo*, in propositione maiori, *euidens*, & inter se compares, maiorem *probabis*. *Minor* probabitur ex illo axiomate: *quale est principium tale principiatum*. Quid multa? qui *vim probandi* hic ostendit, is *medium terminum* ostendit.

** Scopus earum est, *vlterior explicatio*, & *probatio*, propter praecisam obiectionem aut abusum, vel propter praxin exinde fluentem, itemque (quod attinet ad *parentheses*) *status animi* in loquente significatio, vt *grauitas rei* inde colligatur.

*** Posito *vero*, oppositum *falsum* pro falso ista agnoscitur. Posita igitur interpretatione vera, cuius nempe veritas ex legitimo vsu & applicatione omnium regularum hermeneuticarum, ostenditur: falsitas explicationis contrariae, eodem negotio euincetur. Sed addere tamen licet alias probationes, e. c. pugnam sensus dati, cum analogia fidei, scripturae, veritatibus aliis, certo cognitis. Quam pugnam si ostendere potes, inde consequetur, in eruendo sensu tam falso aut *regulas hermeneuticas falsas* assumtas fuisse, aut *veras sinistre applicatas*.

123. Contextus *dogmaticus* aut est *theoreticus* aut * *practicus*. (§. 128.) Cum in vtroque res redeat ad *claritatem* in conceptibus, & ad *conuictionem*, seu, vt *intelligamus*, & *pro vero habeamus*: in vtroque etiam illae valent regulae, quas modo de interpretanda pericopa dogmatica recensuimus. In textu *practico* 1) officium aliquod seu *actionem bonam tanquam committendam*, & *malam tanquam omittendam* intelligere debemus, & 2) bonam pro *vere* bona, & malam pro *vere* mala, habere, atque adeo bonam actu ipso patrandam, malam actu ipso omittendam existimare debemus. Ad id requiritur 1) *lex*, quae *genus* vel *speciem* vtriusque classis actionum exhibet. Quare omnes eiusmodi actionum *species*, & in quolibet dato casu, specierum *individua* noscamus. Quod ad *euolutionem* seu *explicationem* conceptuum pertinet. Occurrunt 2) *motiua*, quae repraesentatione bonitatis & prauitatis in actione quam lex praecipit aut vetat, absoluuntur. Haec sunt instar *probationum*, cur actio committenda vel omittenda sit, & dicuntur argu-

argumenta *mouentia*, quia volitionem & nolitionem, adeoque commissionem & omissionem tanquam *necessariam* sistunt. Quae in textu obuio a) *vel* ponuntur explicantur & illustrantur: tunc illa *explicatio* & *illustratio* e verbis eruenda & cum scopo suo connectenda, *vel b*) simpliciter ponuntur; tunc notio eorum euoluenda est: *vel c*) plane *omittuntur*; tunc pari modo addenda sunt, vbique vero e locis parallelis, & theologia morali, explicatio & probatio vlterior adiungenda; 3) *obiectiones*, officiorumque *collisio apparens*, quae voluntatem remorantur, & *impedimenta*, quae executionem sufflaminant, indicanda, & remouenda, contraque *media* & nexus eorum cum executione officii, ostendenda sunt. 4) Argumenta commouentia, (quae *affectus* cient) addenda, vel quae textui insunt, euoluenda, vt appetitus *inferior*, accedens ad *superiorem*, (per motiua strictius dicta excitatum) pariat *ardorem*. Quae argumenta *commouentia*, quoniam saepe *latent* in textu practico, quatenus ille per modum *sollicitandi*, ** *admouendi*, *adhortandi*, *dehor-*

tandi, *orandi*, *comminandi*, *suadendi*, *alliciendi*, *increpandi*, *conquerendi*, cet. aliaque signa *pathetica* (§. 108. *s.*) rem enunciat: his quoque *explicandis* & *inculcandis* opera impendenda est.

● Iam supra (§ 128.) haec notissima distinctio adfuit. Vbi variationem adpellationis etiam tetigimus. *Practicus* nimirum textus interdum talis dicitur 1) ab *obiecto* i. e. a conceptibus eiusmodi, qui vel sunt actionum obligationi subiacentium, vel *legum* & *motivorum* (saltim *proximorum*) ad agendum. Quare illic *iura* quoque in hunc censum retulimus quae & ipsa legi permissiuae (quam vocant) subiacent, & *motiua* sunt. Alias vero 2) textus practicus dicitur a *modo*, quo tractantur tum obiecta practica, tum theoretica. Hoc loco *verumque* admitti potest. Nam si textus etiam *theoreticus* applicatur ad aliquod officium, tum ille consideratur vt *motiuum* vel *remotius*, per plures conclusiones intercedentes, ex illo ductas, vel *propius*, cet.

●● Notiones distinctae horum inter sese differentium *modorum*, e *philosophia practica* petendae sunt, e. c. *sollicitat*, qui *verbo imperandi ingeminato* vtitur, & *motiua tam generalia*, *tum a circumstantiis individualibus* desumta, admouet ei, qui animum ab actione alienum habet. *Iesa. l.* 16. 15. 14. Alio modo

do se habet *motiuum* in admonitione, vbi nempe *malum* ex actione prouenturum significatur. In *adhortatione* proxime pro motiuo est, *seria & constans voluntas* nostra, quam significamus ad obtinendum *officium* alteri iam iniunctum, cui ꝺ iungamus motiua, quibus alter *lubenter* determinatur, *exhortari* dicimur. *Prou. III. 9. 10.* In *orando* idem *motiuum* est, nisi quod addimus, nos executionem eius officii *pro bono* seu *commodo proprio* habituros 2 *Cor. V. 20.* ex *amore maximo* erga eum qui oratur. In *comminando*, pro motiuo adhibemus *malum*, quatenus a nobis vel ab altero *infligendum* fistitur. In *alliciendo*, motiuum est *amor* noster, quatenus significatur verbis aut signis aliis, quorum scopus est vt placeamus (*blandimentis.*) *Cantic. I. 14. IV. 8. 9. 10.* vt alter amore nostri captus, nobis credat, & quod volumus faciat. *Suadens*, pro *motiuo* adhibet suum de actione iudicium, seu id quod ipse habeat pro optimo, quamuis alteri arbitrium suum relinquat, aut relinquere videatur. *Increpans*, actionis patratae vel intentae, prauitatem ostendit, eo fine, vt illa retractetur. *Conquerens*, damnum ex actione mala, vel sibi, vel agenti, vel aliis, vel simul omnibus illatum, cum affectu aliquo significat, eo fine, vt damnum repararetur, vel auertatur ab agente, vel aliis.

Quidam

Quidam istorum quoque modorum non nunquam *coniungi* possunt, in eodem inculcando officio.

Quando Deus, cui absolutum est in nos imperium, per *modum pacti*, officia nostra elicit, & *motiua*, talibus modis quibus diximus, tam paterne suppeditat, affectum *puderis, amoris* cet. ciere studet.

224. *Contextus historicus* (§. 130.) factum aliquod exhibens, adeoque obiectum suis circumstantiis ex omni parte determinatum, tales continet propositiones, per quas vna pars facti cum altera coniungitur, (§. 130. 137.) vt *idea totius* formetur, sub quam omnia eius contenta reuocantur. Quodsi occasione vnius facti, nascitur aliud, eadem sermonis pericopa comprehensum, quod propter contenta diuersa, sub aliam ideam redigi debet: tunc illa pericopa *factum compositum* exhibet *Matth. IX. 1-8.* quod a *facto simplici Matth. XV. 21-28.* distinguendum est. Qui igitur historicum contextum interpretatur, ad haec respicere debet 1) vt singulae partes ingredientes, quantum satis est ad *ideam totius integram*, & ad scopum scribentis, intelligantur: 2) vt

2) vt veritas earum (adeoque *possibilitas* tum *interna*, tum *externa*) luculenter adpareat, h. e. vt nec vna pars alteri contradicat, sed potius vna per alteram intelligatur; nec alteri cuidam historiae certo verae, repugnet, 3) vt scopus tum personarum in facto, tum Dei, historiam inspirantis, eluceſcat. (§. *130. 166. 168.*)

225. Ad *partes* 1) *singulas, contextus historici* quod attinet; illae exhibent *a) personas* α) *agentes vel patientes*, tum *primarias*, quae in agendo sunt cauſſae *efficientes, dirigentes, occaſionem* cum intentione praebentes, tum *secundarias*, quae sunt adiuuantes & miniſtrantes, vel β) tantum concomitantes seu praeſentes. Quarum praecipue notetur *qualitas & ſtatus*, (§. *101. 102. 105. 108. ſ.*) Cognitus earum *ſtatus* cum * *qualitate*, motiua & *deſtinationes* earundem in facto quod ab illis editur, vel conſpicitur, aperit, ſi contenta & occaſionē facti ſimul conferas: *b) locum* & *tempus*, quae ſi sint ignotiora, (vti sunt in hiſtoriis biblicis) quantum poſcit nexus & ſcopus, declaranda sunt ſubſidiis hiſtoricis & geographicis

phicis adhibitis. c) *actiones* ipsas vel *passiones*, itemque *rationem*, & *adminicula* agendi, & *vtrarumque modum*: d) *res* in quibus occupantur agentes, e) *effectum*, tum singulorum actuum, qui totum factum ingrediuntur, tum communem & principalem. Effectus, rationem habet vel in natura, vel in actione *supernaturali*. Si posterius, dicitur *miraculum*: vbi α) *instrumentum morale* ** miraculi a caussa eius efficiente, h. e, ipso Deo, distinguendum. β) quod e caussis naturalibus manifesto, saluoque sermonis sensu, deriuari potest, pro miraculo non habendum. γ) vis non inferenda sermoni, vt caussas naturales, pro supernaturali extundas δ) nihil naturale fingendum est, quod substituatur caussae vel effectui supernaturali. ε) ostendendum, quod miraculum in textu obuium, tum perfectionibus Dei, tum scopo praesenti respondeat, adeoque, vt non in se, ita nec respectu Dei, contradictionem inuoluat. ζ) quantum ex *naturali* Deus in miraculo retinuit, tantum retinendum in explicatione ζ) ab allegoria, miraculum eludente, abstinendum

dum est ſ) effectus alios ex effectu principali natos, itemque *adiuncta* varia, quae *per accidens* ſe aſſociant. Quae omnia, cum ex ipſo contextu & locis parallelis non ſemper explicari queant, ex aliis fontibus, & probabili coniectura, illuſtrari debent.

* Ita in hiſtoria euangeliſtarum, ſectarum & dignitatum nomina occurrunt, *Phariſaeorum*, *Sadducaeorum* cet. *ſcribarum*, *archiſynagogorum* cet. quae qualitates ex hiſtoria antiquitatum declarandae ſunt.

** Chriſtum non eſſe inſtrumentum morale miraculorum, vel exinde patet, quod *ſuam ipſius gloriam manifeſtaſſe* dicitur per miracula *Io. II*, 11. ita vt ſpectatores *in eum crederent*.

226. Declaratur 2) *veritas* hiſtoriae, ſi oſtendas, *contradictionem* in partibus eſſe nullam, adeoque *apparentem* diſſoluas. (§. 224.) Cum contradictio ſit, quando de eodem ſubiecto praedicata ſibi repugnantia adhibentur; vel in eadem hiſtoria, vni ſubiecto & rurſum alteri, factum idem non niſi alterutri conueniens, tribuitur: tolletur contradictio, ſi doceas 1) ratione *ſubiecti*, quando eidem, in hiſtoria

storia eadem, repugnantia praedicata * tribui videntur; vel aliud indicari subiectum, vel idem in alio tamen statu & respectu consideratum, vel duo *diuersa videri subiecta*, & idem tamen esse diuersis nominibus insignitum, quod in *personis*, ex more ebraeo saepius euenit. 2) Ratione *praedicati*, si euincas, alium esse praedicati significatum, ** aliumue respectum, modum, & determinationem, qualiscunque sit. Quod ad *harmoniam euangelistarum*, in primis obseruandum est.

* Vt, quando *Act. XIX, 3 ss.* iidem discipuli a Ioanne & a Paulo baptizati dicuntur: cum *bis baptizari*, repugnantiam moralem inferat; aliud vtrobique *subiectum* constituitur, vt *v.* 3. illi ipsi discipuli, sed *v.* 5. auditores Ioannis baptistae, intelligantur. Quanquam aliter de sensu huius loci senserint maiores nostri, idque cum ratione.

** *Io. VII.* 39. narratur, spiritum sanctum *nondum fuisse*. Quod *praedicatum* de manifestatione spiritus sancti per dona miraculosa, triumpho Christi reseruata, intelligendum est. *Matth. XXVI, 34. Petrus in vrbe degens, gallum canentem audiuisse dicitur.* Sed hoc contrarium videtur historiae externae, qua constat

constat in vrbe Hierosolymorum gallos alere non licuisse Iudaeis. Cum repugnent sibi, *gallum* audire, canentem in vrbe, & gallum non esse in vrbe: necesse est praedicatum illud sub alia determinatione de *Petro* adhiberi. Nimirum *galli cantus e vicino pago ad aures delatus*, vel *ex aedibus alicuius Romani*, in vrbe habitantis, & morem Iudaeorum negligentis, exauditus a Petro dicitur.

227. Denique 3) scopus historiae eruendus est. (§. 224.) Vbi quidem 1) scopus *personarum agentium*, ex notata illarum qualitate, statu, & modo agendi, inuestigandus est, vt in animos earum sic introspicientes, exempla vel virtutum *Iac. V. 11.* vel vitiorum *1 Cor. X. 6.* aut erratorum certe ac infirmitatum, *Gal. II. 12.* noscamus. 2) Scopus Dei consignantis historias, addendus erit, adumbratio typica, impleti vaticinii vel antitypi notitia, beneficiorum in regno naturae & gratiae cognitio, & aliarum veritatum vniuersalium abstractio, ad finem scripturae salutarem obtinendum (§. 166. 167. 168.)

228. Cum *vaticinia* sint historiae facto-

rum & rerum futuri temporis, adeoque *species* historiae; eodem quoque modo vt historia *in genere* spectata, tractantur. (§. 224. *ss.*) Differunt ab historia rei factae, tantum in eo, quod *personas*, *res*, *locum*, *tempus*, & alias *circumstantias*, quibus idea rei factae omni parte determinata sistitur, non semper tam determinate, sed breuiter interdum, obscure, ac summatim, exprimant, & plerumque phantasmatũ diuersorum * nexu vario ac difficili, nec non stilo sublimiore & plane poetico, vtantur. Quodsi igitur conceptus qui vaticinium constituunt, vati per *visionem* oblati sunt, vbi *viuacissima* ** rerum imago menti fuit obuersata: 1) tota illa imago secundum omnes sui partes & nexum earum, consideratis totius pericopae membris, animo tam graphice quoad licet, imprimenda est, quam viuide affecit mentem vatis (§. 224.) vnde, quia modum repraesentandi, sequitur modus eloquendi, illud *** *improprium* (§. 199. *ss.*) & *concitatum* (§. 109. *ss.*) in stilo ipso, colligendum, vt sensus ipse *philologicus*, & tota *res figurans*, (§. 85.) tanto facilius in-

inueniatur : 2) notandum, vbi *visio* incipiat, & vbi desinat, ne duas in vnam confundamus, aut contra : 3) quoniam vaticinia sunt *factorum futuri temporis*, quicquid autem temporis ab edito vaticinio fluit, id respectu vaticinii futurum est, & ratio saepe grauissima Deo fuit, quare euentus, *non diu post vaticinium* secuturos, praedixerit : omni cura inuestigandum est, *quo tempore* vates vixerit, & quo illius temporis articulo, ea quae sub manibus sunt, cecinerit, adhibitis ceteris in *examine historico* (§. 89. ss.) memoratis : 4) quia facti narratio constat (*) *personis, loco, tempore, actionibus, rebus, effectis* & *adiunctis* (§. 225.) commemoratis; haec omnia, quatenus sunt in *textu* vel loco parallelo, *prophetico*, probe obseruanda, & a se inuicem distinguenda sunt.

* Vates ab vno argumento saepius ad alterum delabi, notum est. Interdum ὕστερον πρότερον in illis occurrere, digressiones immisceri, *saltus retrogrados*, *lacinias* alio loco collocandas, & ad seriem aliam temporis referendas, viri in hoc genere ingeniosissimi notarunt. Qua in re circumspicere tamen agendum est, ne nostrae potius hypothesi

quam rerum veritati seruiamus. Cum Deus in visionibus non egerit contra *leges imaginandi*; fieri sane potuit, vt duo phantasmata iungantur a vate, quorum prius aut posterius in *collocatione*, non inferat necessario priorem aut posteriorem euentum in *impletione*: si cetera textus phaenomena diuersum quid ostendant. Et res quaedam sensibus tunc obuiae, a quibus phantasma initium duxit, aliquid ad collocationem in serie repraesentationis & elocutionis, conferre potuit. Repraesentatio *typi*, (qui visiones ingredi potest,) modo *hoc* in typo obseruabile, modo *aliud*, & rursus cogitatio in *antitypo* defixa, nunc illi eiusdem characteri, nunc alii immorari potest; & sic de ceteris.

Neque in *visionibus* tantum obtinet ille nexus, sed etiam extra illas nonnunquam; vbi medias inter reprehensiones ac minas, derepente ad thronum gratiae resoluuntur, reliquam deinde telam pertexentes.

** Hinc ille canon fluxit: *prophetae de rebus futuris tanquam praeteritis aut praesentibus loquuntur.* Dum enim in *phantasmate* res futurae vt *praesentes* sistuntur, oratio sic formari potest, vt solet formari de praesentibus. Rursum, quia in phantasmate quaedam, vt sibi *succedentia*, repraesentatur, vel *scriptio* saltim secuta est *exhibitionem* imaginis:

ginis: oratio quoque tanquam de praeterito adornari potuit. At ipse etiam rei futurae *certus* euentus eiusmodi *dictione* comprobatur. Hinc ratio quoque reddi potest alterius canonis: *vates forma optandi & imperandi saepe vtuntur, dum futura canunt.* Nam viuax illa repraesentatio, si fuit *bonorum*, aut *malorum* futuri temporis, *affectum* excitauit, erumpentem in illas formulas, confer §. 109. *).

*** Res ipsa docet, dandum esse aliquid *stilo prophetico*, illamque troporum, figurarum, emblematum, poeticam certe, sed diuiniorem audentiam, rebus conuenienter exponendam. Quin etiam, de *noui testamenti* rebus, tanquam nondum existentibus, sed *adumbratis* tamen per res figurantes, perpetuo fere sic loquuntur vates sacri, vt *conceptibus* rei figurantis vtantur: e. c. *cultum N. T. phrasibus a cultu vetere desumtis*, exprimant.

(*) *Obiectum* textus prophetici, vocant. Quod in *personale*, & *reale* distinguunt. Distinguendum est *obiectum textus*, ab *obiecto agentis*, in facto descripto. Hic *historiae*, *chronologiae*, & *geographiae* notitia, carere non possumus: quippe omnia redeunt ad factum quoddam, quod sine personis, tempore, loco cet. concipi nequit.

229. Si vaticinia interpretamur, illa vel iam *impleta* sunt, vel *implenda* deinceps. Quodsi in euentu quodam praeterito aut praesente, omnes illae determinationes ostendi possunt, quae in vaticinio reperiuntur: tunc recte *impletum* illud vaticinium dicitur, per illum euentum. Contra, si secus est, statuendum. Certius praeterea & supra omnem dubitationem idem cognoscitur, si *euentui sic harmonico*, accedit testimonium diuinum, quod *euentum pro complemento* * vaticinii declarat. *Nondum impleta*, duplicis sunt generis. Nam vel exitum luculenter determinatum, & sua natura ab aliis omnibus facile discernendum, (vt est *iudicium supremum*) verbis propriis & claris praenunciant: quae faciliore negotio & eum certitudine explicantur: vel *exitum* minus clare determinatum, visione sublimi, & stilo huc accommodato, saltim huic proximo, praesignificant: tunc ante illum euentum non nisi *probabiliter* de iis disputari, & euentus, qui loco implementi vel *totalis*, vel *partialis* assumuntur, quamdiu quiddam aliud, aeque probabile indicari

potest,

potest, modesto examini permitti, nec aliis sub necessitate credendi ** obtrudi debent. Denique, impletio vaticiniorum a spiritu sancto indicata, clauem nobis suppeditat quomodo in explicandis vaticiniis *** versari debeamus.

* Quod factum est in vaticiniis de Christo, impletis in nouo testamento.

** Notandum hoc, de difficilioribus vaticiniis, & in primis de *apocalypsi Ioannea*. Vbi sane scrutari non modo licet, sed oportet; & piam modestamque huc adferre mentem. Sed suas aliis obtrudere hypotheses, & proscribere dissentientes, iniuriam olet.

*** Cum in his casibus, ipse Deus fiat interpres sui vaticinii: nihil aequius est, quam regulas hermeneuticas hinc petere. Modo illas tali authenticae interpretationi conuenienter, adornemus, vt aut *verbis vaticinii*, talis sensus, qualis est in explicatione euentus, aut rei certe, quae inest vaticinio, talis repraesentatio mystica tribuatur. Hunc canonem rectissime inculcat C. VITRINGA *typo doctrinae propheticae p.* 194. Sed non nulli *canones* ibidem praescripti, plus piae destinationis habent, quam solidae frugis.

DE EMPHASI IN CONTEXTV.

RESPOND. HENRICO CHRIST. RÜHFELIO.

Palaestra 30.

230. VOces interdum plures, & *affectiones* eiusdem vocis plures, (§. *65. 66.*) hactenus eandem vim (§. *25.*) habent, vt *conceptum eundem*, quatenus ab aliis eiusdem speciei vel generis distinguitur, excitent. Sed vna tamen earum prae altera id praecipuum habere potest, vt simul *plura* eademque *notabilia*, quae in illo conceptu * distingui, eidemque tribui possunt, aut ** notam eius & affectionem aliam, certo respectu *potiorem*, indicet. *Id* igitur *praecipuum* in vi vocis, dicitur eius *emphasis*, quae illam ab alia voce vel alia sui ipsius affectione in ceteris aequipollentem, distinguit. Quodsi *scopus* aliquis contextui congruus indicari potest, cuius respectu scriptor talem vocem, vel vocis affectionem, prae alia, aeque vel magis ad conceptum ei respondentem vsitata, (ideoque hactenus aequipollente)

pollente) adhibuerit; tunc scriptor talem vocem eiusue affectionem, propter *emphasin* elegisse, adeoque emphasin in sermonem data opera intulisse dicitur. Emphasis *vocis* in contextu, est *praecipuum illud in vi vocis, quod scriptorem mouit, vt illam prae aliis quoad reliqua aequipollentibus, adhibuerit.*

* Ita voces *compositae*, *articulo* notatae, in certa *coniugatione* vtique *ebraeorum*, positae, aliisque affectionibus grammaticis, rhetoricis, poeticis, vel relationibus aliis determinatae, itemque voces alludentes & metaphoricae, variam in vi significandi *modificationem* eandemque conceptui *superadditam*, variasque, eiusdem conceptus *partes* & *affectiones* simul notare possunt.

** Quibus modis & rationibus id fieri possit, alibi doceri debet: e. c. si *vox deriuata*, rationem denominandi habet ab ea notione, quam inuentor cum *voce primitiua* coniunxit, tunc intelligimus, quidnam in conceptu signato, vox deriuatiua exprimat.

Ita vox יהוה Deum notat, quoniam ab eo verbo deriuatur, quod significat *esse*, propterea quod in Deo mera sit *essentia* ideoque *absoluta immutabilitas*, quodque adeo *existentia* ei sit *essentialis*. Sed idem Deus

dicitur אלה, quod ab *etymo* tali deriuant ebraei, in quo sit *adorandi* notio. Per hanc igitur vocem, vi *etymi*, aliquid in Deo denotabitur, quod respectum habet ad naturas ratione praeditas, a Deo conditas, quae nimirum numen illud excellentissimum *adorant*. Vbi ab *infinita attributorum excellentia*, tanquam *adorationis* fundamento, Deus denominatur, si vera est illa etymologia. Idem etiam Deus dicitur אלהים *plurali numero*, vnde vox illa, propter formam *pluralis numeri*, aptior est ad *plures personas adorabiles* indicandas, quam vox יהוה si etymon eius spectare lubeat.

Qua in re, si verum fatemur, ipse tamen vsus loquendi praeualet, vt adeo sobrio sit vtendum iudicio.

231. Voces in propositione, siue *primarium* exprimant conceptum, siue *accessorium*, (§ 186. 188.) *emphasin* habere possunt. (§. 230.) Quodsi *phraseologia* quaedam, aliquid habeat, certo respectu praecipuum,* & a reliquis eundem conceptum, sine illa superaddita determinatione significantibus, diuersum ac notabile; tunc & illa *emphasin* habere *potest*; &, si ostendi potest, a scriptore illud praecipuum in eligenda tali phrasi, pro motiuo

tiuo adhibitum fuisse: tunc *emphasin actu* ipso *habet.*

* Id in *ordine verborum inusitato*, in *constructione insolita*, in *omissione*, *additione*, *repetitione* minus consueta, in *allusione* ad phrases alias scripturae vel res notabiles alias, quaeri solet.

232. Quidam conceptus integrum continent *iudicium* adeoque *propositione* quadam enunciantur (*§. 29.*) Partes propositionis, per regulas logicas ita determinantur, vt *subiectum*, *copula*, & *praedicatum*, adsint, ac si quid subiecto vel praedicato adhaeret (*§. 186. 188.*) & quae sunt reliqua in hanc rem praecepta. Quodsi ab illis legibus in adornanda propositione receditur, *omissa* aliqua parte, vel disiecto partium *ordine*, vel *enunciandi modo* * variato, vel pluribus determinationibus in vnam propositionem assumtis, quarum quaelibet, integram propositionem probantem aut explicantem constituere poterat: ita quidem, vt hae mutationes, ad modum istum *ordinarium*, *saltim respectu scopi cuiusdam*, *aliquid notabile superaddant*, *quod scriptor intendit*; tunc pro-

propositio habet emphasin. Eo enim in casu 1) propositio per essentialia sua, (ad quae reduci potest) habet *sensum* determinatum; 2) per *accedentalia* habet accessionem ad hunc sensum respectu aliquo notabilem, i. e. *emphasin*.

* In his mutationibus, res plerumque redit ad *affectum* dicentis connotandum, & in lectore concitandum. Tunc forma propositionum logica, mutatur in *rhetoricam* (§. 513. *sr.* 223.**)

233. Si *vox* aut *formula* propositionibus adiicitur, quae neque pro *accessorio termino* subiecto, neque praedicati, haberi potest, & tamen aliquid *notabile* & *praecipuum* continet, quod totam propositionem vel plures connexas afficit; tunc ea vox & formula hactenus esse *potest emphatica*, quatenus toti propositioni, vel pluribus, idem praestat, quod vni *voci* vel *phrasi* praestat illud *praecipuum* ac *notabile*.* (§. 230.) Est autem in ipso contextu emphatica, si ostendi potest, quod scriptor eius *accessionem* prae *absentia eiusdem*, elegerit.

* Exemplo sit, vocabulum *ecce*, propositionibus saepe additum, vt *attentio* lectoris, in

in rei grauitatem, praesentiam, nouitatem, cum *assensu* certo, & affectu congruo, cet. defigenda, excitetur, aut eius quem propositio alloquitur, *benenola* attentio cum affectu congruo exposcatur, vid. GLASS. *phil. sacr. lib. III. Tr. V. can. XV.*

Hic denuo res potissimum huc redit, quod scriptor voce aut formula emphatica, *statum animi sui* declarat, aut in lectore *statum animi* materiae congruum suscitat. Vt adeo ille tractus sermonis, quem afficit eiusmodi formula, non modo conceptus rerum debitos contineat, sed praeterea propter hanc formulam, quacum coaluit, & in vnum fusus est, etiam attentionem connotet, quam congruo cum affectu, insinuat, e. c. *Iesa. I. 1.* vbi *formula exordii* hoc respectu dici potest *emphatica*.

234. Si in *contextu dogmatico*, propositio probanda vel explicanda, (*§. 220.*) *aliis* etiam, vel *pluribus* aut *paucioribus*, propositionibus *probantibus* & *explicantibus* vsitatis, instructa esse poterat, quam sunt hae, quas scriptor adhibuit: &, si scopus indicari potest, qui scriptorem permouerit, vt *has* potius, quam alias illas, elegerit: tunc emphasis erit in *modo probandi*, vel *explicandi*.

235. Quodsi

235. Quodsi *methodus* (§. 133.) alicuius pericopae talis est, vt collocatio partium, aliquid praecipuum ac notabile indicare possit, quod non insit methodo alii, aeque possibili, vel aeque aut magis vsitatae: tunc *methodus* emphasin habere dicitur. Quam actu ipso habet, si ostendere potes, id praecipuum scribenti pro *motivo* fuisse, cur hanc methodum pro altera minus tali, elegerit.

136. In iudicio igitur, de emphasi ferendo, duo spectantur, 1) id quod *notat* (*subiectum emphaseos*) cui adhaeret, & superaccedit emphasis: seu ea vis sermonis, qua hunc vel illum conceptum notat, & ad hunc vel illum finem apta est, ita, vt substituto quodam alio, idem conceptus excitari, & idem scopus obtineri possit 2) ea determinatio, qua sermo aliquid *connotat*, quod scopo scriptoris praecipuum & notabile superaccedat, (ipsa *emphasis*) & quo demto, nihil adsit nisi *id quod notetur*, cui notando, alia verba, & verborum habitudo substitui posset.*

* 1) *Subiectum emphaseos* in voce emphatica,

(§.

(§. 230.) est ea pars vel quantitas in *vi* vocis, qua notare potest conceptum, per alias voces, aequipollentes, vel per eandem vocem, demta aut mutata quadam eius affectione, pariter notandum. Sed emphasis, est *illa pars abundantior in vi luminis potius quam illius vocis, & affectionis*, qua praecipuum quiddam ad conceptum & scopum pertinens, ita notat, vt aliae voces, vel alia eiusdem vocis affectio, id notare nequeant. Vis itaque vocis emphaticae, spectatur vt *vis composita*, quae ideo *fortior* est, quod *est* vel per se, vel respectu scopi cuiusdam, *vnita*. Composita autem est, ex *primaria*, quam cum aliis substituendis communem habere potest, respectu conceptus significati ac *scopi* obtinendi; & ex *secundaria*, qua *connotat*, & per quam adest *emphasis*.

Qui emphasin dicere malit, praecipuum illud in *ipso conceptu*, (non in *vi vocis*) quod connotatur; & subiectum emphaseos *conceptum ipsum* qui notatur; ei per nos id liberum erit. Vt redeamus ad *voces* emphaticas, in *metaphora*, tanquam *subiectum* emphaseos concipienda erit, *aptitudo* ad id notandum, quod alia vox substituta pariter notare possit. Id autem erit *emphasis* metaphorae, quod eius aptitudo vlterius extendatur, ad plura illa significanda, quae res figurans habet communia seu similia,

cum

cum re figurata. Huc refer & *tropos* alios.

Sic *abstracta* vocabula pro *concretis* adhibita, ideo habent *emphasin*, quoniam rem, & rei gradum ampliorem, seu rei excellentiam, significant. Vim igitur habent *compositam*, ideoque *fortiorem*, vt 1) *rem*, significent, quae vis significandi (vel significatus ipse) est *subiectum emphaseos*, 2) rei gradum ampliorem, seu excellentiam, quae vis significandi (vel significatus ipse) est *emphasis*.

2) In *phraseologia* (§. 231) *subiectum* emphaseos est aptitudo eius phraseologiae, ad talem conceptum indicandum, qui & sine determinationibus eius phraseologiae singularibus, tanquam scopo respondens, relinquitur. *Emphasis* autem est superaccedens aptitudo, per determinationes singulares a scriptore *hic* & *nunc* electas.

Hic quoque, in primis in *congerie*, & *exergasia*, h. e. si *synonyma* cumulantur, itemque *repetitione* eiusdem vocis aut formulae per *anadiplosin*, *anaphoram* (§. 231. *) *affectui* inseruire potest emphasis (§ 117. * & **.)

3) In *propositione* (§. 232.) *subiectum* emphaseos est aptitudo propositionis ad *iudicium* aliquod exprimendum, quod sine determinationibus illis singularibus scopo suo respon-

respondebat. *Emphasis* est aptitudo accessoria per singulares determinationes.

4) In *formula* propositionibus attexta, (§. 233.) *subiectum* emphaseos est aptitudo propositionis vnius vel plurium, quae illa formula afficit, ad sensum fundendum, qui scopo scriptoris respondeat. Formulae autem aptitudo ad aliquid superaddendum ei sensui, est *emphasis*. Notandum hic erit, formulam cum sua propositione, vel pluribus, vt vnum totum sumi; & sicut in *voce* (*num.* 1.) *emphatica*, duplex vis spectatur: ita hoc loco, in *toto illo* quod tanquam e formula, & propositionibus compositum sumitur; *duplicem* illam *aptitudinem* spectari.

5) In *probatione* & *explicatione emphatica* (§. 234.) subiectum emphaseos, est vis probandi & explicandi, quam haec adhibita propositio probans & explicans, per se habet: *emphasis* autem est aptitudo eius maior, ad probandum vel explicandum, h. e. ad suum scopum; quam propositiones acquirunt ex hoc nexu determinatio, si comparentur cum aliis in eundem nexum minus commode substituendis.

6) In *methodo* (§. 235.) *subiectum emphaseos* erit, ipsa methodi eius aptitudo, ad id inferendum quod talis series inferre potest. *Emphasis* erit *aptitudo* eius maior, quam alterius pariter vsitatae, ad suum scopum: quam

aptitudinem acquirit, ex his circumstantiis determinatis, ex comparatione cum alia qualibet methodo, in locum ipsius minus commode substituendo.

237. *Emphasis* vel est * *explicita*, *(immediata)* si & ipsa *emphasis*, & subiectum eius, in contextu exprimuntur: vel *implicita* ** *(mediata)* si ex substituto quodam alio, quod cum contextu expresso comparatur, emphasis demum colligitur.

* Vox ὑπερνικᾶν plus notat, quam νικᾶν (nisi manifestus loquendi vsus obstet) *Rom. VIII.* 37. Habes igitur subiectum emphaseos in νικᾶν, & emphasin, in superaddito ὑπὲρ. Huc refer *metaphoras*, cet.

** Exempla vide, *num.* §. 6. *ad* §. 236.

238. In omni emphasi, ostendi debet electio scribentis, inter plura possibilia ad scopum non inepta. Quae electio determinatur per id, quod scriptor in vno eorum aliquid *praecipui* obseruauit (§. *230 - 237.*) ad suum scopum. *Filla* igitur *emphasis* erit, vbi plura praeter eam possibilia, nequeunt ostendi, seu, vbi id, quod pro emphasi venditatur, vnico tantum hoc modo, & non alio, potest * efferri. *Illata* vero *emphasis* (§. *52.*) si plura quidem possibilia ostendi possunt,

sed

sed id quod ex illis electum putatur, non congruit ** vlli scopo praesenti. In *ficta emphasi* scriptor eligere non *potuit*; in *illata* non *voluit*. Vtraque igitur emphasis est *nulla*, *** & *falso sic dicta*.

* Id autem efferri *potest* vnico modo, quod *genius* & *idiotismus linguae*, itemque *scriptoris* (§. 79.) eo modo determinat. Quare τὸ *potest* hoc loco referendum erit etiam ad id, quod per vsum linguae & scriptoris, eo modo efferri *debet* ac *solet*. Si scriptor per idiotismum linguae, aut suum, loquitur, tunc in omni casu dato, ad omnem scopum, sic & non aliter loqui censetur. Praesens igitur *casus singularis*, eum non determinat ad sic potius, quam aliter loquendum. Et sic in ceteris. Vbi *formula*, *methodus* cet. scriptori sic familiaris deprehenditur, vt in *pluribus casibus diuersis*, eodem modo illam adhibeat; id est indicio, rationem electionis non desumtam esse a singulari casu, adeoque ad hunc scopum qui est in praesenti casu, illam formulam seu methodum haud electam esse.

Ita vox πᾶν de *hominibus* in *neutro* genere adhibita, non habet *emphasin* e genere neutro, qua id etiam *connotetur*, quod in homine corrupto sit ignobile, ac natura indignum humana. Nam per genium linguae,

in his exemplis *neutrum masculino aequipollet.* 1 *Io. V.* 4. *Col. II.* 20. *Io. VI.* 37. *coll. cum* 45. *Eph. II.* 14. *Lerna Zinzendorf. p.* 143.

** Frequentia sunt haec exempla. Illud singulare, maximeque notandum, si qua in pericopa, voces & propositiones alludunt ad quiddam figurans, tunc *emphases* omnes *illatas* fieri, quae ab illa re figurante, ad aliam delabuntur. Nam ad *scopum* sermonis id quoque in tali casu pertinet, *quod in rei figurantis conceptu, per talia verba determinatur.* (§. 153.) Ita *Christus Io. VI.* 37. sub imagine *doctoris paterno animo affecti*, sistitur, qui discipulis, a patre caelesti in disciplinam salutiferam, sibi donatis, & filiorum simul loco habendis, non claudat domum, sed eos in familiam & disciplinam fidei ac morum, blandissime admittat, principem ac ducem se praebens ad caelum, *Matth. XI.* 29. *Io. VI.* 45. *Ebr. II.* 13.

*** Si altera *ficta*, altera *illata* dicitur, facile vides, *tò fictum* pressius accipi. Alias vtraque dici potest *ficta*: & prior quidem, *ficta absolute*: altera, *ficta respective*, seu respectu scopi, qui nullus est.

239. Omnis emphasis excitat quendam conceptum. (§. 230.) Qui conceptus est vel pars conceptus eius, qui *scopum* pri-

primarium & specialem constituit; vel pars conceptus alterius qui propius vel remotius *inseruit* ad illum *scopum*, adeoque *medium* est ad illum. Nam conceptum *primarium* totum & *qua talem*, ideo non excitat emphasis, quia haec tantum *accedit*, ei, quod in sermone est primarium (§. 230.) seu *subiectum* (§. 236.) adeoque emphasis qua talis, semper tantum inseruit, etiam ei *conceptui*, qui per *subiectum* ipsius excitatur, cui ipsa, determinationem dumtaxat *singularem* tanquam partem nouam, & *accessoriam*, largitur. Cumque talis conceptus, in vtroque casu, signatur *per eas vocum aut sermonis determinationes, quibus voces & sermo differunt ab omnibus individuis aliis*, h. e. ab omnibus casibus obuiis aliis, quamuis quoad reliqua similibus, (§. 230-238.) scopus vero sic obtentus, dicatur scopus *specialissimus*: (§. 156.) exinde patet, *emphasin scopo inseruire specialissimo*, adeoque *emphasi detecta, detegi scopum scriptoris specialissimum*. Vnde denuo adparet, per emphasin *locupletari sermonem aliquo scopo specialissimo*, adeoque emphasin referri debere

bere ad sermonis *fecunditatem* (*§. 40. ss.*)

240. Cum emphasis conceptum *accessorium*, & respectu *subiecti* sui, tantum *partialem*, excitet, cuius excitatio ad specialissimum scopum scribentis pertinet, (*§. 238.*) quicquid autem ad conceptum iam excitatum addi potest, vel maiorem eius *claritatem* ac *plenitudinem*, vel *certitudinem* maiorem, constituat: inde constare potest, quid sit illud *praecipuum* ac *notabile* (*§. 230.*) quod emphasis exhibeat: *aliquid* nempe *vlterioris claritatis & certitudinis*: quorum illud ad * *explicationem*, hoc ad *probationem* pertinet.

* *Emphasis* in rhetorum scholis *vox artis* est, & de *vocibus* proprie vsurpatur, cum vna est *significatior* altera, plus lucis & grauitatis habet. Extenditur ad id etiam, *cum plus significatur quam dicitur*, vt rhetores antiqui loquuntur. Vnde apud graecos ἔμφασις extra vsum rhetoricum, etiam *simulationem* notat, vbi *dicta* a *mente* discrepant. Nec inficiandum est, in *scholis hermeneuticis* latius hanc vocem regnare, quam prope commodum videri possit.

241. Quo clarius *emphasis* a suo * subiecto

cto (§. 230.) distingui, & quo clarius finis eius specialissimus, adeoque *praecipuum* illud ac *notabile*, (§. 238. 239.) indicari, & pro contextu *probari* potest, eo tutius statuitur emphasis.

* Quod ostendes, si *subiectum emphaseos* aliud, in locum eius quod est in contextu, saluo fine speciali & primario, substituendum, indicari potest. Quod esse difficile, ac saepe lubricum, cordatus quisque fatebitur. Hinc etiam patet, quomodo conceptus aliquis *accessorius* esse, & idem tamen ad *emphasin* referri possit, si nimirum ad *substitutionem possibilem* simul attendas.

242. *Ratio sufficiens* emphasium scripturae, eademque *vnica*, non est *inspiratio verborum*, ita, vt qui hanc inficietur, tollat etiam emphases. Nam qui solos *conceptus* inspiratos esse putant, verba quoque ad illos conceptus *aptissima*, statuunt, & regulas hermeneuticas agnoscunt vniuersas. Cum vero omnis *emphasis* excitet *conceptum* per istas regulas eruendum, & omnis conceptus legitime e textu euolutus, ex eorum hypothesi, fit *diuinitus inspiratus*: in aprico est, emphasin ser-

monis sacri, etiam ab his agnosci, qui inspirationem verborum non admittunt.

243. Quoniam possibile est, vt scriptor aliquis sacer, solum per *idiotismum* suum, *voce*, *phrasi*, *formula*, & *propositionis habitu* vtatur, modus autem *probandi*, & *methodus*, causas habere potest per contextum & alia indicia non explorabiles; praeterea scopus, ad quem tendere dicuntur emphases, per *examen historicum*, satis certo vel probabiliter erui non vbique potest: ideo *sobrium esse debet de emphasi iudicium*, ne lusibus magis ingenii, quam solidis rationibus insistamus, & pro *certo* aliis obtrudamus, quod leuis sit coniectura, officiens sensui determinato & vnico. Videndum etiam, ne venando emphases lubricas aut futiles, ipsos *conceptus primarios*, e contextu solide definiendos & euoluendos, negligamus, quod minuti est ingenii, & luxuriantis phantasiae, quae maiestatem sacrae scripturae eneruat, & scabiem affricat * interpreti.

* Pruritus emphasium maximus esse solet in iis, qui ad *solidiora* assurgere non possunt: quibus somniat tantummodo ratio, & febricula

bricula laborat ingenium. Qui linguarum praeterea carent peritia, & critica facultate destituuntur; hei! quam misere se torquent & stilum sacrum. Semper parturiunt emphases, & quod nascitur, vmbra est, quae vana spe ludit hiantes. Rara sit emphasis; & critica falce premas luxuriantem huius ruris vmbram, ne *steriles dominentur auenae.* Nos quoque, si verum fatemur, *emphaseos* notionem *arctiorem* esse malimus, quam vulgo receptum est, cui tamen methodo nostras theses vtcunque accommodauimus.

MEMBR. VIII.

DE

PORISMATE SACRO,

RESP. FRIED. GOTTLIEB. CASPARI.

Palaestra 31.

---

244. QVaelibet data pars scripturae sacrae, constat his & non aliis vocibus, his & non aliis propositionibus inter se connexis. Verba vnius propositionis habent triplicem determinationem: *vnam* per vsum loquendi, (§. 67.) alteram, per nexum *internum* in propositione, (§. 27.) tertiam, per nexum, (si quis adest

logicus) *externum*, h. e. cum propositionibus coniunctis, (§. 28. 124.) Eo ipso par est ratio *propositionum* plurium, in nexu suo, quarum vna per alteram determinatur. Hae determinationes simul sumtae, efficiunt, vt tales voces, talesque propositiones, sint *mediae* ad conceptum aliquem communem, cui *explicando* vel *probando* illae inseruiunt, *clare*, *certoque*, intelligendum, & ad *motus* conuenientes inde concipiendos: hoc est ad *scopum* aliquem, (§. 153.) eundemque *specialem*, his mediorum determinationibus *respondentem*, (§. 156.) itemque *specialissimum*, quatenus emphases adiectae, nouas determinationes adferunt. (§. 236. 239.) Quaecunque tractatio scripturae, intra limites * scopi huius *specialis* & *specialissimi* coercetur, explicando & probando conceptus, siue per contextum exhibitos *immediate*, siue per legitimam consecutionem, ** *sufficienter* ad scopum suum *eruendos*, *mediate*: illa *stricte* dicitur *interpretatio scripturae*, & conceptus ita prodeuntes, dicuntur *sensus* in contextu scripturae, siue ille sit *immediatus*, siue *mediatus* (§. 29. 38. 41. 45.) dummodo ad

scopum

scopum specialem & specialissimum *sufficiat.*

* Haud sane tam facile est, quam putari possit, *constituere limites* eius quod *sensus* est, & quod *porisma*, ex illo sensu deductum. Vbi sane *sufficientia explicationis & probationis, ad scopum singulorum textuum*, & ad seriem contextus, ne nimis longe tum a conceptu explicando, tum a ceteris connexis abducamur, spectari debet. Cum alias *omnes veritates* habeant commune vinculum, & ex vna tam multae necti possint, consequentiae beneficio, vt a scopo contextus tandem longissime recedatur.

** In *analysi* conceptuum, (§. 218.) vbi *explicamus & probamus*, multae propositiones *eliciuntur* ex illis quae sunt in contextu. Sed *elicitae*, quatenus ad explicandum & probandum ita sunt necessariae, vt sine illis, contextus expressus, scopo suo non *sufficienter* respondeat, seu, non sit medium sufficiens ad illum: catenus hae propositiones elicitae ad ipsum *sensum contextus* referuntur.

245. Quaecunque propositio vera, e sensu textus iam constituto, (§. *235.*) vtcunque elicitur, eam * *porisma* vocant theologi, significatu *latiore*. Si *sensus* propositionis elicitae, est

est ** *practicus*; tunc *porisma stricte* sic dictum, habebis; quod per scopū *scripturae generalem & vltimum* propius (§. 154.) determinatur. Rursus, si *modus* eliciendi fit per *legitimam concludendi* formam, & *rationalem meditationem*; tunc *porisma proprie* dictum seu *innatum*, aderit: si fit per solam imaginandi *** vel ingenii legem, ideoque arbitrarie; tunc *porisma abusiue* sic dictum, seu *illatum*, (*intrusum*) prodibit. Cum porisma eliciatur e *sensu*; vox autem vnica, qua talis, non exhibeat sensum; (§. 28. 29.) *fieri* non potest, vt ex *vnica voce*, qua tali, porisma eliciatur.

* *Porisma*, e scholis mathematicis ductum est vocabulum, a quibus migrauit ad dialecticos. Thema est πείρω *transeo*, vnde πορίζω *viam aperio*, & metaphorice, *e demonstratis infero*, quoniam, qui e demonstratis infert, a demonstratis *transit* ad ea quae inferuntur, ad quae sibi *viam aperuit* per demonstrata. Qua ratione nouus veritas fluens e demonstratis, *acquiritur*. Et quia *acquirendi* notio, verbo πορίζω, etiam subiicitur, inde factum est, vt veritas e demonstratis elicita, quasi *lucri* seu *quaestus* rationem habeat. Qui e demonstratis nouam

veritas

veritatem infert, is eam veluti *lucratur*. Quare vetusti interpretes maximi EVCLIDIS, summique ARISTOTELIS, porisma describunt, *quando propositio quaedam, ex demonstrativo syllogismo necessario sequens, infertur, quam veluti lucrentur, quoniam e demonstratis recte sequatur, tametsi scriptoris institutum non tendat ad demonstrationem illius propositionis.* Satis igitur est, *hanc propositionem habere necessariam ex his, quae demonstrata sunt consecutionē.* Vide HENRICI STEPHANI *thesaur. tom. 3. p. 177.* & ipsum EVCLIDEN, cuius interpres, graecum πόρισμα, reddit, *corollarium*, vt p. 379 380. *edit. Oxon.* 1703. a quo distinguitur φόλιον.

Notandum erit, *latissimam* esse significationem, si *porisma* accipiatur pro quacunque propositione, e contextu sic elicita, vt eae quoque propositiones, quae ad *sensum* textus *mediatum* (§. 235.) pertinent, aut quae *ab ipso scriptore sacro ex aliis iam sunt elicitae & in contextu positae*, intelligantur. Quae significatio nimis laxa est, & hic non admittenda, nisi vage loquendo, cuncta perturbare velis: quod non nusquam fieri, videas.

** 1) Confer (§ 223.* & 128.) Sensus practicus est veritas, quae continet aliquid eorum quae salutarem actionem ingrediuntur, aut eidem inseruiunt, eo fine proxime, vt a-

&u ipso ingrediantur, & inseruiant. Nempe propositio *practica* enunciat *actum* aliquem facultatis cognoscendi vel appetendi vel locomotiuae, ad emendationem hominis tendentem, ideoque obligationi subiacentem, per consequens *officium*: vel etiam *agendi modum*, ipsam *legem*, & *motiuum* agendi, quatenus ad ipsam actionem refertur. Nam haec omnia in *praxi*, seu actione salutari, concurrunt: repraesentatio legis, motiuorum, volitio vel nolitio, producens actum internum vel externum simul, in casu obuio. Ad *modum* agendi inseruit vsus mediorum, *impedimentorum* remotio, *occasio*. Quare, si *operationes gratiae*, si *exempla* eorum, qui has operationes admiserunt vel asperuati sunt, ita enunciantur, vt ad mutationes in homine salutares (quae tam *commissione* quam *omissione* constant) referantur: istae quoque propositiones, tanquam ad *causas* & *modum*, itemque ad *motiua* salutariter agendi pertinentes, recte inter *practicas* enumerantur.

2) Vulgo actio, qua mutationes istae salutares (*praxis christianismi*) excitantur, dici solet *aedificatio*, & propositio ad istas comparata, dicitur *veritas aedificans*: eritque hoc respectu *porisma*, *veritas aedificans*, *e sensu contextus illata*. Quin etiam complexus totus, earum mutationum (*obiective*) voca-

vocari solet *aedificatio*. Deinde *strictius* eae mutationes salutares, quatenus sunt in *homine renato*, adeoque ad *sanctificationem* pertinent, nomine aedificationis insigniri solent *Ephes. IV.* 12. *Iudae*, 20.

Vnde patet, non sufficere studioso hermeneuticae definitionem *perismatis*, quod sit propositio *aedificans*, ex *sensu* illata, nisi limites sensus ante constituat (§. 235.) & *aedificationis* notionem euoluat, itemque *modum illationis* determinet. Nam ante, quam hoc factum sit, ipsa definitio non fiet ei clarior, suo definito.

3) *Classes veritatum aedificantium* repeti solent, ex 2 *Tim. III.* 16. vbi tamen διδασκαλία, an significare possit per contextum, eas *propositiones quarum sensus est practicus*, facile patebit. Non alias autem admitti sub nomine *perismatis stricte* dicti, constat e supra dictis. Alias quaelibet veritas remotissime tendere potest ad praxin. Ἔλεγχος, hactenus huc pertinet, quatenus *impedimentum* praxeos remouetur (*num.* 1.) remoto per confutationem errore, cuius remotio ad *sensum* textus non pertinebat (§. 235. 223.) Ita enim *propositio confutans*, habebit *sensum practicum*, & non tantum *nexum* cum praxi *remotiorem*. Sed ἐπανόρθωσις, & παιδεία ἐν δικαιοσύνῃ, plane huc pertinent, & vlum *paracleticum* sub se comprehendunt.

4) Pu-

4) Porismata stricte dicta, seu aedificantia, rursum distingui possunt, in ea, quae *praxin generatim* enunciant, & in *alia*, quae *applicantur* ad *certum hominis statum*: illa *generalia*, haec *specialia* dicere possis, & prout status ille vel *pluribus* communis est, vel paucis aut vni, ita rursum dispesci possunt. Sane *aedificatio* sine applicatione non obtinetur. Ceterum & ipsa porismata *latius* dicta, *remote* ad aedificandū pertinere debent.

*** 1) Si occasione vocis vel propositionis, alteriusue *circumstantiae* praesentis, mentem subit alia repraesentatio, quam antea cum tali voce vel propositione coniunxisti; atque si propter hunc nexum accidentalem, existimes, nunc quoque eidem esse locum, cum tamen a praesenti instituto sit aliena: tunc sola imaginandi lege frueris. In quo si vlterius procedas, arbitraria etiam compositione & diuisione phantasmatum delectatus; tunc illud, nescio quid, fingis, quod *aegrorum* ad *insomnia*, non nunquam accedere potest.

2) Si occasione vocis, propositionis, alteriusue circumstantiae, recurrit repraesentatio rei alterius (*num.* 1.) quae *simile quiddam* habet cum illa *occasionali*, sensu & contentis ipsis ceteroquin diuersissima; & illa *similitudo*, licet aliena *a sensu* contextus, (vnde porismata per legitimum concludendi modum erui debent) pro fonte porisma-

tis

tis vel ipso porismate assumitur; tunc ingenio suo fruitur interpres. Ibi enim illam vtrinque visam similitudinem, propositione quadam enunciat, aut ex illa denuo alias deducit, vel notas vtrinque similes, pluribus propositionibus edifferit. Itaque non adfert *porismata*, sed vnum phantasma cum altero suauiter connectit, donec exhausto iconum penu, conquiescat. Quamquam vero aliquis per has *propositiones* (siue id *per se* faciant, siue fiat *per accidens*) aedificari possit, aut aedificari videatur: tamen illa aedificatio non est character veri porismatis. Nam & *erronea repraesentatio* bonum aliquem *motum* excitare potest. Sed notata quaelibet *similitudo*, inter id quod est in textu, & inter aliud quiddam, nimis infirma est, quam quae medium terminum suppediter, per quem propositio textus, cum alia quae similitudinem illam enunciat, connectatur, & *legitimam* efficiat *consequentiam*, aut *meditationem*.

Multo ignobiliora sunt porismata, in quibus ipsa illa *similitudo* operose *fingitur*, & extorquetur: quae *inania* sunt *phantasmata*. Vbicunque vero *imaginatio* & *ingenium*, ratione duce & comite vtuntur; ibi aliquid solidum, ad sensum textus *illustrandum* tametsi e textu non *inferatur*, sed vtcumque *elicitur*, nasci potest. Quod vehementer est

probandum. Tale enim porisma est *scholion*. Quin etiam argumentatio rigidissima, qua *porisma strictum* e textu *infertur*, parte inferiore facultatis cognoscendi carere nequit.

246. *Porismata* per legitimam meditationem e *sensu* textus deducuntur. (§. 236.) Quicquid igitur ad *sensum* textus constituendum pertinet; id fons esse potest porismatum. *Voces*, *propositiones*, earumque *nexus*, *internus* & *externus*, (§. 27. 28.) itemque *methodus* (§. 133.) *occasio* (§. 89.) *affectus*, (§. 108.) *scopus*, (§. 153.) *emphasis legitima* (§. 239.) *parallelismus*, (§. 193.) *conceptus*, quos per euolutionem aliorum obtinemus, (§. 218.) aliquid ad sensum determinandum conferunt, ideoque vna cum ceteris, sensum constituunt, quare ex his omnibus *porismata* deriuari possunt. Propositiones etiam *falsae* & *malae*, in scriptura relatae, vsurpantur ad porismata *vera* & *bona*: verum non per se, sed quatenus haec ex assumtis contrariis inferuntur, pro scopo Dei inspirantis *Io. VIII. 45.*

247. Posito *vero sensu* textus, & posita legitima consecutione; necessario ponitur

tur veritas porismatis; cum verum oporteat esse, quod ex altera propositione vera, legitima consecutione infertur. Qui e propositione, quae sensum enunciat *fidei* tantum, nec simul *scripturae analogum*, (§. 195.) plura legitime deducit porismata, ei *veritas* porismatum est pro criterio *veri sensus*, alicubi in *scriptura* obuii. Sed e *veritate porismatum ad veritatem hermeneuticam* (sensum, *scripturae analogum*,) *non valet consequentia*. Contra, si sensus verus simul est *scripturae analogus*, (§. 197.) veritatem eius confirmant vera porismata, rite deducta. Ex porismate *intruso* (§. 136.) ad veritatem sensus, siue fidei siue scripturae analogi, concludi non potest.

248. Ex vno porismate, rursum alia recte deriuari possunt, quae *deriuatiua* dixeris, respectu eius e quo eliciuntur: quod tunc *primitiuum* adpellare licebit. Porro, si porisma sine vlteriori amplificatione, per modum nudae propositionis exhibetur, *nudum* vocari potest; sin accedente meditatione latius diducatur, *porisma vestitum* dixeris. Qualia ad vsum *homileticum* sunt accommodata.

249. Cum *porisma elici* debeat e sensu iam constituto; (§. 245.) omnis eliciendi modus, qui nouis veritatibus inueniendis & pro scopo adferendis, inseruit, hic locum habet. Nempe ex propositione, quae textum constituit, vel per *consequentiam* * *immediatam*, vel per ** *mediatam*, alia quaepiam elicitur, quae porisma sit.

* *Modos* consequentiae *immediatae quinque* recenset *perillustr.* WOLFIVS *logic. mai.* (§. 461. sq.) propositionum *aequipollentiam*, *contradictionem*, *contrarietatem*, *subalternationem*, *conuersionem*. Latius ista euoluit *rec.* REVSCHIVS *syst. log.* §. 596. ss. In primis secunda est porismatum *subordinatio* conceptuum: vbi modo determinationes nouas addimus, vt *angustior* fiat conceptus, & applicatio eius sit facilior: modo subtrahimus determinationes in conceptu ad sensum textus pertinente vt *amplior* fiat conceptus, atque ita ad plures subordinatos extendi queat, fecundiore penu.

Cum veritates quae e *parallelismo* itemque ex *analogia* fidei, sumuntur, & quae alibi probatae sunt, cum iis quae conficiunt sensum textus, connectuntur, saluo scopo: tunc & illae ipsae hactenus *elici* censentur; &, quando nulla ponitur intercedens alia propositio, cuius beneficio eliciantur,

antur, *immediate* elici indicantur. Nam τὸ *elicere*, laxius in hoc negotio sumitur a theologis, vt *rigidam consequentiam* non semper denotet. Satis habent, ope propositionis ad sensum textus pertinentis, interpretem *deduci* ad illam alteram; atque ita deduci, vt *nexus quidam* scopo conueniens, seu concatenatio cogitationum rationalis, locum inueniat. Quod maxime fit in *scholiis*, ex vsu philosophorum.

Quin etiam, si quod praedicatum in propositione ad sensum pertinente, vel ex toto, vel ax parte subsistit, aliis etiam subiectis (siue ex ratione siue ex scriptura) substitutis, & v. v. tunc illa ipsa substitutio, si fiat saluo scopo, hactenus ad *aequipollentiam*, vel certe *coordinationem & subalternationem* conceptuum, suo modo reducitur: tametsi propositio ad sensum pertinens, & altera per substitutionem talis, inter se non aequipolleant exacte. Ad scopum certe aliquo modo aequipollere censentur. Quorsum & id refer, si vna ad sensum pertinens, *illustratur* per alteram, determinationes vtcunque *similes* habentem.

Exemplo sit factum Christi, orare docentis discipulos suos *Luc. XI. 1. ss. Occasio facti* quibusdam propositionibus enunciatur; &c.

a) *Christus aliquo in loco orat.* Ibi terminus *subiecti* est angustior. Exhibet enim personam singularem, quae est Christus, filius Dei, θεάνθρωπος. Detrahe singulares determinationes, quae filium Dei, θεάνθρωπον constituunt: tamen praedicatum, *orare*, adhuc conuenit *subiecto*, quod erit *filius Dei* (*per regenerationem*) vel *doctor ecclesiae*, quae Christus certo respectu adhuc habet communia, cum hominibus. Iam recordaris alia testimonia scripturae sacrae, quibus *oratio* tanquam proprium filiorum Dei commemoratur *Gal. IV. 6. Io. IX. 13.* vnde fit porisma: *criterion est filiorum Dei, orare.* Itemque illud: *probatus ecclesiae doctor, nihil prius & antiquius habet oratione.* Porro, Christus orat *in conspectu suorum*, id ad ad sensum textus pertinet. Illa circumstantia, quod *in conspectu orat*, pro generaliore accipi potest, vt recordemur, reliquorum casuum, qui Christum sistunt *in conspectu* orantem, e. c. in *baptismo ipsius*, *Luc. III. 21.* *in sacra caena*, *in horto*, *in cruce*, cet. Vnde porisma: *in omni negotio*, *non tantum pro nobis sed etiam in exemplum aliorum*, *orandum est.* Discipuli tunc obseruant Christum orantem. Detrahe determinationem *tunc*; & cogita Christum perpetuo, *nunc* quoque ad dextram

dextram patris, *deprecari pro nobis Rom. VIII. 33.*, habebis porisma: *Intenti sint oculi & animi nostri, in Christum sacerdotem, pro nobis deprecantem. Gaudeto, si quem pium vides orantem, & illico ardorem concipe similem* cet. Praeterea τὸ in *conspectu orare, ad excitandos alios*; reuocat nobis in memoriam *finem contrarium* eorum, qui *in conspectu orant*, vt aliorum captent applausum & ambitioni suae litent *Matth. VI. 5.* vnde porisma: *in conspectu orare ad explendam ambitionem, & decipiendos spectatores, turpissima est hypocrisis.* Denique Christus orat in conspectu *discipulorum* potius, quam Pharisaeorum. Discipuli Christi sunt species *piorum*. Vnde porisma: *in conspectu piorum, nunquam sine fructu oramus.* Postremo τὸ *orare* est *species bonorum operum.* Vnde porisma: *bona opera in conspectu piorum exercita, pios semper aedificiant.*

b) Altera propositio, quae occasionem indicat, est illa: *finita oratione discipuli petunt informationem ad orandum.* Vbi vides, exemplo Christi vehementer excitari discipulos ad similem in orando ardorem. Id, cum teste scriptura, *generaliter* verum sit, hinc quoque *porisma* nascitur: *Oratio est instar ignis, qui ignem alium suscitat. Beati mentis oculi, qui*

ſum vident orantem! qui hauriunt inde ſpiritum precum. Itemque: *orandum eſt, vt orare diſcamus. Facultas orandi eſt donum ſpiritus ſancti Rom. VIII. 26. Spiritus idem, qui orabat in Chriſto, orat in chriſtianis, & ad hos transfunditur.* cet.

qu *Mediata conſequentia* ita differt hoc loco ab immediata, quod illa vnam praemiſſam ſumit e ſenſu textus, alteram aliunde, ſiue e ſcriptura, ſiue e cenſu veritatum naturalium; ita vt nobis in formando poriſmate, clare aut diſtincte conſcii ſimus vtriusque praemiſſae, tametſi vtraque in ipſo poriſmate non exprimatur. Satis eſt, vtramque ſic ingredi meditationem, vt in actu meditandi, vtramque animo praeſentem ſiſtamus. In ipſa conſequentia immediata, beneficio praemiſſarum inferimus, & ſemper adeſt *ratio* cur ita & non aliter inferamus. Nempe regula quaedam logica ſubeſt, cuius beneficio vna propoſitio alteram includit, vel ab altera ſeparatur. Verum illa regula non ſemper ita ſubit animum, vi eius diſtincte ſimus conſcii, nec formam ſyllogiſticam animo concipimus.

250. Cum *poriſma* ſit propoſitio *vera*, & *legitime* elicita (§. 245.) non debet elici, niſi ex ſenſu *veritates* * exhibente. Illae veritates ſunt vel *dogmata*, vel *hiſtoriae*,

riae. Quare, si *dogmata* alicubi falsa, & historiae malorum quoque factorum occurrunt: in adornando sensu, illorum falsitas, & horum prauitas, ante declaranda est, quam porismata exinde deducas. Secus enim si fieret, *porisma verum* non erueres, multoque minus ad aedificationem aptum. (§. 245. & ** *n.* 4.)

* Non sufficit *veritatem exegeticam* obtinuisse: quam nimirum obtinet interpres, si falsas etiam propositiones recte explicat, id est sensum earum eruit: sed ad fundandum porisma, *veritas logica* requiritur, id est *vera propositio.* Per consequens, qui alicubi substernit porismati, *regulam agendi in textu latentem* in se veram quidem, sed *non tam late & vniuersaliter veram*, quam late ad eruendum porisma extenditur: is falsum eruet porisma, e propositione hactenus falsa, quatenus vltra veritatem sui extenditur, & aliquid falsi eidem attexitur.

251. Cum porismata e sensu iam constituto eliciantur: cauendum est, ne *partem sensus* in *porisma* conuertas. Cumque e *sensu* textus fluere debeant; caue, ne *porisma* nimis longe a textu recedat, & relationem illam, quam habet ad sensum,

eo ipso velut amittat. Cum eadem *eliciantur*, caue ne porismata *nimis obuia*, & illatione haud indiga, proferas. Cum ad *aedificationem* eliciantur, fac, vt sint ad hunc vsum * *selecta*. Cum ex *omnibus quae ad sensum pertinent*, (§. 246.) & omni eliciendi modo rationali (§. 249.) eliciantur: fac vt *fontes* qui vel *aridiores* videntur, & *modos* eliciendi quam *facillimos*, *acutius* obserues, quo porisma tuum sit** *inexpectatum*, & *natiuum*, eoque cum *suauitate* aedificet.

* Hanc regulam & antecedentem, itemque vltimam, in exemplis ad (§. 249.) tam rigide non obseruauimus, satis habentes, ibi *modos* eliciendi quodammodo illustrasse. Confer B. RAMBACHII *nostri herm. sacr. lib. IV. cap. 3. §. 5. p. 809.*

** Praeclare id praecipit *ven.* BAVMGARTEN *herm. sacr. not. ad §. 136. p. 199.*

DE

DE PRAXI HERMENEVTICA

RESP. IO. ANTONIO SCHREINER

Palaestra 32.

252. *PRaxis hermeneutica*, est actio qua regulas interpretationis (§.1.**) applicamus * ad obuios scripturae sacrae textus. Dicitur etiam *exegesis*. Praxis ista crebrior, gignit *habitum exegeticum*, qui & ipse interdum *exegesis* vocatur. Quo habitu si quis pollet, *exegeta* dicitur. Qui praxin adgreditur, sine distincta regularum notitia, (§.2.) & habitum sibi ista praxi quaesiuit, is *exegeta empiricus* recte vocabitur, multis lapsibus & erratis expositus.

* In *applicatione* haec duo concurrunt: 1) *notio determinata casus obuii*, tanquam ad regulas hermeneuticas pertinentis: 2) ipsa regularum notio distincta, quam *recordamur*, oblato tali casu, & secundum quam ea quae casui insunt, nobis repraesentamus, tanquam singularia sub vniuersalibus comprehensa. Quod, quando fit; tunc ipsa regula ad casum, refertur, seu *iudicium* formatur: hoc est *exemplum obuium*, *ad quod haec vel ista regula quadrat*. Tametsi vero regulae a casibus

sibus obuiis quam plurimis, abstractae sint; adeoque is videri possit casus in promtu habere, qui teneat regulas: tamen, cum singulis in casibus variae sint determinationes, adeoque varius diuersarum regularum concursus: aliqua accedere debet *exercitatio*, in eo, qui non ipse regulas ex obuiis casibus abstraxit, sed *notiones* quae regulis insunt, acumine mentis, vel casu vno alteroue, exempli caussa allato, adsecutus est. Quae exercitatio nisi accedat, in formandis casibus obuiis facile potest errari.

253. Cum is, qui regulas tenet de eruendo sensu, (§. 1.) in applicatione tamen earum, facile errare possit, (§. 252. *) adeoque necesse sit, vt *modum** noscat, quo illa applicatio fieri debeat: *modus* autem certis regulis enunciari queat: (§. 1. **) necesse est, si *artificialem hermeneuticam* (§. 2.) callere velis, vt has quoque regulas hermeneuticas superaddas illis, quas hucusque delibauimus. Hae vero, quas superaddimus, cum destinatae sint *applicationi* priorum, adeoque *exegesi:* (§. 252.) commode vocari possunt *exegeticae, stricte* tales: sicut priores, dici possunt *hermeneuticae, stricte* tales.**

* *Modus*

* *Modum* ille, repraesentatione & vsurpatione quorundam *requisitorum*, hic absolui potest, quorum praesentia efficit, vt recte, facile, ideoque tuto, in applicando procedamus.

** *Exegesis* quomodo differat ab hermeneutica, (§. 9.) hinc liquido adparet. Ipsa enim *applicatio regularum*, & *habitus* applicandi, (*exegesis*) a *notitia regularum* (*hermeneutica*) satis manifesto distinguitur. Sicut nondum est opifex, qui *instrumenta* quibus opus fabricatur, petnoscit, & modum quibus instrumenta conficiuntur, perspicit: sed ille demum opificis nomine dignus erit, qui haec instrumenta, rite *adplicare* didicit ad opus conficiendum: ita & hoc loco res comparata est. Ipsa tamen *applicatio* cum fiat secundum regulas, modum applicandi debitum enunciantes: harum quoque notitia regularum, est *pars hermeneuticae* (§. 1.)

254. Omnia, quorum obseruatio applicationem regularum hermeneuticarum *stricte* talium, (§. 253.) *rectam* & *legitimam*, itemque *faciliorem* & *tutiorem* facit; ad *modum* applicationis referri possunt. Modum illum enuncians, condit *regulas exegeticas stricte* dictas. (§. 253.)

255. Rite applicaturus regulas *stricte* *herme-*

hermeneuticas, 1) earum * *ordinem* recordare, & in applicando, secundum illum procede: 2) vtere pertinacissima attentione, ** in textum obuium defixa, nec temporis ad meditationem sufficientis, te poeniteat. Haec *generatim* obseruanda esse, nullo negotio videbis.

* *Ordo systematicus* id iam praestare potest, (§. 63) vt agnoscas, qua actuum serie procedendum sit, in erundo sensu. Vt tamen illum ordinem tunc in promtu habeas, seu *recorderis* (§. 152. *) cum accedis ad casum obuium, necesse est.

Quare si quis textum sibi quendam explicandum sumit, qui non est integer scripturae liber; is 1) vna lectione vel pluribus repetitis, *probabiliter* saltim, constituit, quousque se vna pericopa porrigat; ibi obscuriorem pericopae acquirit conceptum, (saltim huc praecipue tendit) qui hoc iudicio absoluitur: *hae propositiones simul sumtae, constituunt vnum totum.* 2) Repetita lectione, notat, quae *voces* aut *phraseologiae*, in textu originali sibi adhuc obscuriores sint, quarum significatus, adhibitis *lexicis*, *versionibus*, ceterisque subsidiis; explorat (§. 84. 85. 87. 88.) Quo facto acquirit sibi sensum totius pericopae *grammaticum*, & iam tutius incipit *iudicare* quam ad classem *obscurorum*

florum haec pericopa referenda sit. 3) Inter has lectiones nonnulla *varias explicationes* passura, occurrunt, quas notat equidem, sed nullam adhuc eligit, donec *ulteriores* determinandi rationes succurrant. Perfunctus igitur hoc *examine grammatico*, instituit 4) *examen historicum*, (§. 89. ss.) cui succedit 5) *examen logicum* (§. 120. ff.); & huic 6) *pragmaticum examen* (§. 173. ff.) vbi obseruato discrimine inter textum *historicum & dogmaticum* (§. 174 220. ff.) conceptus *terminorum* definiri, (178) *nexus* eorundem *internus* determinari (§. 210.) & conceptus eorum denuo in alios *resoluti* (§. 218.) debent; quod dum in aliqua pericopa fatis, *nexus explicans & probans partium*, adeoque ipsa *partitio accuratior* instituetur (§. 220.) quam forte in examine *logico* (§ 149.) facta est. Vbi simul ad *emphases* (§. 230.) & *porismata* (§. 244.) attendendum erit.

Notandum vero, hos actus, qui & satis *multi*, & satis *varii*, ideoque subdifficiles videntur, esse tamen 1) eiusmodi, vt alter alterum subleuet: 2) aliquantum exercitatis *plura simul* obuersari, quae vel *vna lectione* coniunctim perspiciant: 3) accedente vlteriori exercitatione, singulos actus *minus operose, minusque tarde* procedere, sed veluti in *vnum compositum fusos*, expedite fluere.

ere, quae est natura *habituum*. *Habenti* enim, *dabitur*, *Matth. XXV.* 29.

Vnde & istud colligas 1) *praeiudicium* illud nimiae *confidentiae* & *diffidentiae*, hic procul habendum, 2) ante omnia *illuminatos mentis oculos* pia *precatione* a patre luminum esse rogandos, nec vnquam nisi praeuia oratione accedendum esse ad illam exercitationem exemplo Dauidis *Ps. CXIX.* 18. & iussu PAVLLI *Ephes. I.* 18. 3) & cum facilius perspiciat diuinam mentem, qui animum *praxeos christianae* cupidum adferat, teste Christo, *Io. VII.* 17. ac praeterea omnis scripturae *sensus practicus*, clarior fiat iis, qui ista de quibus oracula sanctiora agunt, in semetipsis experiuntur: (§. 50.) hoc quoque primum & praecipuum officium obseruetur.

Cum ad *inuentionem veri* generatim, talis necessaria sit attentio: multo magis illa requiritur in eruendo vero scripturae sensu. Cum enim in scriptura 1) Deus loquatur, 2) eas veritates loquatur, quibus ad salutem nostram & aliorum, indigemus, 3) idem nihil addi nihil derogari velit verbo suo, 4) diserto insuper mandato nos ad *meditandum Matth. XXIV.* 15. & *scrutandum Io. IV.* 39. *1 Tim. IV.* 14. 15. obliget, 6) perfunctoria leuitas in re exegetica, non modo sit causa omnium *sectarum*, sed influat etiam in mo-

res

res hominum, & contemtionis erga Deum non leue sit specimen: facile adparet, quantopere ad debitam attentionem & iusta meditandi spatia, simus obligati.

256. Quoniam textus obuii, tanquam exempla ad regulas hermeneuticas exigenda, *determinatam* habent *quantitatem*; quippe certus est & definitus librorum canonicorum numerus: videndum erit, vt *assidua* * *lectione familiarem nobis reddamus totum eorundem complexum*, antequam ad exegesin singulorum accuratiorem accedamus. 1) Quo *plura* enim in eodem casu, *magisque diuersa* & *ignota*, interpreti occurrunt; eo *difficilior* erit regularum applicatio, propter *attentionem* in tam varia, tanta *intensione* dirigendam, (§. 254.) & actus reliquos, (quales sunt diiudicatio significatuum, nexus, scopi, cet. itemque *recordatio regularum*) cum illa coniungendos. 2) Lectio illa praeuia, praeter ceteros fructus hoc efficiet, vt *casuum* ** *similitudinem in diuersis libris*, saltim confuse & per *hermeneuticam naturalem*, nobis repraesentemus, ac memoria teneamus. Quorum consprationem ac diuersitatem curatius deinde expendere licebit.

* In *linguis*, quas vocant, *originalibus*, hanc lectionem fieri debere, non est quod moneamus. (§. 68.) *Versio* tamen probata, aut *plures* inter se comparandae, commode in subsidium adhibentur. Quae res inter alumnos sanctioris doctrinae facilius procedet, si *selecti* commilitones, quorum pares sunt in hoc genere profectus, societatem quandam ineant, & communi ope fruantur, aut, si doctor suppetat idoneus, hunc sibi ducem expetant. Nam *collegia*, quae vocant *cursoria*, vbi, grege promiscuo, paruuli Quirites, & grandiores praetextati, in vnum coalescunt; aut illos fatigant, aut horum abutuntur patientia, generososque stimulos retundunt.

** Sicut *concordantiae* quas vocant, plures sunt concinnatae; ita factu non inutile foret, adornato prius systemate *hermeneutico* (regulas generales ac speciales complexo) colligere singulis e libris casus notabiliores regulis congruos, & inter se quam maxime similes, quod in gratiam alumnorum hermeneuticae, si quis otio ac patientia gauderet, suscipere non foret alienum.

257. Cum habitus non acquiratur, nisi per *praxin*; & theologus tamen habitu exegetico vel in primis polliere debeat: *1 Cor. XIV. 1. XV. 3. 4. 2 Tim. III. 16. 17.* necesse

neceſſe erit, vt *creberrimae exercitationes exegeticae inſtituantur.* Vbi 1) non facile dies vlla ſine linea dimittatur. 2) Cum omnis exercitatio a facilioribus incipiat, ne nimia virium intenſio, in ipſo limine gignat faſtidium, contraque, vt ſucceſſus ipſe affundat *voluptatem*, voluptas cupiditatem & ardorem accendat: a *facilioribus* * *textibus* ordiendum erit.

* Faciliores plerumque ſunt *textus dogmatici* noui teſtamenti, quam veteris: in *articulis fundamentalibus* occupati, quam in ceteris. Cumque ab inenunte aetate potiora fidei capita diſcamus, & ſacrarum literarum cultores *theologiae dogmaticae* & *moralis* ſtudium praemittere debeant hermeneuticae artificiali: hi quoque textus, qui in illis diſciplinis occurrunt, plerique faciliores & magis familiares erunt. Textus *hiſtorici* quoad *contenta* hiſtorica, geographica, genealogica, difficiliores eſſe poſſunt dogmaticis: ſed quoad *partitionem*, *ſcopum*, *affectum* cet. faciliores eſſe poterunt. Textus conceptibus impropriis referti, plus difficultatis offerunt quam qui *propriis* conſtat. Textus *breuiores* (cetera ſi ſint paria) minus *varietatis* habent quam *longiores:* ideoque illi ſunt faciliores.

258. Si alii, iam peritiores, *viua voce* regulas adplicant, tunc modus applicandi facilius nobis apparet, praesertim vbi & ipsi dent operam, vt modum, quo in praxi sua vtuntur, nobis indicent, hoc est in casu obuio, ad *regulas* hunc casum dirigentes, nos remittant. Quare initio recte sibi consulet, qui cognitis regulis exegeticis, *collegia audiet exegetica.* Quorum si fructum, fini suo adaequatum, percipere velis, necesse erit, saltim tunc, cum aliquid ipso auditu iam profecisti, vt 1) textum a doctore electum, & partem textus, singulis horis destinatum, antea ipse percurras, & vires tuas in applicandis regulis explores, 2) doctoris interpretationem seu modum, quo sensum determinet, probe obserues, 3) postea singula examines, & si qua tibi dubia, confirmanda, supplenda, mutanda, cet. videantur, cum doctore communices: 4) id ipsum facilius & fructuosius erit, si qua cultorum theologiae *societas* *, hoc labore fungetur, quam si singuli, & sine doctore.

* Societates exegeticae differunt ab *asceticis*. In *illis* rigor interpretandi summus, obser-

uari

usti debet; in *his*, *praxis christiana* potissimum spectatur, vbi modus interpretandi quoad omnia *adstrictior* ad suas regulas, supponitur magis, quam exercetur, & ratio potissimum *applicationis specialis* habetur. *Societates exegeticae*, requirunt socios probe eruditos, laboris patientes, amore verbi diuini coniunctissimos, ambitionem & pruritum contradicendi procul habentes, a studio sectarum alienos; adeoque *indifferentissimi religionum*, qui & ipse est *secta fedissima*, quam minime studiosos. Qua scabie infectus, famosus aeui nostri impostor ZIN. ZENDORFIVS, *societates exegeticas* coluit, aut coluisse simulauit, cum fetum turpissimum *nouae metaphraseos N. T.* parturiret.

259. Si quis in obuio textu vires suas periclitatus est; tunc *aut* sensum obtinuit satis sibi certum vel probabilem; *aut* voto suo non est potitus. PRIVS vbi accidit, cum praeter viuam vocem tot sint * interpretes eadem opera functi, *vt hos quoque consulas*, multa persuadent. Aut enim illi tecum conspirabunt, aut minus. Si conspirabunt; iucundum fuerit perspicere, quod & regulae dextre a te adhibitae, aliorum quoque testimonio sint bonae ac probatae, & applicatio tum

ab illis, tum a te ipso, rite instituta sit. Sin minus conspirabunt; tunc 1) nouum *regularum* & *applicationis* examen a te instituetur. Quod efficit, vt aut illorum lapsus, aut erratum tuum inuenias. 2) Vbi contigit, vt illi regulas *felicius* applicuisse comperiantur, e. c. in *affectu*, *emphasi*, *porismate*, detegendo; acumen tuum illis magistris augebitur. Posterius si euenerit; *aut modum* perspicies, quo illi ad sensum inuestigandum vti fuerint, & defectus tuos ita supplebis: *aut*, si & illi defecerint in conatu suo; *difficultatem* eruendi sensum, fatebere potius, quam dubium sensum, ** minusque probabilem, aliis pro certo, plano, ac probabili venditabis.

* 1) Qui regularum hermeneuticarum notitia instructus est, linguarum praeterea gnarus; nec non theologiae dogmaticae ac moralis, saltim aliqua scientia imbutus, is *suo marte* praxin adeat, cauens, ne *praeiudicium auctoritatis* eum abripiat, & *praeiudicium nimiae diffidentiae*. Re autem tentata, aliorum quoque consulat labores. Quod nisi fecerit, *praeiudicio nimiae confidentiae* laborabit.

2) Interpretes vel sunt *philologici & critici*, vel *pragmatici*, vel *vtrumque* praestant.

Quo

Quo felicius vtrumque coniungunt, & quo magis a *sectarum studio* sunt alieni; eo fructuosior erit eorundem vsurpatio. Qui *sectarios* consulit, is hactenus praeparatus esse debet, vt compertum habeat, *quonam assumto sensu quorundam locorum scripturae*, per consequens *quibus dogmatis* cum analogia fidei pugnantibus, vtantur.

** Nihil arrogantius esse potest, & fratrum concordiae magis infestum, quam suas *hypotheses* exegeticas, in oraculis potissimum arcanioribus, non modo aliis obtrudere tanquam certas, verum etiam diuersa tenentes, aut suam ignorantiam modeste fatentes, numero eximere piorum.

260. Qui cupidus est in habitu exegetico proficiendi; is vbicunque vel * audit vel legit exegesin quandam notabilem, ad regulas eam reuocat, & quid in illa congruum, plenum, certum, singulare vel eximium sit, aut contra, diligenter expendit. Quod vbi feceris, crescet occulto velut arbor aeuo, ista facultas.

* Dum theologiae dogmaticae ac morali nouamus operam, nondum tractata hermeneutica artificiali; dici non potest, quantum valeat idonei facultas interpretis doctoris, ad animos hermeneuticae artificiali praeparandos. Is enim si *dicta probantia* dextre exponit,

ponit, perpetua fungitur *applicatione regularum ad textus* obuios. In quo auditorum sollertia sensim adsuescit *similis modo* interpretationis.

Sed hoc loco agimus de illis, qui iam hermeneutica arte sunt imbuti. Qui, dum *sacras* audiunt vel legunt *orationes*, disciplinas item theologicas, in quibus interpretationes scripturae occurrunt, & denique *commentarios* exegeticos, ac *dissertationes* huius generis; perpetuam habent ad praxin materiam.

Epilogus.

Plura subiicere, prohibent rationes nostrae, & clausa per instituti angustiam palaestra: quae non nisi *theses* ad disputandū poscebat. Quos limites alicubi transgressi, veniam rogamus eam, quam dare vicissim, parati sumus. Ne nona tamen exercitiis nostris desit materia; ad argumentum vicinum atque cognatum descendere visum fuit, quod facultate *homiletica* continetur, & ad *communicationem* sensus inuestigati, pertinet. Quam in rem theses vtcunque collectas, nec vsui publico sed priuatae potius exercitationi destinatas, exhibemus.

THESES

THESES HOMILETICAE EX HERMENEVTICIS POTISSIMVM DEDVCTAE.

PROLVSIO I. DE HOMILIA GENERATIM.

Synopsis thesium.

I. *Finis quem spectat doctor ecclesiae, est* aedificatio §. 261. *Quid illa?* 262, 263.
II. *Methodus aedificandi per homiliam* 264.
III. *Descriptio homiliae*, 265.
IV. *Explicatio huius descriptionis* 266 - - 286.
V. *Realitas eius descriptionis euincitur.* 288.

261. Doctor ecclesiae, habitu pollens *exegetico* (§.252.) eundem transferre debet ad *aedificationem* *1 Cor. XIV. 1. 3. 4. 5. 17.* hoc est, ad *statum salutarem** in aliis *incoandum*, in aliis, pro cuiusque conditione & mensura, *perficiendum* (§. 245.**.2.) *2 Tim. II. 15. Ebr. VI. 1. Matth. XIII. 52. cap. V. 20. ss. coll. cum v. 1. ss. 1 Io. II. 13. 14. 2 Tim. III. 16. 17.* cet.

* *Status* hominis *salutaris*, *conuersione* & *sanctificatione* absoluitur, sicut e theologia *dogmatica* & *morali* constat. Salus enim est, beati-

beatitudo post miseriam. Status itaque *salutaris* (laxe dictus) existere incipit, quam primum aliquis a miseria priore datur regressus, & contrarius ad beatitudinem nisus. Cum incipimus *auersari peccatum*, omnis miseriae fermam, iam tum datur aditus ad salutem, quatenus status peccati, miseriae fecundus, pro tali qualis est, id est, pro teterrimo, agnoscitur, eoque ad sistendum peccati progressum, cura suscipitur. Quod fieri in *contritione*, notum est. Vnde recta via, si mediis gratiae rite vtamur, tendimus ad *fidem*, beatitudinis initium & fontem. Nihil obstat igitur, quo minus *aedificationis* vocabulo, (quando id maxime tritum est in hoc negotio) ambitum paullo ampliorem indulgeamus, vt significet quamcunque status emendationem moralem, virtute verbi diuini factam. Quanquam *vsus biblicus* huius vocis, ad *sanctificationem* propius pertineat, vt supra (§. 245. ** 2) notatum est.

262. Qui alterum *aedificat*, is per sensum verbi diuini propositum, adeoque per *exegesin*, actus in eo producere studet, aut ipso facto producit, per quos status ei salutaris aut incoatur, aut incoatus perficitur, (§. 261.) Quare, qui *aedificationem* nominat, is eodem vocabulo

lo *vsum scripturae sacrae*; & *actum* salutarem, illius ope producendum aut productum, complectitur.

263. *Status salutaris* hominis peccatoris, incipit a cognitione miseriae, *Matth. V. 4.* & absoluitur cognitione Dei per Christum nobis propitii, & gratiose propterea in nos operantis *Io. XVII. 3. Ephes. II. 10.* quatenus vtraque cognitio est *affectiua* & *practica*: *affectiua*, quae faciat, vt adpetamus, & contrarium auersemur: *practica*, quae faciat, vt excitatam adpetitionem & auersationem, vsurpandis *mediis*, & remouendis *impedimentis* reddamus efficacem. Ita nempe fiet, vt *credenda* pro veris & contraria pro falsis habeamus: *agenda* vero, exsequamur, & contraria fugiamus. Ecce notitiam *sufficienter viuam*, qua propositionibus scripturae, huc destinatis, debite *assentimur*.

264. Varia est *methodus*; qua aedificatio obtineri queat: vt *catechetica*, *ascetica*, *homiletica*. Nos de posteriori quaedam, exercitii caussa, hic repetemus.

265. Homilia, est * oratio aedificans; (publico caetui sacro destinata, vel ad vsum legentium conscripta.)

* *Orationis* vocabulum significatu rhetorum hic accipitur, quem praestruere licet ex arte oratoria. Pauca tamen adferemus ex abundanti.

266. Homilia est * *oratio* (§. 265.) *Oratio* autem, series propositionum, quibus vna quaedam primaria ita explicatur, confirmatur & illustratur, vt commodissime persuadeamus.

* Notio *orationis*, quam explicamus in sequentibus, homiliam distinguit a *sermone ascetico*: qui pariter ad *aedificationem* adhibetur; sed ita, vt neque *exordio* & *themate* singulari, nec, si illa vel maxime adsint, *elocutione* omnibus numeris absoluta, & reliquis opus sit, quae orationem stricte dictam ab alio sermone distinguunt.

Nos in ea sumus haeresi, vt plane censeamus, orationes nostras sacras ad populum, plerasque, sermones asceticos potius quam *homilias* exquisite dictas, esse debere. Sed ideo non peccat, qui *praecepta homiletica* ad *homilias* componendas, adornat: quoniam *homiliae* componendae gnarus, multo facilius *sermonem asceticum* elaborabit.

Quod

Quod autem homilia est oratio *aedificans*, (§. 285.) id eam in certa *specie* constituit, vt sit *oratio sacra*, differens a qualibet alia, quae ad certos vsus praestantes & ipsa valere potest.

267. Orationi concinnandae inseruit *propositio* * quaedam *primaria* (§. 266.) quae *thema*, vel propositio κατ' ἐξοχήν, vocari solet.

* Interdum *vnica vox*, adeoque *vnus* duntaxat *conceptus*, thema orationis esse videtur: e. c. si sumas vocem *vigilate*. Sed *videtur* tantum. Re vera enim instituis vnum alterumue vigilantiae *praedicatum* tractare, vt, *vigilantiam esse officium* hominis christiani. Habes ergo *propositionem* integram.

Si quis tamen contendat, vnam vocem, seu conceptum sub ea latentem, esse instar *thematis* interdum: nihil pugnabimus. Satis erit, *explicandum* tamen esse eiusmodi conceptum, & *confirmandum* atque *illustrandum*. Vide tamen § 270.

268. In oratione est *series propositionum* (§. 266.) hoc est *nexus* * earum, scopo potissimum dicentis congruus.

* *Nexus* ille, vel est in *relatione natiua propositionum ad se inuicem*, quatenus vna ex altera intelligitur, adeoque vna *prior* est *ordi-*

ne

ne naturae, quam altera, vel 2) *in relatione veritatum ad finem dicentis*, qui finis interdum suadet, vt naturalem ordinem mutemus, quo persuadeamus tanto commodius, pro statu maxime auditorum. Confer, quae de *methodo* dicta sunt (§. 133. fs.) Quod in elocutione, nexus propositionum, appositis particulis & formulis concinnis exprimitur, id ad *stilum* pertinet.

269. Propositiones in illa serie positae (§. 268.) & orationem constituentes, sunt eiusmodi, vt per aliquas earum, thema *explicetur*. (266.) Quae nimirum efficiunt, vt thema facilius *intelligatur*. Quorsum refer *definitiones*, *descriptiones*, *paraphrases*, *narrationes*, fini tamen orationis conformes, hoc est ad persuadendam commodissimas: ideoque non aridas nimis; sed lucidas, & quoad licet, ornatas.

270. Aliae illarum propositionum, inseruiunt themati *confirmando*, (§. 266.) quae efficiunt, vt aliquid quod de themate praedicamus, *pro vero habeatur*, adeoque *assensum* auditoris vel lectoris extorquent, vel, vt oratores dicunt, auditori *persuadent*. Ideo *strictius* dicuntur *argumenta*: & nominatim argumenta *commouentia*,

mouentia, si efficiunt, vt *bonum* aliquod prō bono habeamus, & amplectamur, contraque *malum* aliquod pro malo reputemus, ideoque auersemur & fugiamus. Quae rursus *vel voluntatem* mouent, si *distincte* iudicamus, hoc vel illud esse bonum aut malum: *vel* * *adpetitum sensitiuum* stimulant, si de bono maloque *confuse* iudicamus, atque idcirco, quando cient *affectus*; dicuntur *pathetica*. Quae oratori *fauorem* vel *amorem* auditorum conciliant; ea singulari nomine *conciliantia* dicuntur.

* ARISTOTELES, rhetorum facile princeps, haec argumenta distinxit in ἠθικὰ & παθητικὰ, *conciliantia*, & *commouentia affectus*.

Argumenta pathetica & commouentia, ingenue & candide adhibenda sunt. *Illa*, vt *ardor* excitetur, *haec*, ne fastidium sui moueat orator, eoque officiat persuasioni. Qui turbabant auditores, affectus ciendo, aut animos eorum prauis artibus deliniebant, captando eorum beneuolentiam, eo consilio, vt falsa pro veris persuaderent, hi *sophistae* quondam dicebantur. Contra qui *motuis* adiungit *stimulos*, & miscet vtile dulci; is omne tulit punctum.

271. Denique, tum propositionibus *explicantibus*, tum *confirmantibus*, passim, si res poscit, insperguntur *illustrantes* (§. 266.) quae ad *explicantes* ipsas referri, & sub illo nomine comprehendi possent. Quae quidem *comparatione* * rerum & conceptuum, potissimum absoluuntur, & reductione vniuersalium ad singularia, sensibus vel maxime obuia, vt magis intuitiua fiat repraesentatio, quae alias vocabulis tanquam signis *conceptuum abstractorum*, aliquo cum taedio & molestia meditandi, foret adstricta.

* Quae supra (§. 199. ss.) allata sunt, huc pertinent. Quando propositio illustrans, continet *notas* vnius rei, e quibus intelliguntur notae alterius rei: tunc illa vel maxime detinet atque delectat audientem vel legentem. Nam ibi 1) plura ac diuersa, coniunctim repraesentantur, 2) plura illa considerantur vt *harmonica*, ideoque perfectionem habentia, vbi simul *ingenium* dicentis cogitationem subit, & nostrum; quod illas ipsas rerum diuersarum similitudines percipiens, cum dicentis ingenio conspirat.

272. Non est quod singularem constituamus *propositionum confutantium* classem. Dum

Dum enim confutamus, vel *explicando* versamur in thesi confutanda, vt auditor *intelligat* sensum falsae theseos, vel *confirmando*, id est, efficiendo, vt auditor illam thesin pro falsa habeat. Si thesis falsa contineat bonum, falso pro tali habitum, aut malum, falso pro tali habitum, locus est argumentis commouentibus, ad *illud* fugiendum, *hoc* amplectendum.

273. Vniuersi conceptus propositionum *explicantium*, *confirmantium* & *illustrantium*, (§. 269 - - - 273.) dicuntur *materia* orationis; & actus mentis, qui conceptus illos, themati conuenienter, producunt, * *inuentio*. Series autem ipsa, seu modus, eas sic & non aliter connectendi, est orationis *dispositio*: quam non nulli *formam* ** *internam* adpellant. Modus autem illos conceptus, & eorum nexus exprimendi verbis, vocatur *elocutio*. Tota igitur oratio absoluitur *inuentione dispositione*, & *elocutione*. Quibus accedit, si ab oratore habeatur oratio, eiusdem *pronunciatio* & *gestus*, seu *actio*. Elocutionem & actionem, pro *forma* orationis *externa*, habere solent.

* Interdum *thema* ipsum *inuentum* esse dicitur, latiore significatu: Nam 1) vbi *casus obuius* poscit orationem, & thema tale deligitur, quod commode ad ipsum casum deinde applicari potest: tunc thema ingeniose inuentum perhibetur. Quod 2) in themate orationis sacrae multo magis locum habet; quippe quod e textu quodam semper, & ex aliquo textus porismate interdum, eruitur, ideoque *inuentum* dici potest.

** Si *formam* id intelligas, quod orationem ab omni alio sermone distinguit, sane forma eius in efficacia seu *aptitudine ad commodissime persuadendum* poni debebit. Relinquemus tamen vetera nomina suis sedibus & iuri quaesito.

274. Finis *orationis*, est, auditoris vel lectoris, *commodissima persuasio*, (§. 266.) Persuasio vero est actio, qua producitur assensus, *affectiuus* maxime, & *practicus* (§. 263.) etiam *sine** *rigore demonstrandi*. *Persuasio passiua*, est, *assensus* ipse, quem hic spectamus.

* Vsitatum est oratoribus, abhorrere a *rigore summo demonstrationis*. Qui vsurpatur, si continua syllogismorum serie, ad vsque vltima principia cognitionis humanae, regredimur. Nam 1) orationes non recitantur in vsum philosophorum, qui nunquam vel raro concionem in quam prodit orator, confi-

ciunt:

ciunt : 2) neque *delectatio* auditorum, quae spectanda est oratori quam maxime, nasci posset, si perpetua resonaret syllogismorum catena cet. Neque tamen est, cur ideo metuas *persuasioni*. Nam alia hic non spectatur *persuasio*, quam quae in suo genere talis est. Quodsi *propositiones confirmantes* adfert orator, quas auditores pro veris habent, aliunde iam de veritate earundem certi & persuasi; non est, quod rigidissimam earum demonstrationem recoquat. Quippe & philosophi *lemmatis* vbi res poscit, vtuntur. Quin & orator, si vna oratione quiddam persuasit, iam id lucratus est, vt altera oratione reliqua, & sic deinceps, addere possit; vt adeo tota syllogismorum caterua, vnam eandemque orationem haud commode ingrediatur.

275. *Persuasio passiua* est *finis* oratoris (§. 274.) *Media* ad hunc finem, sunt propositiones *explicantes* & *confirmantes*, accedente *dispositione*, *elocutione*, & *actione*, (§. 273.)

276. *Commodissime* persuadet oratio, (§. 266.) Qua quidem *determinatione*, ab omni alio sermone, qui qualicunque modo explicat, confirmat & illustrat, satis distinguitur. Persuadet autem *commodissime*, qui media persuasionis (§. 275.) ita fini

suo (i. e. ipsi assensui obtinendo) accommodat, vt illum finem *facilius* & * *plenius* per illa obtineat.

* *Plenius* obtineri, non ideo semper & praecise dicitur, quod *gradus claritatis in notionibus*, & *rectitudinis* in volitionibus & nolitionibus, atque inde pendentibus actionibus internis & externis, existat sublimior: sed ratione *subiecti* persuasionem recipientis, cuius *tota velut anima* percellitur vi orationis, vt simul omnibus in homine facultatibus, aliquid mutationis exstantioris inducatur. Cum alias notum sit, simplicem & aridam *demonstrationem*, ab omni arte rhetorica nudam, ad *claritatem distinctam* maxime valere. Confer etiam §. 279. ss.

Ceterum, si cui vox illa *commodissime*, non arridet, is aliam neruosiorem quo minus impertiat, nihil recusamus.

277. Qui oratione sua efficit, vt auditores vel lectores non tantum adsensum praebeant, sed eundem *cum voluptate* praebeant, aut cum *admiratione* quadam veritatis; is *commodius* (§. 276.) persuadet, quam alius, qui illud non efficeret. Quare per *media* persuasionis efficiendum est, vt *lubenter* assentiantur, & cum *admiratione*, ad quos verba facimus.

278.

278. Quo plura persuasionis *media inter se conspirant, & ad suum finem*, & quo *excellentius* conspirant: eo *facilius & plenius* obtinetur ipsa persuasio. Quare si *inuentio, dispositio elocutio & actio* (§. 275.) rite conspirant ad finem suum, vt vnumquodque eorum conferat, quod suum est; persuasio fit *commodior*, quam si illa conspiratio deesset.

279. Qui media persuasionis ad *qualitatem & statum* (§. 93.) auditorum accommodat, is eo ipso efficit, vt media persuasionis, cum *fine hic & nunc obtinendo*, melius conspirent, quam si id non fieret. Quare is persuadet *commodius*. (§. 278.)

280. Qui *elocutionem rebus aptissimam accommodat*, adeoque grandibus grandem, mediocribus mediocrem, cet. is efficit, vt inuentio cum elocutione, (i. e. medium cum medio) melius conspiret, quam si illud non fieret: ideoque *commodius* persuadet. (§. 278.) Et quoniam *qualitas & status* quorundam auditorum lectorumue, talis esse potest, vt *elocutionis dignitas & maiestas*, eis magis conueniat, quam sti-

lus hac virtute carens, & hinc *taedio* futurus: ideo commodius persuadet, qui tunc *elocutionis dignitate* & maiestate vtitur, (§. 279, 277.) quam qui secus.

281. Quodsi quis *decorum* in oratione sua obseruat, is, (per definitionem *decori*) id spectat, vt aliis honeste *placeat*, seu *voluptati* sit: ergo tunc persuadet *commodius*, quam si decorum minus obseruaret, (§. 277.)

282. Orator, si de rebus dicit, quarum conceptus sufficienter claros, non nisi experiundo acquirimus; aptior est ad *commodius* persuadendum, si illa experientia gaudet, quam si ea destituitur. Si enim ea destituitur, tunc eius conceptus non habent claritatem sufficientem; ideoque necesse est vt obscurius de illis loquatur, adeoque minus plene persuadeat (§. 276.) Adde, quod conceptus clariores intuens, dum eosdem cum aliis communicat, plus *alacritatis* foueat, eoque alacritatem auditoris lectorisue facilius accendat, & similitudines plures conceptus sui cum aliis (praesertim si polleat ingenio) mentem

mentem eius subeant, ideoque in eloquendo *metaphoris* delectantibus fit fecundior, atque hinc voluptatem creet auditori, quo facto facilius persuadet. (§. 276. 280.)

283. Qui *affectum* aliquem oratione commouere vult: quem ipse ex re concepit, & occasione rei praesentis resuscitat, is aptior est ad commode persuadendum, quam alius, ea qualitate destitutus. Ratio ex parte dicta est, (§. 282.) & affectus, experientia teste, orationem copiosam, viuacem, tropis & figuris audaciorem efficit.

284. Mos est, vt oratio *tribus* potissimum partibus absoluatur, *exordio*, cui statim *thema* subnectitur; *tractatione*, quae continet propositiones quibus thema *explicatur* & *confirmatur*, interspersis *illustrantibus*: (§. 266. ss.) ac denique *conclusione*, quae argumenta potissimum *commouentia* iaculatur in animos. *Commodius* enim persuadet, qui thema suum *commendat*, vtilitatem & voluptatem ex eo promittens auditoribus. Quod fit in *exordio*. Idem de *conclusione* iudicium. *Plenius* enim *fortius* & *facilius*

persuadet, qui in *partem facultatum superiorum* animae, & simul *inferiorem*, argumentis stipatis impetum facit, quam qui secus. Quod autem ad *tractationem* attinet, sine illa ne fieri quidem persuasio potest, tantum abest, vt fiat *commodissime*. (§. 266. 274.)

285. Qui *commodissime aedificat*, is eo ipso *commodissime persuadet*, *adeoque munere fungitur oratoris sacri, seu homiletae*. Dum enim *aedificamus*, assensum viuum producimus (§. 262. 263.) adeoque * *persuademus*. *Persuasio* igitur est *genus* aedificationis; quippe persuasio tendit ad gignendum *assensum*, & *passiua*, est *assensus*. (§. 274.)

* Vox πείθειν hoc significatu adhibetur in sacro codice, de *praedicatione verbi*, qua auditores ad poenitentiam & eius fructus condignos, deducebantur. *Act. XVIII*, 4. *collat. cum cap. XIV*. 1. *XXVI*. 18. Et 2 *Cor. V*. 2. 1 *Cor. II*. 1. 4. 13. *Act. XIV*. 22. *cap. XVIII*. 24. 28.

286. Homiliae finis idem est, qui est spiritus sancti in scriptura loquentis. Loquitur enim spiritus sanctus ad *aedificationem*. 2. *Tim. III*. 15. *f*. (§. 154.)

287.

287. Doctori ecclesiae non *licet* tantummodo, vsurpare *homilias*, verum etiam * *obligatio* incumbit. Nam homilia *aedificat*, idque *commodissime*. (§. 265. 266.) Qui se & alios *aedificat*, in eo status salutaris incoatur & perficitur, (§. 261.) eoque gloriam Dei illustrat, cuius perfectiones, (quippe auctor is est status salutaris) manifestantur, & quasi resplendescunt in *perfectionibus* nostris. Qui aedificat *commodissime*, is *totis viribus* amplificat Dei gloriam. Ad id autem *obligamur Luc. X. 27.* Praesertim cum homiliae finis, sit finis spiritus sancti, in scriptura loquentis. (§. 286.)

* Qui 1) artibus vanis magis fidit, quam *argumentis* aedificantibus, is homiliam in abusum vertit. 2) Qui argumenta non aedificantia sed alia praeter sacrum codicem adfert, is non aedificat, (per definitionem aedificationis) adeoque aliud quiduis potius quam homiliam profert. 3) Qui coma vtitur homilia supra captum auditorum, *is aedificationem* suo vitio impedit, *1 Cor. II. 1. 4. 13.* adeoque ne persuadet quidem *commodissime*, (§. 279.)

PROLVSIO II.
DE
HABITV HOMILETICO, ET IPSIVS HOMILETAE REQVISITIS.

Synopsis.

I. *Quid institutio homiletica, & vtrum haec facultas ars, an prudentia dici debeat?* 288. 289. *Est habitus spiritualis* 290.

II. *Requisita homiletae*
1) spiritualia, *e notione aedificationis potissimum euoluta* §. 291 - - 296.
2) Naturalia, *simul e notione* orationis, *euoluta*, §. 296 - - 302.

288. *INstitutio homiletica*, est systema regularum, * secundum quas homilia componitur, & habetur. *Ars* homiletica, est habitus componendi habendique homiliam. Dicitur etiam *homiletica*.

* 1) *Regula* est propositio, secundum quam varia eodem modo determinantur. In *variis* igitur *thematibus* elaborandis, & in *partibus* homiliae quoad materiam *variis*, idem tamen est modus, eas elaborandi ad *aedificandum commodissime*. Quam *identitatem modi*, enuaciant regulae. Vt adeo *existentia* homiliae *determinetur* per illas regulas. *Ars* est habitus determinandi existentiam alicuius rei: seu hoc loco, homiliam conficiendi & habendi, (modo eo, quem regulae prae-

praescribunt, siue determinant.) Quare *homiletica* est *ars*.

2) Nonnulli *prudentiam* adpellare malunt. Quod arti non repugnat. Nam prudentia absoluitur habitu exequendi aliquid ita, vt omnibus circumstantiis obuenientibus attendamus, ad finem commode obtinendum. Quod & ipsum *fit secundum regulas*. Quamuis enim suadeat prudentia, vt *collisis* propter circumstantias *regulis*, has potius regulas sequamur, quae per circumstantias praeualent, quam alias magis generales & vsitatas: tamen ideo non cessat omnis regula. Habet nimirum ipsa suas regulas prudentia. Et, qui prudenter agit, is regulas obseruasse prudentiae, recte dicetur. Quare nihil incommodi metuendum est ab *artis* vocabulo; dummodo ars illa non sit spuria, & prudentiae inimica.

3) Nempe (1) datur notitia quaedam, seu scientia regularum homileticarum; quae me iudice, nomine hucusque peculiari caret. *Rhetoricen* veteres vocabant talium regularum notitiam; a qua *oratorium* habitum discernebant. (2) est habitus secundum has regulas operandi: qui dicitur *ars homiletica*. Denique (3) est *ipsa operatio* secundum has regulas, h. e. compositio homiliae eiusdemque in publico coetu pronunciatio: quae *praxis homiletica* vocari possit.

289. Sicut habitus quilibet, adeoque & ars quaelibet (§. 288.) praestruit *facultatem*, id est *possibilitatem* habitus comparandi: ita fieri potest, vt aliquis polleat arte *conficendi* homiliam, sed non item *habendi* homiliam, seu pronunciandi in caetu publico; quando vel naturalis facultas & dispositio, quae *donum Dei* est, eidem non suppetit. Exinde vero non consequitur ipsam **homileticam* non esse artem,

* MELANCHTHON, communis ille Germaniae magister, habitu destitutus fuit *homiliam habendi*: arte tamen *conficiendi* haud quaquam caruit. Ad habendam enim seu pronunciandam homiliam in caetu publico, *facultas* quaedam naturalis, (vel qualiscunque sit praeterea) requiritur. *Organa* loquelae, quod ad corpus attinet, bonitas memoriae, audentia quaedam non meticulosa, cet. quod ad animum. Si quis in aliquo eorum vel simul in omnibus, vitio quodam naturae laborat: ei facultas, donum illud Dei, omnino deest, quo ad comparandum sibi *habitum*, carere nemo potest: ceterum ipsam artem callere poterit, &

* * *fungi vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Quocirca

Quocirca qui *homileticam donum esse Dei* contendit; is illud affirmans, non negat, eandem esse artem.

290. Habitus *spiritualis* est, qui per operationes gratiae supernaturalis, admissas & receptas existit. Si gratia *mutationes* in anima producit; earum sibi *conscius fit homo, si ad illas attendit*, atque ita eas *experitur*; tam in facultatibus animae *superioribus* quam *inferioribus*. Ars homiletica, est habitus (§. 288.) *aedificandi commodissime*, (§. 265. 266. 287.) Commodius autem aedificat, qui ipse *expertus* est, quae docet. (§. 282.) Qui thema suum, & ea, quibus *explicat* illud atque confirmat, *viua* & *experimentali* notitia cognouit, is talem statum expertus est, qualem in aliis oratione sua producere cupit. (§. 261.) Atque ita pollet habitu spirituali, *quoad materiam homiliae*. Illa vero gratia continuo praeterea operatur, ad producendos habitus quoscunque bonos, praesertim ad gerendum munus sacrum necessarios, sanctificando etiam ea quae sunt naturalia, *1. Cor. II. 12. 13. Luc. XXI. 15. 2. Cor. III. 5. 6. 2. Tim. III. 16. 17. Iesa. L. 4.* Quare

re & habitus homileticus *quoad formam* tunc *spiritualis* est, eoque excellit * & Deo probatur. Ad quem consequendum *homileta* obligatur sanctissime. (§. 287.) Quocirca *homileta* polleat habitu *spirituali*, vt ex *plenitudine cordis*, plenus spiritu, *Act. VI. 8. 10.* & *ex arte sanctificata*, *1 Cor. II. 4. XIII. 1.* loquatur.

* Exinde non consequitur, aedificare non posse, nisi qui polleat habitu spirituali. Nam aedificatio pendet a *verbo Dei*, quod est materia homiletica, & in notione aedificationis includitur. (§. 262.) Verum id inficiari nemo potest, *commodissime* non aedificare, & mensuram a Deo propositam haud implere, sed Deo vehementer improbari, qui habitu spirituali careat, adeoque definitionem *homiletae*, in illum *exquisito* modo non quadrare. conf. ven. BAVMGARTEN *theol. moral.* §. 199.

291. Cum homileta debeat esse *homo spiritualis* (§. 290.) eiusque *finis* sit idem, qui est spiritus sancti (§. 286.) nimirum *aedificatio:* (§. 266.) absint * ab eo omnes fines, habitui spirituali, & aedificationi repugnantes, & per illam non determinati. vicem Dei gerit homileta *2 Cor. V. 20.*

* Fines illi spurii sunt varii generis, & absoluuntur

uuntur bonis quibusdam *adparentibus* ad quae consequenda orator irregenitus contendit, e. c.

1) *Captatio vanae gloriolae*, per ostentationem eloquentiae, vel fictae pietatis. Qualis *ambitio* a) repugnat habitui spirituali, & contradicit indoli hominis regeniti; b) notata ab auditoribus, obest aedificationi, c) aemulationem parit inter ministros ecclesiae, *Gal. I. 10. 2 Cor. X. 17.* Multo peius fit illud cacoethes, si quis venatur ingenioli laudem & admirationem, *scurrilia immiscendo*, vt risum potius prouocet, quam aedificationem obtineat. *Coloss. III. 18. IV. 6. Ephes. IV. 29. V. 4. 2. Cor. X. 3. 4.*

2) *Captatio lucri*, in primis per homilias exsequiales, & alias huius generis. *Act. XX. 33.* Qui *gloriam* aut lucrum captant, variis praeterea peccatis in hoc sancto negotio inuoluuntur. Insinuant se *carnali modo* in animos auditorum mundanos, vitiis eorum blandiuntur, eoque alios doctores pios, cordatos, & ea quae Christi sunt quaerentes, in odia & pericula adducunt cet.

3) *Vindictae priuatae* expletio, per reprehensiones vitiorum, in primis si sale satyrico illae conspergantur, aut conuiciis plebeiis & contumeliosis. *Phil. I. 15.*

4) *Libidinis impurae* expletio vel suscitatio in altero

altero sexu. Hoc vegrande piaculum abſit a roſtris ſanctionibus. Quae polluenda non ſunt a iuuenibus amatoria lue infectis, qui dum myſteria proponunt, praeſente & inſpectante Chriſto crucifixo, placere ſtudeant ſexui ſequiori, textus deligendo *e cantico* canticorum, & inſano auſu eos profanando; alluſiones immundas, phraſes ambiguas, & genium Romanenſem olentes immiſcendo, vel geſtus adhibendo illuc nequiter compoſitos cet. *Phil. III.* 18, 19.

Qui aliquem ex his finibus ſpuriis, vel ſimul omnes, ſibi propoſitos habet, is non *Chriſtum*, ſed *ſemetipſum* praedicare dicitur, 2 *Cor. IV.* 5. *Phil. II.* 21. *Coloſſ. III.* 23.

292. *Homileta flagret amore Chriſti, & ſtudio ſalutis hominum.* Nam habitus eius eſſe debet *ſpiritualis* (§. 290.) & *finis, aedificatio.* (§. 266.) Porro, *aedificatio* eſt ſpecies perſuaſionis. (§. 285.) *Commodius* autem perſuadet, qui ſentit ipſe, quae vult vt per ſuam orationem ſentiant alii, (§. 282.) Et *amor Chriſti* eſt ex eorum numero, ad quae perſuadendi ſunt alii. Praeterea, amoris illa eſt indoles, vt ſtudeat maxime *perfectionibus* amati. Sed *aedificans* perficit alterum (§. 287.) Nominatim, qui affectum aliquem induit, is facilius eundem

eundem affectum in altero suscitat, dum persuadet. (§. 283.) Testatur id scriptura sacra *Io. XXI. 15. 16. 17. 2. Cor. V. 13. 14. Gal. III. 1. 19. Act. II. 1. ff. V. 8. 10. 15. 52. 56.* Adde quod orator sacer, dum hoc munere fungitur, est *Christi vicarius*, *2 Cor V 20.* quam personam nec bene sustinet, qui non amat Christum, eiusque commoda amplificare studet, aedificando regnum eius: nec vllus humanae saluti studuit impensius, quam Christus.

293. Homileta spirituali *prudentia* sit ornatus. Nam statum quemcunque salutarem, id est sub omnibus circumstantiis talem, *aedificando* producere debet. (§. 261.) *Commodissime* nempe persuadet (adeoque *aedificat*) qui statui cuilibet orationem suam accommodat. (§. 279.) Qui autem ad finem suum obtinendum, accommodat se omnibus obuiis circumstantiis, is *prudenter* agit. Iam vero habitus homiletae, adeoque & prudentia eius, quae ad illum habitum pertinet, sit *spiritualis* (§. 290.) Hanc prudentiam producit *vnctio. 2 Cor. I. 21. 22. 1 Io. II. 20. 27. 2 Tim.*

III. 17. Confer promissum Christi, *Luc. XXI. 15.* cum *Luc. XII. 42.*

294. Homileta polleat habitu, *status hominum* * *internos probe noscendi*, & inter se distinguendi. Debet enim esse *prudens.* (§. 293.) Quamobrem, praeter humana subsidia, quae huc inseruiunt, *experientia* valeat, qua & ipse, varias status salutaris species, vsu domestico cognitos habeat, *2. Cor. I. 3. 4. 5. ff.* & aliorum quibus idem accidit, conditionem saepius obseruarit.

* De vario *regenitorum* statu, theologia moralis praecipit; quorum quisque, continet *occasionem* ad opportunam & vlteriorem aedificationem. Huc refer & *affectus* spirituales, quos sua experientia gustasse decet homiletam. Neque varii *irregenitorum* status hinc excluduntur. Quanquam in his non oporteat esse versatum, qui homiletam agit.

295. Homileta *sit potens in scriptura.* Nam *aedificat* orationibus suis. Sed *aedificatio* fit per propositiones scripturae, viua notitia perceptas. (§. 263.) *2. Tim. III. 15. Act. XVIII. 24. VI. 10. VII. 2. ff.* Ita enim spiritus & vis condigna orationem eius animabit. *1. Cor. II. 4. I. 17.* praesertim, cum in sacris literis & *materia aedificandi*

candi, *Rom. I. 16. 1 Cor. XV. 1. 3. ff. Col. III. 16.* & quae ad *formam* inseruiant exempla, *Io. XIV. 1 - 22. & 23 - fin. cap. XV. XVI. XVII. Iesa. I. 1. ss.* cet. reperiantur.

296. Homileta instructus sit *cognitione systematica theologiae dogmaticae* potissimum * & *moralis*. Dum enim aedificat, *persuadet* (§. 285.). Persuademus autem *explicando* & *confirmando.* (§. 268. ss.) Sed qui systematica cognitione pollet, is *clarius* & *certius* cognoscit veritates scripturae inter se connexas, propter cognitum earundem *nexum.* (§. 195. Aptior autem est ad *explicandum*, qui explicanda *clarius* cognoscit, & ad *confirmandum*, qui perspicit *nexum* propositionis confirmandae, cum altera per quam confirmat. Par est ratio *illustrationis.* Qui enim ea quae insunt conceptui explicando, clare perspicit & inter se distinguit, ei facilius in mentem veniunt *eaedem* notae aliarum rerum, quibus vtimur ad illustrandam praesentem.

* Quod ad *moralem* theologiam attinet, ea praecipit de *officiis* & *virtutibus* hominis christiani. Aedificatio tendit ad mera officia & virtutes: (§. 266. 287. 154.) Qui ergo *systematica cognitione* plurimum valet, is *po-*

tentior est (§. 295.) *in scriptura*. 2 *Tim.* l. 15. Non excludimus *polemicam*, quae nimirum suppeditat argumenta *confutantia*, quae *elenchtica* dicuntur.

297. Homileta *habitum exegeticum* in promtu habeat. *Aedificat* enim, explicando aliis scripturam, h. e. per sensum scripturae, (§. 266.) Sed *exegesis* est habitus eruendi sensum scripturae, regulis hermeneuticis conuenienter (§. 252. **.) Vt adeo exegesis, *vocalis* fiat per *homiliam*, atque efficiat, vt sis *potens in scriptura*. (§. 295.)

298. Homileta sit gnarus *historiae ecclesiasticae*. Nam illa suppeditat *exempla* varia, quibus veritates scripturae *illustrantur*. Qui autem *aedificat*, is *persuadet*. (285.) Ad persuadendum vtimur illustrationibus (§. 271.) Adde, quod exempla *prudentiae* homileticae, in historia ecclesiastica occurrunt, cet.

299. Homileta imbutus sit cognitione *philosophica*, in primis * *psychologia*, & disciplina *morali*. Nam his destitutus, cognitione systematica theologiae moralis potiri nequit (§. 296.)

* Cum

* Cum homileta quibusdam argumentis *commouentibus*, cieat *affectus* (§ 270.) & affectus in scriptura latentes eruat (§. 108. ſs. 119.*) non poteſt carere cognitione *pſychologica*, vbi affectuum indoles exponitur. Ceteras philoſophiae partes non excludimus. Habent omnes commune vinculum, & ſui contemtum ſuperbe vindicant.

300. Cum homilia ſit *oratio*, neceſſe eſt, eſſentiam orationis eidem ineſſe. Homilia igitur omnia cum oratione quauis habet communia, & determinatur tantum ad hanc ſpeciem, per *aedificationem*. Quare homileta *calleat artem* * *oratoriam*. Quae cum eximias animi dotes requirat: ſatis ei ſit, qui his deſtitutus eſt, habitum conſequi ad *ſermones aſceticos*. Qui & ipſi laude ſua, & fructu ſalutari non deſtituuntur.

* Dari *artem perſuadendi*, i. e. *oratoriam*, non eſt quod hoc loco, deſtinate oſtendamus. Nec eandem reiicit S. PAVLLVS 1 *Cor. II.* 4 13. (§. 108. *) Nam fieri non poteſt, vt aliquid *in ſe bonum*, adeoque donum Dei, ab ipſo omnis boni datore, abſolute reiiciatur. Neceſſe eſt abuſum damnari ab eo, ſi quid damnatur: vſum ſemper probari, & finem donationis ſpectari, nec ſine culpa

vsum istum negligi. Nempe PAVLLVS 1) ad statum *Corinthiorum* se accommodauit, qui infantes erant, & *catechetica* potius atque *ascetica* methodo indigebant, quam homiletica, quae auditores poscit capaciores. 2) PAVLLVS *verbum crucis*, eiusque veritatem, *humanis* argumentis non euincebat, sed *vi verbi diuina*, & cooperante spiritu sancto ad experientiam internam, vnice fidebat. Quocirca argumenta *naturaliter nota* non damnat, nec *artem* per illa persuadendi, in *re* nimirum ad quam ista pertinent, contemnit aut profligat.

301. Homileta diligenter voluat homilias excellentiores, vt exempla artis, & exemplaria imitationis: nec sua facultate nimium confidat. Dum enim eiusmodi exempla intuetur, ipsas regulas ad casum applicatas, intuetur: atque ita perpetua gaudet praxi, qua habitum suum amplificet atque confirmet: nostro praesertim aeuo, cui id felicitatis obtigit, vt Germania viros in hoc genere excellentissimos, ostentet, neque adeo necesse sit, vt trans mare curramus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0378
DFG

Sectio I.

de

TEXTV HOMILIAE.

Synopsis thesium.

I. *Ordo quisnam esse debeat thesium sequentium* §. 302.

II. *Definitio textus* §. 303.

III. *Variae textuum diuisiones, vbi*

a) *textus electi. Et quinam eligi praecipue debeant?* §. 304 - - 309.

b) *textus praescripti: & quotuplices?* §. 309. 310. 311.

c) *textus quoad materiam diuersi* §. 312 - - 317.

IV. *De sensu textuum praenoscendo. Quam tractationem huius loci non esse, monetur* §. 317 - - 323.

302. Ordo tractandi ea, quae homiliam constituunt, hactenus liber est, quatenus vel *inuentio dispositio & elocutio*, vna cum *actione*, (§. 273.) singula seiunctim, considerari, vel *partes* homiliae quas communes illa, qualibet cum oratione, habere debet (§. 284.) enumerari possunt. Vbi quidem *inuentio* ac *dispositio* singularum, commode coniungi; *elocutio* autem, vti res poscit, vel adiungi, vel singulari capite spectari potest. In quo libertas cuique sua relin-

quenda fuerit. Nos methodo posteriori insistemus. Et quoniam sine *textu* ne cogitari quidem homilia potest; de ipso textu primo loco dispiciemus.

303. Cum homilia sit *oratio aedificans*; necesse est, vt deriuetur e scriptura sacra (§. 262.) *Illa scripturae* * *particula*, *e qua homilia deriuatur*, *id est*, *cui explicandae*, *confirmandae*, & *applicandae*, omnes *homiliae partes inseruiunt*, est *textus* homiliae. (§. 126.*)

* *Textus* igitur peti debet e scriptura sacra, illo inexhausto ad aedificandum thesauro. E libris *apocryphis*, non facile. Si tamen rarius contingat, non omittenda erit *harmonia* cum scripturis canonicis: vbi ad *commodius aedificandum*, addi potest, illum e libris apocryphis locum, esse testimonium ecclesiae de praestantia veritatis canonicae. Par ratio textuum e *cantilenis ecclesiasticis*, itemque e *catechesi* desumtorum, vbi etiam ipsa cum praelectione pericopae catecheticae, coniungi potest praelectio textus biblici, qui sit eiusdem argumenti.

304. Quo *propius* & *plenius* aedificat quisque textus; eo aptior est ad *homiliam*. Qui media, propius (sine interpositis amba-

ambagibus) cum fine connexa, praefert *remotioribus*, itemque media, quibus plenius obtinetur finis, anteponit illis, quibus idem minus plene impetratur; is *facilius* ad finem peruenit, & *actu plus* obtinet eius finis quem petit. Quare, cum homilia sit medium ad aedificationem tanquam finem (§. 274. 286.) *commodissime* id est *facilius* & *plenius* obtinendam; (§. 276.) talis etiam *eligendus* erit textus, qui * *propius* & *plenius* aedificet. *Luc. IV. 18. 21. 22.*

* Hinc facile speciales regulae deriuantur. e.c.

1) Textus ne sit minuta quaedam facti (maxime humani) circumstantia, tametsi petatur e scriptura sacra.

2) Ne studio quaesita *breuitas* vnam aut alteram tantum scripturae vocem, eandemque notionis accessoriae, minusque fecundae, deligat.

3) Ne eligatur textus *nimium difficilis*, vbi nempe aedificatio per *ambages* obtinetur, & facile *ostentatio* ingenii obrepit.

4) Ne eligatur textus nimis longus, cui satisfieri non possit vna eademque homilia: i.e. cuius toti sensui partes homiliae sufficienter aptari nequeant, si intra debitam homiliae breuitatem te continere velis.

305. Actiones Dei, quibus efficit, vt *salus tum* in se possibilis fiat, *tum* actu * obtineatur atque consummetur; & quaecunque Christus ad hunc finem praestat & instituit; sunt *principia* salutis partim *principalia*, partim *organica*. *Series* earū actionum diuinarum, seu modus, quo vnaquaeque cum altera connectitur, est *ordo salutis*; isque *theoreticus*. Sed series *praescriptorum*, de officiis hominis saluandi, est *ordo salutis practicus*. Propositiones scripturae, quae enunciant *principia* salutis & *ordinem* eius *theoreticum*, constituunt *euangelium*, & quaelibet earum est *euangelica*. Sed propositiones, quae enunciant ordinem salutis *practicum*, constituunt *legem*; eandemque *euangelicam*, si quidem illa praescripta talia sunt, vt non extitissent, nisi foret euangelium. *Textus euangelici* & *legales*, h. e. qui agunt de *principiis* & *ordine salutis*, continent stilo scripturae, *consilium diuinum de salute hominum*. *Act. XX. 27. Luc. VII. 30. Textus* igitur *de illo Dei consilio agentes, propius & plenius aedificant.* (§. 304.) *Io. III. 16. Matth. V. 1. ſs. Luc. IV. 18. III. 3. Math. IV. 17.*

* Com-

* Comprehenduntur sub his, *instituta* diuina ad salutem, qualia sunt, verbum, *sacramenta*, *ministerium*, *ecclesia*, quibus Deus (licet non eodem modo & pari dignitate) vtitur, ad *operationes* gratiae *continuas*, in hominibus saluandis occupatas. Certae nimirum res & personae, huc determinatae, vt Deus ad salutem incoandam ac perficiendam, illis vtatur, vrque homines, vsu earundem legitimo, illam actu consequantur, non equidem *formaliter* sunt actiones diuinae, sed organa tamen, perpetuis actibus gratiae supernaturalis destinata. Ceterum conferri possunt, quae supra leguntur (§. 128. 155. 223.)

306. Quoniam tamen *vsus totius scripturae*, ad *aedificationem* (§.157.) comparatus, *2 Tim. III. 16.* ideoque nobis mandatus *Io. V. 39. Col. III. 16.* & cultus publicus in ecclesiis crebrior est, ac plerumque *quotidianus*: integri etiam sacri codicis libri, *successiue*, in *nexu* suo, *textus* suppeditare debent *homileticos*.

307. Aedificatio tanto *plenior* est, quanto *clarior* est & *solidior* illa notitia omnium articulorum fidei, in systema redactorum. (§.195.) Cum itaque homiletae sit officium,

cium, vt successiue illam *notitiam* in auditoribus suis gignat, (§. 261. 263. 267.) necesse est, vt *textus* illuc facientes, continua quadam serie *deligat*. *Homilias catecheticas* huc refer.

308. Homileta *prudens* esse debet, adeoque statui interdum *suo*, & *suorum* semper, homilias accomodare. (§. 293.) Quare textus eliget tales, ad quos praeceteris eligendos, varii eiusmodi * *status* ei necessitatem imponant.

* *Status* ille, varius esse potest. INTERNVS & *externus*. *Internus* denuo vel *naturae* vel *gratiae*; quibus quasi *intermedius* quidam addi potest, eorum, qui gratiam *praeparantem*, aliquo iam modo experiuntur. Singuli denuo suas habent determinationes, magis *speciales*, quas *theologia docet moralis*. EXTERNVS, ad *valetudinem*, *opes*, *honores*, *amicos* & *cognatos*, respicit; & prout ista bona vel suppetunt, vel deficiunt, aut *laetus* est, aut *tristis*: & vtroque casu vel *vsitatior*, vel *extraordinarius*. Vbi *casus* potissimum *exstantiores* & *rariores* notandi sunt. In singulis, ipsae *circumstantiae* quae casum determinant, simul & *officia* determinant, illis potius quam aliis destinata, & a Deo praescripta. Quare *textus* etiam, illis accommodari debent.

Ad

Ad statum personarum externum, ea quoque pertinent, quae aliunde ad eas referuntur. (§. 93.**) Ad auditores referuntur *instituta ecclesiae*, vt *festi* dies, ieiunia & supplicationes, cet. Quare his etiam in eligendo textu seruiendum erit. Vbi *scopus instituti*, & *circumstantiae* singulares, (*scopus specialior*) facile ad textum congruum te deducent.

309. Si homileta ipse ex istis rationibus (§. 304 - 309.) vnum textum alteri praefert: tunc ille textus dicitur *electus*, seu *liber*. Sin electio fit ab altero, textus dicitur *praescriptus*, vel ab his, qui *ius perfectum* habent, homiletam obligandi, vti sunt magistratus & ecclesia; tunc dici potest, *praescriptus ex auctoritate*: vel ab iis, qui *ius* habent *imperfectum*, quales sunt *priuata* ecclesiae membra, si quis casus priuatus homiliam poscat: tunc vocabitur *precario praescriptus*.

310. Textus *ex auctoritate* praescriptus (§. 309.) recusari non potest, nisi forte magistratus minus religiosus, rebus ludicris aut nefariis adprobandis aut commendandis, aptari iubeat diuina oracula. Tunc enim, *ne nomen Dei in vanum accipiatur*,

tur, & aedificationi impedimentum fiat, aut recusanda est vsurpatio eiusmodi textus, aut ille ad finem contrarium, id est ad *aedificationem* ab homileta adhibendus. (§. 265.) Multo facilius id fiet, si textus *precario praescriptus*, ad statum eius cui homilia destinatur, aut non quadret omnino, aut eius tractatio, aedificationi, alio quouis modo, magis obsit, quam inseruiat. (§. 291.)

311. Ad textus *ex auctoritate* praescriptos, refer pericopas, dominicis & festis diebus destinatas, quas *euangelia & epistolas* vocamus. Cuius instituti optima quin fuerit destinatio, vix dubitandum est. *Euangelia* vel continent *facta* Christi, vel *sermones* eius, vel vtrumque. Adduntur dicta & facta vel bonorum vel malorum, cum his Christi factis & sermonibus connexa. Quare *euangelia* huc inseruiunt, vt *Christi* personam, officia, & beneficia, e factis eius, praecipue miraculosis, quae *gloriam* eius loquuntur, noscerent auditores; itemque *fidei* & *incredulitatis* exempla suppeterent, intuentibus

tibus in varios Christi auditores & coaeuos ceteros. Deinde sermones Christi, *ordinem salutis vtrumque*, (§. 305.) haud raro, sapientissime depingunt & explicant. Quocirca pericopae *euangelicae*, *fidem* gignendam alendamque potissimum spectant. *Epistolae* autem, maximam partem, fidei efficaciam *per bona opera*, inculcant; dogmatibus, quae fidem gignant, haud omissis, sed luculentius etiam euolutis. Est igitur tum *euangeliorum*, tum *epistolarum*, amicissima conspiratio ad *aedificationem*, quae *credenda* pariter & *agenda* deposcit. (§. 263.) Et quoniam iisdem diebus sacris, *euangelia* & *epistolae* coniunctim tractantur; salua etiam *aedificatione commodissima*, retineri *possunt*, ac propter accedentem *ecclesiae auctoritatem* *, retineri *debent*. (§. 309.)

* Quamuis igitur ad *statum illius temporis*, quo coepit hoc institutum pericoparum, respici forte potuit ab auctoribus eius, qui nec ipsi ad *nexum* debitum pericopae cum suo contextu, semper attenderunt: tamen rationes in §. indicatae, illud fere diluunt. Praesertim cum 1) *parabolae Christi*, quibus multa absoluuntur euangelia, *captui* simplicium

plicium, quorum maximus plerumque est numerus, egregie sint accommodatae. Adde 2) quod *memoriae* consulitur simplicium, si quotannis eadem pericopa recurrat. Porro 3) ad *explicandos* integros scripturae libros, vel oracula cardinalia, praesto sunt alia tempora, aliaeque horae publicae, nominatim *asceticae*. Et ad *systematicam* institutionem, *catechetica* methodus succurrit. (§ 305. 307.) Denique 4) homileta doctus prudens & pius, ita tractare potest has pericopas, vt fructus inde vberrimus nascatur.

322. *Praxis moralis* (hoc loco christiana) est commissio vel omissio actionum, ad quas committendas vel omittendas scriptura nos obligat. Talis comissio & omissio, etiam dicitur *officium christianum*. Actionem, quatenus vt committenda vel omittenda spectatur, ingreditur 1) *repraesentatio* bonitatis, (quae praestruit notionem actionis sufficienter determinatam) si committenda est, & prauitatis, si omittenda est; quae repraesentatio dicitur *motiuum*: 2) *appetitio* vel auersatio, conformis suo motiuo, seu per motiuum determinata, 3) ipsa *executio*, *eius*, quod in dato casu, appetitioni vel auersationi conuenienter, agendum

agendum est: nempe actus vlterior facultatis cognoscendi, vel locomotiuae, per appetitionem & auersationem, (vi motiui sufficientis productam) determinatus. Vbi vel maxime, *media* & *impedimenta* actionis exsequendae, & *modus* illa adhibendi, haec remouendi, occurrunt. Actus mentis, quo motiuum refertur ad eliciendam appetitionem vel auersationem *(num. 2.)* itemque actus illos cognoscendi & motus corporis voluntarios *(num. 3.)* est *obligatio*: & *propositio* istam obligationem enuncians, est *lex*: quae & ipsa, *modum* committendi & omittendi, interdum continet. *Textus* igitur, *qui agunt de officiis christianis, qua talibus*, dicuntur *practici formaliter*. Reliqui sunt *theoretici*; & *virtualiter practici* possunt vocari, quatenus *tendunt ad praxin*; quam videlicet tota scriptura pro scopo habet. Quippe quae ad *salutem* data est *2 Tim. III. 16.* Status autem salutaris, *praxi* absoluitur. (§. 128. 155. 123.)

313. Textus tum *theoretici* tum *practici*, qui propositionibus constant, quibus *notiones* insunt, aut *ideae*, quae nexum ve-

 ritatum

ritatum systematicum, vt partes *, ingrediuntur, vocantur ** *dogmatici*. Qui vero propositionibus constant, quibus *ideae*, seu conceptus rerum *singularium* insunt (§. 186.) quatenus nexum veritatum, vt partes (*credenda* vel *agenda*) *** non ingrediuntur, dicuntur *historici* (§. 128.) in primis, si *facta* continent.

* e. c. *Christus* natus est ex *Maria*, mortuus est, reuixit, sedet ad dextram Dei, instituit baptismum & sacram coenam, cet. Saltim hi textus sunt *historico-dogmatici*.

** *Dogmatici* vocantur, non virtualiter, i. e. quatenus ex iis *credenda* & *agenda* poriſmatice vel erui, vel per illos explicari, probari, & illustrari possunt: sed *formaliter*, quatenus eorum conceptus sunt partes *systematis*.

Huc refer illas textuum species 2 *Tim. III.* 16. *Didascalicum* & *elenchticum*: qui potissimum sunt textus *theoretici*. Porro *epanorthoticum*, *paedeuticum*, & *paracleticum*: qui sunt *practici*. Confer §. 255. **.

Nempe 1) *Didascalicus* constat conceptibus vel *euangelicis* (§. 305.) vel talibus, qui tantum *notionem* officii, obligationis, & propositionum obligantium, (§. 312.) enunciant. Quare per illos tantum *notiones* & *ideae* debitae, formantur. 2) *Elenchticus*, qui enunciat *falsos* conceptus eorum, qui errant,

errant, & *rationes* falsitatis pro re nata subiungit: atque his opponit veros, rationibus vbi opus est, adiectis. 3) *Epanorthoticus*, qui continet conceptus, quibus ostensio status *non salutaris*, & reuocatio ab eodem, constat. 4) *Paedeuticus*, qui continet conceptus, quibus incrementum *status salutaris*, iam incoati, vel continuati; seu *praxis christiana* iam suscitata (§. 312.) praecipitur, & mediis efficacibus in melius promouetur. 5) *Paracleticus* seu *consolatorius* addi solet (ex *Rom. XV.* 4.) sed hic, conceptis verbis non additur a PAVLLO, quia vir sanctissimus nouerat, eum esse *speciem paedeutici*. Nam consolando *motiua* suppeditamus ad *patientiam*, *acquiescentiam*, *tranquillitatem* animi cet. Quibus fit, vt praxis christiana iam vigens, aut prouectior, incrementa capiat partium & graduum. *Consolatio naturalis*, & super iactura bonorum adparentium, quae quis pro summo bono habuit, huc non pertinet, & *species* potius esse debet vsus *epanorthotici*.

De *peccatis infirmitatis regenitorum*, diuersum est iudicium. Huc nempe *paedia* pertinet.

*** Hi textus sunt *mere historici*, ad discrimen eorum, qui forte *historico - dogmatici* (*not.* *) vocari possunt.

314. Textus *theoretici*, nominatim dicuntur *euangelici*, si enunciant actiones

diuinas ad salutem (§. 305.) Contra *legales*, qui enunciant *actiones* hominis saluandi, siue *theoriam* earum tantummodo tradant, siue eas *practice* tractent, hoc est quatenus sunt *officia*. (§. 312.)

315. Quemadmodum *textus electi* longiores esse non debent: (§. 304.*) ita fieri tamen facile potest, vt *praescripti* sint longiores. Qui cum *historiam* & *dogma*, itemque *legem* & *euangelium*, in nexu * *non logico* (§. 124.) complecti queant; ideo *mixti* dicentur. Quibus ex opposito respondent *textus vnius argumenti*. (§. 129.) Fieri tamen potest, vt vel textus *breuior* sit *mixtus*, si contingat, vt variae ac inter se diuulsae textus theoreti & practici, itemque diuersarum vtriusque specierum, particulae, in eo contineantur.

* Mixti non sunt, qui continent *motiua*, & *officia* motiuis respondentia, vt *Io. VI.* 4. Nam illi sunt vnius argumenti, *practici* puta, (§. 312.)

316. Si textus *consideres propositionem*, fieri potest, vt illa terminos vel *simplices* & tantum *primarios*, vel *complexos*, & simul *accessorios* contineat: vt sint *proprii* aut *figurati*,

figurati, cet. Quae ex iis, quae supra adfuerunt (§. 188. 199.) facile repetuntur. Denique *textum* praelegi post *exordium* & *orationem* dominicam, non est, quod moneamus.

317. Quoniam homilia *textum* requirit, e quo omnes eius partes euoluendae sunt: (§. 303.) necesse est, vt homileta *sensum* textus, ea qua fieri potest, *claritate* teneat & exprimat; hoc est illos conceptus a spiritu sancto suppeditatos (§. 173.) de quibus homilia tota agere debet. Quodsi enim non teneret sensum; id, de quo ageret homilia, non esset ille *textus*, de quo se acturum, profiteretur.

318. Qui textum *eligit*, homiliam in eundem compositurus, vel habiturus; (§. 309.) is sensum eius vel confuse vel distincte, iam *praenoscit*. Alias non esset ratio, cur hunc potius quam alium textum eligeret: praesertim cum textus accommodari debeat *statui* cuidam. (§. 308.)

319. Qui *integrum* sacri codicis *librum* homiliis pluribus persequi instituit, is aliqua fiducia habitus exegetici, ad satis-

faciendum tractationi huius libri, praemunitus esse debet. Nam *impossibilia* suscipere, temeritatis est. Par ratio est eorum, qui ad *textus praescriptos* adgrediuntur.

320. Regulae de *sensu textus* inueniendo non ingrediuntur * *institutionem homileticam*, sed ipsae, vna cum habitu exegetico praestruuntur. Qui enim homiliam adornat, is habitum exegeticum transfert ad praxin aedificandi; & *communicat cum aliis* viua voce vel scripto, quod ipse didicit. (§. 261. 265.)

* Sicut *rhetores* non tradunt *logicam* aut *disciplinas*, e quibus *materia* dicendi sumatur, sed alumnum informant, de *modo*, quo istam materiam ante collectam, ad vsum oratorium transferat: ita hoc loco comparata res est.

321. Quoniam tamen fieri potest, vt *habitu* ornatus *exegetico*, hunc aut illum textum curatiore examine nunquam prosecutus sit, aut exegesin illius antea institutam & peractam, tunc cum homilia adornari debet, non exactissime habeat in promtu: necesse est, vt exegesis, de

nouo

nouo suscipiatur, ante, quam formetur homilia per omnes ipsius partes.

322. Qui sensum textus eruere vult, is regulas obseruet, quae in *examine* * *philologico*, *historico*, *logico*, & *pragmatico*, supra expositae sunt; easdemque applicet eo modo, qui traditus est in thesibus hermeneuticis. (§. 255.*.)

* *Variae* textus *species*, in illis examinibus occurrunt. De textu *historico* & *dogmatico*, *theoretico* & *practico*, agitur (§ 128. 130. 145. 15. 165. 15. 223 cet.)

SECTIO II.

DE SINGVLIS HOMILIAE PARTIBVS.

CAPVT I.

DE THEMATE ET PARTITIONE HOMILIAE.

MEMBRVM I.

De themate generatim.

Synopsis.

I. Ordinis ratio, definitio thematis & partitionis §. 323. 324. 325. 326.

II. Diuisio thematis in analyticum & syntheticum §. 327.

III. Virtutes thematis: quod esse debet
1) adaequatum §. 328. 329.
2) breue §. 330.
3) clarum §. 331.
4) non poeticum §. 332.
5) non vulgare nimis §. 333.
6) *sanctum & graue* §. 333. *ad* praeuisam applicationem aptatum §. 335.

323. INuento iam *sensu* * textus, necesse est, vt ex eo constituamus *homiliae partes*. Ita enim sensus induet homiliae formam. Omnis homilia est *oratio*. (§. 265.) Oratio autem, certas habet *partes*, ipsi *essentiales*. (§. 284.) Quare & homilia, easdem habebit. Quas inter, primo occurrit *thema*. Quod quidam, non tam inter partes connumerant, quam partium *fontem*, existimant. (§. 284.) Quicquid sit: thema est propositio *primaria* (§. 276.) orationis. Quare de illo, primo loco agetur.

* Ne igitur thema formetur ante, quam de sensu textus cogites, aut sensum eius, saltim generaliter, perspectum habeas: ne thema fiat *illatum*, quod potius *innatum* esse, oportet.

324. *Thema homiliae* est * conceptus e ** textu, huc inseruiens, vt ex ipso *** fiat homilia. Ceterae igitur homiliae partes ex eo deducuntur.

* *Conce-*

* *Conceptum* dicimus, siue exprimatur *vno* termino, & sit *notio* sola: siue exprimatur integra propositione, & sit *iudicium*. Quod posterius, est frequentissimum. Nec obstat, quod supra diximus. *Easdem* puta esse *partes* orationis & homiliae. *Thema* autem *orationis* esse *integram propositionem*. (§. 276) Nam *homiliae thema* hoc praecipuum habet, quod ei continuo addatur *partitio*; vbi nimirum fit, vt *partes additae contineant praedicata*, eius subiecti, quod vnica voce in themate expressum erat. E. c. *Vigilantia* proponi potest, e dicto Christi: *vigilate*! sed partitio statim subiiciet *praedicata* quaedam huius vigilantiae 1) quod sit *spiritualis* 2) *necessaria*, cet. Tunc etiam, si partitio diceret: 1) *quid sit* vigilantia, tunc inquam, per hoc *partitionis* membrum, *praedicatum* quoddam accederet *vigilantiae*: nam *notio* quae genus eius constituit, adesse tunc debebit. Quin & omnis *definitio*, de suo definito praedicatur; vnde, saltim *identica* propositio, exsistet.

** Tam late loquendum est, quam res poscit. Nempe fieri potest, vt textus & thema sint vna eademque propositio. Tunc tamen dici poterit, thema esse *conceptum e verbis textus*, seu, textum suppeditasse hoc thema *ad homiliam*. Alibi thema e *contentis* textus sub vnam notionem redactis, formatur. Tunc quoque textus illud suppeditasse dicetur. Est, vbi

vbi e *porismate* demum thema desumitur. Ibi quoque *suppeditatur a textu*.

*** 1) Si rem accurate pensi es, satis esse poterat ita definire thema, quod sit *conceptus e quo fit homilia*. Nam notio homiliae includit *aedificationem* (§. 265.) aedificatio *scripturam* ideoque *textum* (§. 262.) Placuit tamen, *textus* facere mentionem, quia ille *determinatam scripturae partem* significat.

2) *Fit e themate homilia*, i. e. thema *explicatur & confirmatur*, (*tractatur* §. 284.) addito *exordio*, & *conclusione*, ad commodissime aedificandum. Ita *deducuntur omnia e themate* (§. 324.)

325. Themati addi solet **partitio*, quae est, praecipuorum quae in themate pro fine homiliae distingui; vel de eo praedicari debent, enumeratio. (§. 140. ff.)

* Nondum huius erat loci, de partitione dispicere. Quia tamen in iis, quae dicenda sunt de themate, non nihil occurrere potest, quod rectius intelligatur, si notio partitionis praemissa sit: non incommode illam hic tradi putamus.

326. *Thema* homiliae semper est *conceptus* aliquis *communis*. Nam 1.) si *ex eo fit homilia* (§. 324.) necesse est, vt homilia nihil contineat, nisi quod isto de *themate* dicatur, seu ad illud pertineat. Itaque omnes homiliae partes, eo inseruient, vt

thema

thema illud intelligatur, & pro vero habeatur. Qua de causa, thema illud, etiam *scopus* (§. 159.) dici solet, quatenus *claritas* eius & *certitudo*, per homiliam obtineri debet. Vnde *summam homiliae* adpellare solent. Et 2) si *thema* considereretur eatenus, quatenus est conceptus e *textu*: tunc quoque est conceptus communis, quando contenta textus omnia, siue in textu *enumerata*, siue in eo *latentia*, sub illum rediguntur. Tunc igitur *summam textus* continebit, seu *scopum*, quatenus *claritas* eius & *certitudo* (§. 159. 161.) per reliqua textus contenta obtineri debet.

* 1) Conceptus communis hic *laxius* accipitur, vt non tantum noter *genus*, sub quo tanquam communi quodam, comprehenditur *species*; & *speciem*, sub qua individuorum proles: aut *totum*, quod includit partes; sicut *conceptus* resolubiles sunt in alios, qui deinde euoluuntur: sed quemcunque, praeterea, qui est eiusmodi, vt *plura* quae ingrediuntur homiliam, de eo praedicari quocunque modo, & ad eum, *explicando probandoque*, referri (pro fine homiliae) possint; vel vt ipse, de pluribus homiliam ingredientibus, quoquo modo praedicari queat. Confer *examen* textus *logicum* (§. 120. 1s.)

2) Vt

2) Vt itaque *thema* sit *conceptus communis*, ad id satis est, si quicquid est vel in *textu* vel in *homilia*, ad thematis *claritatem* & *certitudinem* referatur. Quam *claritatem* & *certitudinem* velut in themate, tanquam in *toto* quodam latentem aut in id inferendam concipimus. Quorsum *partes* textus, siue expressae, siue per *euolutionem* eruendae, itemque partes homiliae, tanquam ad *scopum* suum tendunt. Vt adeo *partes* illas quasi ad totum illud constituendum, referamus, quia claritas & certitudo ex illis influit in ipsum *thema*.

327. *Modus*, quo *thema* est *e textu* (§. 324.) potissimum *duplex* est. Nam vel e *sensu textus* est, ita quidem, vt omnia vel praecipua textus contenta sub illud redigi possint, scopo textus proximo, & huic *proxime subordinato* conuenienter: vel e *porismate vno pluribusue, textus*, ita, vt ad scopum illum textus, non attendatur. *Priore* casu, *summa textus* est simul *summa homiliae*. (§. 326.) *Posteriore*, thema tantum, summa est *homiliae*. *Prius* igitur thema est *analyticum* *, quia homilia quae explicat illud & probat, (*tractat* §. 284.) eodem negotio *textum* ope *thematis* in summam (§. 326.) redactum, explicat

cat & probat ; h. e. *resoluit* textum seu *analysin* suppeditat. *Posterius* thema, dicitur ** *syntheticum*, quia ad explicationem eius & probationem, colligimus & coordinamus alia quaedam, in textu non inuenienda : vel saltim *contenta* quaedam textus, aliter coordinamus, & scopo non eidem aptamus, cui diuinus scriptor, eadem aptauit, sed scopo diuerso, ad quem illa contenta de nouo, prout opus est in hoc casu, *coordinanda*, atque ita *alium* in *nexum* redigenda sunt. Quo plus de *contentis* textus retinet *thema syntheticum* eiusque *tractatio*, & quo propius scopus ille nouus quem thema continet, ad scopum scriptoris accedit, eo propius accedit ad *analyticum*.

* 1) *Analyticum thema*, exhibet *sensum textus*; quem scriptor facer dare *voluit*, sicut *nexus* eum determinat. Si exhibet *potiora sensus ipsius capita*, *pro scopo* textus simul, & *homiliae*, ne tunc quidem desinit esse *analyticum*. Erit certe *analyticum partis* : sicut *analyticum totius* dicendum fuerit, si *integrum textus* sensum, vt sensus ille per contextum determinatur, in summa quadam suppeditat.

2) Nempe

2) Nempe *ratio* huius *denominationis*, sumta est, *illinc* ab *vno* quodam seu *toto*, quod in *plura* qualiacunque dissecatur: *hinc* a *pluribus* ita *coordinandis*, vt in *vno* quodam seu toto conueniant. Iam vero *textus* e quo thema *analyticum* desumimus, iam vt talis consideratur, cuius *summa* sit in conspectu, seu cuius *sensus* ita in promtu sit, vt eam propositionem intelligamus, quae *summam* eius continet. Eandem igitur assumimus vt sit *thema*: e quo deinde *tractationem* velut euoluimus: tanquam *plura* ex *vno*. Sed alia ac diuersa est ratio *thematis synthetici*. Nempe ibi *summa* textus non fit *thema*. Sed aliud quiddam quaeritur, quod non est summa textus, in promtu posita. Dum illud quaerimus, non promiscue *quidlibet*, sed tale quid, assumere studemus, quod a *textu* non plane sit alienum. Quocirca vnum alterumue e textu decerpimus, & *coordinamus* cum aliis quibusdam, extra textum, vt *thema* fiat, quod sit *vnum* illud & quasi totum, in quo & ad quod, plura ista *coordinata* conueniant. Atque id est quiddam *syntheticum*.

3) Ea textuum tractatio *ascetica*, qua sumimus singulas textus propositiones, & terminos, eo ordine, quo in sermone sacro exhibentur, additis vbique porismatis aedificantibus; ea inquam, hic non spectatur.

Nam

Nam hoc loco agimus de *themate quodam*, sub quod redigenda sunt textus contenta.

Quamuis igitur fieri possit, vt scopus textuum *proximus* themate non exprimatur: remotior tamen & alicubi potior proximo, vel proximus ad obuium quiddam applicatus, quo minus exprimatur, nihil obstat. Thema nihilominus dicetur *analyticum*, si vel maxime, textus tuus agat de re *singulari*, & *thema* de *vniuersali*, quod tamen in omnibus rei singularis affectionibus conspici, & e textu deduci queat: vel contra, si, quae in textu sunt vniuersalia, ad *casum* obuium applicabilia sint, atque adeo thema e casu sumatur, ad quem contenta omnia vel praecipua textus, exin ie quadrent. Quocirca, si eo casu thema tuum *mediante porismate* sit e textu, vel esse videatur: (difficile enim est, limites sensus, a limite porismatum discernere §. 244.*) satis tamen erit, te non migrare scopum textus, saltim *primarium*; & comprehendere sub themate tuo, vel omnia, vel *ad scopum praecipua*, textus contenta. Qualia *themata* sunt analytica *mediate*: si malis vocare *synthetica* (vti vulgo fere dicuntur) nihil pugno. Neque enim *tanti est* haec adpellatio, vt morosius de ea contendas. Adferemus tamen exempla. Pericopa *de mulierecula syrophoenissa*, hunc habet scopum, vt lector videat *magnam eius fuisse fidem*.

Hic

Hic est scopus *proximus*, pertinens ad rem *singularem*, fidem puta illius matris. Sed nemo dubitat, scopum *primarium* cur haec historia consignata sit, esse illum, vt adpareat *indoles magnae fidei* generatim, quae triumphet de variis difficultatibus. Quodsi igitur hic scopus *primarius* potius, quam *proximus*, fiat *thema*: tunc nostro iudicio erit *analyticum*: quia omnes eius historiae circumstantiae, saltim praecipuae, aliquid continent, quod sub illud thema redigi possit. Rursus illa PETRI verba, 1 Petr. III. 15. *Estote parati semper ad apologiam - - - & timore*, pro scopo habent: quales esse deceat christianos, qui ad rationem fidei suae reddendam deposcuntur. Qui illa pro textu sumit, eo *casu singulari*, quo *memoria secularis reformationis*, celebratur: & thema facit: *Requisita eorum, qui iubilaeum reformationis celebrant*, is thema *analyticum* habebit. Nam illa requisita, e textu omnia ostendi possunt. 1) Vt de veritate fidei seu religionis certi sint. 2) Vt rationem eius reddere possint, promtissime, 3) vt eam reddant his, qui ius habent poscendi, 4) vt eam reddant mansuete, & cum timore.

** 1) Haec themata synthetica, *necessitas* genuit. Textus enim *praescripti*, in primis pericopae anniuersariae, (1) non quotannis eodem modo tractari debent, ad euitandam satietatem.

tatem. (2) Circumstantiae quarundam, tantum historicae, digressiones postulant, ad *themata dogmatica*, ope porismatum eruenda. Qui vero textum suum *eligit*; is nullam habet rationem, quare non ipsum potius textum tractare velit, quam aliquod eius *porisma*; cui elaborando non textum suum, sed alia sacri codicis adhibere testimonia, necesse sit. Sane textus alii non desunt, qui id ex instituto tractant, quod est tantum porisma textus alterius. Eadem *necessitas* est, si librum *biblicum*, *historica* continentem, vna serie pertractes.

2) *Si plura* textus *porismata nexum* quendam habent; ita vt de pluribus, *conceptus* quidam *communis* fieri possit, qui thema constituat: tunc *thema* illud *syntheticum* forte *latius* vocari queat: alterum vero, ex *vno* porismate formatum, *angustius*.

328. *Thema quodcunque*, hoc *fine* formatur, vt id, de quo agere debent *omnia homiliae* contenta, ante ipsam *tractationem*, exhibeatur. Est enim *summa* homiliae (§. 326.) Quo fit, vt nominato themate, attentio auditorum in hoc obiecto, & non in alio, defigatur. Quare thema sic adornetur, vt *omnia homiliae contenta* sub illud redigi queant, sed contenta *tantum huius* & * non *simul alterius* homiliae. Ita neque *plus* neque *minus* continebit, quam

in *tractatione* explicandum & probandum erit. Tale thema dicitur *adaequatum*, vel *textui & homiliae simul*, si est *analyticum*, (§. 327.) vel *homiliae*, si est *syntheticum* (*ibid.*)

* Eo respectu, thema etiam vocatur *proprium*, quod huic & non alii simul homiliae aptum sit. Si *nimis* est *generale*, tunc pluribus inseruire posset, & auditor minus intelligeret hanc potius habendam esse, quam aliam homiliam, & in hunc potius textum, quam alium. Quare *methodus anniuersaria*, quae idem thema omnibus *textibus*, & homiliis inde factis, accommodat, ex hac ratione (praeter alias) profligatur. Contra, si *nimis sit speciale*, seu *angustius*, tunc omnia homiliae textusque contenta ad illud referri non possent.

329. Illud quoque thema analyticum, quod *parti textus* impenditur, eo modo, quo dictum est, (§. 327. *. 1.) *adaequatum* suo textui censetur. Exhibet enim potiora textus capita, *scopo* tum *textus*, tum *homiliae*, conuenienter. Vbi autem *vtriusque scopus idem est*, ibi est thema analyticum (§. 327.) & hactenus quidem adaequatum textui, quatenus scopum eius deinde explicat & probat * ex ipsius contentis, & quasi visceribus.

* Quam-

Quamuis igitur quaedam contenta eiusmodi textus, & quae ad eorum explicationem pertinent, omittantur in tractatione: ne excedamus homiliae magnitudinem destinatam, atque ita *commodius aedificemus*: satis tamen esse censetur, thema textus, & homiliae scopum, plane conuenire, & thema ipsum, idque ex suo textu, sufficienter ad homiliae scopum tractari. Quod in primis fit in textu historico, pluribus vestito circumstantiis, quam quae scopo inseruiant homiliae. Scopus historiae *Act. XXII. 23-30.*, etsi non proximus, proximo tamen *immediatus*, & potior, (inseruit enim scripturae quaelibet pars ad aedificationem determinatam) est is: *quod liceat ad depellendum periculum, humanis vti praesidiis.* Quaecunque igitur in hoc textu sunt eiusmodi, vt proxime hunc scopum *explicent* & *probent*, ea sunt *praecipua* eius textus *contenta*: ideoque *tractationem* thematis ingrediuntur. Sunt autem: 1.) *Priuilegium Romani ciuis.* Huius enim ciuitatis beneficium erat humanum, & tamen inseruiebat depellendo PAVLLI periculo. 2.) *Flagellatio intentata* PAVLLO, romano ciui. In hac enim singulari circumstantia, est *notio abstracta periculi*, quod existimationi & corpori periclitantis imminebat. 3.) *Mutatum* iniusti iudicis consilium, & metus eidem incussus. In hac enim singulari cir-

cumstantia, est ipsa depulsio periculi. Cetera in hoc textu pro scopo homiliae, omitti possunt, saltim *latius* haud euoluí.

Nempe hic, omnium quae textus continet, ad scopum suum relatio, colliditur cum *tractatione* thematis. Quo casu *finis homiliae* rem decidit, qui est *aedificatio commodissima*, propter quam homilia iustam habere debet magnitudinem. Nam *thema* determinat aedificationem *hic & nunc* obtinendam. Quae in ipso textu minus ad eam pertinent, illa *hic & nunc*, salua in textum reuerentia, omittuntur.

330. Thema non continet nisi *summam* textus vel homiliae. (§. 326.). Ratio vero adesse debet, cur *summam* potius, quam aliud quid praeterea, contineat. Ratio illa est, vt *facilius* memoriae mandetur, attentionem excitet, & acumini inseruiat, quo exinde partes reliquae deriuentur. Quamobrem *thema sit breue*; h. e. nullam *determinationem superfluam contineat*. Superflua autem est, talis, cuius nullus est vsus in reliquis *homiliae* partibus, & quae ex conceptu aliquo thematis commode deriuatur; ideoque *themati iam inest*.

331. Thema est e textu, (§. 324.) id est, e *sensu* textus (§. 323.) sat clare cognito;

&

& huc inſeruit, vt auditori ante tractationem appareat, quid tractandum ſit, vt attentionem in illo defigat. (§. 328.) Quod fieri non poteſt, niſi *thema* ſit *clarum*. Fit autem *clarum* ſeu *perſpicuum*, partim, ſi *conceptus*, quo conſtat, *realis*, in eccleſia *vſitatus*, & tractationi *proprius* ſit; partim, ſi *paucioribus* conſtet conceptibus, partim, ſi *verbis vſitatis* nec ambiguis, & ad auditorum captum accommodatis, exprimatur. *Commodiſſima* aedificatio haec omnia generatim determinat.

* *Perſpicuitas* conſideratur, 1) ratione ipſius *conceptus*. Qui debet eſſe *a) realis*, h. e. talis, qui obiecto ſuo reſpondeat, nec inanis ſit ſonus vocabuli. Qualia interdum ſunt *vocabula myſtica*, vt *fundus animae*, pro receptaculo luminis diuini vnico. *b) In eccleſia vſitatus*; ſumitur enim e *textu*. Eccleſia autem non ignara cenſetur verbi diuini. Quare *nouatorum* vocabula, ſaltim quatenus aliquid *connotant* inuſitatum, & cum tali conceptu iungi non ſolitum, aut quatenus *tectum conſenſum* homiletae cum nouatoribus prodere videntur, hinc excludimus, e. c. *directus ad ſeruatorem aditus* Zinzendorfianorum. *c) Pauciores potius, quam plures conceptus habeat*; nam plures *ſine* ne-

cessitate copulati, attentionem diuidunt, & impediunt quo minus ille fiat clarior, qui est praecipuus, & tractationi sufficiens. Per *breuitatem* id quoque vetatur. Qui plures determinationes inferciunt, e. c. in *praedicatum* thematis, easque per *participia* germanorum exprimunt, liberaliter hic delirant, e. c. ex *Psal. LXXIII.* 25. in Deo *acquiescens*, a vanitate *liberata*, & solatio diuino *repleta*, anima. *d) Tractationi proprius*, seu, qui tractationi respondeat, alias non foret *adaequatus*. Si e verbis DAVIDIS *Ps. CXIX.* 106. facias thema: *iusiurandum Dauidicum*: & *tractatio* tamen agat vnice de *obseruatione legum diuinarum*, id thema foret vitiosum.

2) Eadem perspicuitas consideratur in *vocibus*, seu *stilo*, quo conceptus exprimitur. Ibi absint (1) voces peregrinae linguae, *obsoletae*, *nouae* cet. (2) voces & phrases *ambiguae*, e. c. *mors spiritualis*, plerumque notat *peccatum originale*, praecipue si regnat. Sed *mori peccato*, *i.* e. abolere peccatum, pariter mors est spiritualis. Si igitur hoc *posterius* intelligas sub vocibus *mors spiritualis*; ambiguus eris, adeoque obscurus.

(3) Tropi difficiliores & *schemata* in textum illata. Si neque *textus* homiliae est *figuratus* (§. 179. 199.) neque contenta illius textus, in alio quodam scripturae loco (parallelo) figuratis verbis enunciantur:

oppido

oppido vanum est, confugere ad *schemata*. Nihil enim aliud efficitur, nisi *laboris multiplicatio*, & per *ambages* circumducta aedificatio. Qui *schema* assumit, is illud operae sibi arcessit, vt 1) rem figurantem explicet, quo labore carere poterat, si schemate potuisset; 2) conuenientiam rei figuratae ostendat. Quin etiam, si textus constet verbis *propriis*, & locus parallelus eundem sensum exhibeat *figurate*: tunc tamen quaestio relinquitur: *propria* an *figurata* elocutio retinenda sit? Ratio decidendi non est sufficiens, si *locum* parallelum sumseris pro exordio.

Emblemata vero cum *inscriptionibus*, iam pridem exsulant ex ipsis adeo rhetorum scholis. Absint multo longius e templis. Si thema figuratum, *ineptum schema*, & infra dignitatem grauitatemque sacram contineat: tanto magis erit vitandum.

(4) Vocabula supra captum auditorum. Qualia sunt *technica philosophorum* cet.

332. Quoniam homilia est *oratio* prosaica, exesse debet a themate, quicquid est poëticum, in primis *rhythmus*, quo fieret, vt thema prodiret *coactum* & * *affectatum*.

* Affectando artem poeticam. Alias plures ob caussas thema *affectatum* fieri potest. *Nimia breuitas*, nimius *verborum splendor*, me-

ra *acuminis* artisque ostentatio, sinistra aliorum imitatio, cet. Huc referri possit, quicquid praeter *scopum* homiliae, & *homiletae statum qualitatemque*, infertur themati, id enim *affectatum* dici poterit.

333. Thema *nimis vulgare* dicitur, quod longo annorum vsu, omnibus notum, atque tritum est omnium sermone. Tametsi igitur fieri potest, vt nullo alio vitio laboret: tamen officit *attentioni*: adeoque aedificationi commodissimae. (§. 265.) Praeterea aut *ignorantiam* homiletae, aut in meditando *negligentiam* prodere videtur. Qua re fiduciam sui imminuit homileta, & obest aedificationi commodissimae. Quare *thema ne sit nimis vulgare*.

334. *Thema sanctam grauitatem* ostendat: i. e. seiunctum sit ab omni *conceptu* & *termino*, qui auditoris *imaginationem* flectat ad cogitationes vanas, alienas, ludicras, vel impuras. Aliter si fiat, *aedificatio* impeditur, (§. 265.) neque Christus loquitur per homiletam. (§. 292.)

335. Inter *plura themata* * *possibilia*, id eligatur, quod applicationi *commodissimum*

mum sit, ad quam in formando themate iam tum prospiciendum est. Ita enim aedificabis commodius.

* Hunc aliquando casum existere, infra patebit: c. c. (§. 338. **) ex *Ebr. XIII.* 14.

MEMBRVM II.

De modis quibusdam, thema eruendi.

Synopsis.

I. thema analyticum quomodo eruatur?
1) *e textu simplici, seu vnica propositione* §. 336.
2) *e textu composito* §. 337.
3) *regula eruendi commodissima.* §. 338. 339.
II. De themate synthetico *monita.* §. 340.
III. De variatione thematis. 341.

336. Specimina quaedam adiiciemus, *modorum*, quibus thema *analyticum*, vt *adaequatum suo textui*, eruatur. Si textus est *vnica propositio*, eademque potissimum *dogmatica*; * *thema* esse potest eadem propositio, salua *breuitate* (§. 330.) ** Nulla enim suppetit ratio, cur sumas aliam, quam quae ipso a spiritu sancto sit suppeditata, ideoque commodissima ad aedificandum (§. 265. f.) Tunc igitur *thema* est

talis propositio, cuius & *subiectum* & *praedicatum*, exprimitur in textu.

* *Matth. V. 3. Beati pauperes spiritu.* Thema: *beatitudo pauperum spiritu.*

** Nempe, si vnica talis propositio, textum constituat, sed varias tamen *accessiones* habeat immixtas, illae accessiones non assumuntur in ipsum thema, quoniam breuitati id officeret. *1 Io. V. 4. Victoria, quae vincit mundum fides nostra* est. Si demas vocem *nostra*, itemque, *quae vicit*; supereſt thema: *Victoria fidei in mundum.*

337. In textu pluribus etiam e membris vel propositionibus composito, interdum exprimitur vel *conceptus* * vnus, ex quo thema constare possit, vel tota propositio, seu *subiectum* ** & *praedicatum*, ex quo thema, integram absoluens propositionem, formari possit, sub quae cetera redigi possunt. Tunc tale *thema* adaequatum erit suo textui, & retinebitur commodissime. Cetera autem textus contenta, in themate omittuntur.

* *1 Io. V. 2. Ex eo cognoscimus quod filios Dei diligamus, si diligamus Deum, & obseruemus eius praecepta.* Id, ex quo praesentiam alterius cognoscimus, est *signum* alterius. Quare textus hoc loco exhibet notionem *si-*

gni

gni seu *criterii*, & criterii quidem *amoris erga fratres*. Habes thema: *criteria amoris fratrum*. Cetera in textu, exhibent species duas criteriorum, 1) *dilectionem Dei*, 2) *observationem praeceptorum eius*. Quae species non ingrediuntur thema, quia non sunt conceptus communis in textu. Ne igitur ita informes thema tuum: *Amor Dei & observatio praeceptorum eius, tanquam criteria amoris fratrum*.

Ita *Io. IV.* 24. sunt duae propositiones: *Deus est spiritus: & qui adorant eum, in spiritu & veritate adorant*. *Adoratio Dei*, est eiusmodi conceptus, e quo thema constare potest. Nam cetera omnia sub illud, tanquam summam redigi possunt. *Adoratio* enim 1) est *officium*, cui inseruit *motiuum*: sed prima propositio continet motiuum. 2) *Modus adorationis*, ingreditur *notionem* officii, cum ex eo constet quodnam & quale sit illud officium. Thema igitur est: *adoratio Dei*. Sic *Matth. XI.* 28.

** In textu *Io. III.* 5. 6. Nisi quis regenitus fuerit - - - - spiritus est: diuersae propositiones occurrunt. *Regeneratio* fit ex aqua, & spiritu; 2) regeneratio est necessaria ad impetrandum regnum caelorum, 3) e carne nascitur caro, 4) e spiritu nascitur spiritus. Ibi vides conceptum *regenerationis* esse subiectum illud, ad quod reliqua omnia referuntur.

runtur. Praedicatum autem primarium est: *necessitas ad salutem* irrefragabilis. Vnde thema esse debet: *necessitas regenerationis, ad salutem.* Cetera omnia in textu ad *explicandum* & ad *probandum* illud thema inseruiunt. *Fit ex aqua & spiritu*, hoc explicat. *De carne nascitur caro*, hoc *probat*. *E spiritu nascitur spiritus*, hoc pariter probat *necessitatem*.

338. Si conceptus communis, qui thema constituat, I.) *in textu aliquo non exprimatur*, quod tunc euenit, vbi contenta textus sint *mera specialia*, vel *partes* sub vno aliquo toto comprehensibiles: haec erit regula, vt contenta textus, seu partes, 1.) probe distinguantur, 2.) tam diu inter se comparentur, donec generalis quidam conceptus ad quem reduci* queant, inueniatur: atque is tunc erit *thema analyticum*. Nam thema tale est conceptus communis e textu. (§. 326. n. 2.) II.) Conceptus communis in textu composito *expressus* (§. 337.) eodem** modo inuenitur.

* *Rom. III*, 12-19. Hic descriptio occurrit per partes: quae probe discernendae sunt; h. m.
1) *defecerunt, & inhabiles facti sunt* (ad finem propter quem creati sunt.)
2) *ne vnus quidem est, qui bene agat.*
3)

3) *contra cumulus actionum malarum prorumpit* v. 12. fs.

Quodsi partes illas inter se *compares*; facile videbis eas sub conceptum communem redigi posse, qui est, *depravatio humanae naturae*; cuius nempe indicatur 1) *caussa*, & *forma*. Causla est, *defectio Adami* quae omnibus imputatur: forma, *inhabilitas* ad finem creatoris. 2) Defectus bonitatis in omnibus actionibus, qui ad modum *effectus* quasi concipitur. 3) Actuositas continua ad pravas actiones, quae pariter est *consequens*.

** Locus ad thema inueniendum *difficilior*, est *Ebr. XIII.* 14. Vbi constitue & distingue partes. 1) *Nos* i. e. *credentes in Christum habemus patriam (vrbem fixam)* 2) *illa patria non est hic*, i. e. animus fixam voluptatem non percipit e rebus quibus tantum vti debemus & possumus, dum viuimus in hoc corpore, & degimus in hac terra. 3) Sed patria illa est *futura*. 4) Nos credentes *quaerimus* illam patriam vt *futuram*. Haec omnia comprehendi possunt sub hac notione: *credentium patria*. Habes igitur thema; cui reliqua in *partitione* (§. 325.) & *tractatione*, subiungi possunt, h. m. 1) quod illa patria *non sit hic* 2) quod sit *futura*, 3) quod *quaeratur*.

Variari praeterea hoc thema potest; si sumas notionem *quaerendi*, h. m. *desiderium credentium*.

credentium. Partes erunt: 1) *quorsum tendat*? ad patriam, eandemque futuram. 2) *cur* ad illam tendat? quia hic nulla est patria.

Interdum pars eorum, quae textus continet, iam est conceptus communis, thema ingressurus; vbi reliqua tantum contenta sub alterum conceptum communem, themati inserendum, rediguntur. *Psal. XXXII. 10. Peccatoris multa flagella sunt: qui vero spem ponit in Domino, eum misericordia circumdabit.* Vides hic duos conceptus, qui per se tam sunt *communes*, vt communiore haud indigeas: *peccator*, & *pius*, (*spem ponens in Deo.*) Sed *flagella habere*, & *circumdari a misericordia*, quoniam simul ingredi thema debent, nec breuitas tamen debita themati constaret, si vtrumque ponas; vterque scilicet in vnum conceptum fundi debebit. *Mala* vero *experiri*, & *frui bonis*; ad *fata* hominum *contraria* pertinet. Quare *fati* conceptum habes. Erit igitur thema: *Contraria piorum & impiorum fata.*

339. Quodcunque contentum textus est tale, vt reliqua contenta ad illud *explicandum* & *probandum* inseruire possint: id & non aliud, *thema* fieri debet. Nam thema est id e textu, e quo fit *homilia* (§. 334.) Homilia autem est *oratio* (§. 265.) cuius partes

sunt

sunt *explicatio* & *probatio*. (§. 284.) Quicquid igitur tale est, vt in *explicatione* & *probatione* * ad illud non respiciatur, id frustra in thema inferetur.

* Solent certae classes *conceptuum communium* qui themata fiunt, enumerari. Illae desumuntur 1) a variis obiectorum speciebus, a quibus textus denominantur, *didascalici*, *elenchtici*, *evanorthotici*, *paedeutici*, *consolatorii* (§. 313. **) itemque *historici*. 2) a *speciebus* singulorum *inferioribus* & *modo* istas species proponendi, *adhortando Rom. XII.* 1. *rogando* & *obtestando* 2 *Cor. V.* 20. *dehortando*, *suadendo*, *iubendo*, *increpando*, *laudando*, *conquerendo* cet. Sic species inferior *textus historici*, est, historia *sanctae passionis*, *mortis*, *praedictio* futuri cet. 3) a statu dicentis, per quem *elocutio* determinatur vt *admiratio*, *iusiurandum*, *Psal. CXIX.* 106. *dialogus*, cet.

Vbi videndum est, sintne illi conceptus eiusmodi, vt in *tractatione* ad eos respiciatur? an *accidentales* tantum, qui in tractatione plane dimittantur? Si prius, admitti in thema possunt: sin posterius, exesse debent.

340. Quae de inuentione *thematis analytici* diximus (336 . . 340.) ea ex regulis hermeneuticis, tantum repetita sunt. Thema

ma *syntheticum* quo modo eruatur, ex iis patet, quae de *porismate* (§. 244.) allata sunt. Quare nihil addemus, nisi de *materia* eiusmodi thematis. I.) Necesse est, vt sit *dogma* quoddam *sacrum*, siue *theoreticum*, siue *practicum*. Nam (1.) ratio esse debet, cur ex porismate textus potius, quam e *sensu* textus, sumatur. (§. 327.) Quodsi igitur textus est *mere historicus*, ideo porisma potius, quam circumstantiae historicae, sumuntur, quia hae, minus sunt dogmaticae. Sin textus ipse est *dogmaticus*, ratio nulla erit, quare *porisma non dogmaticum* potius sumas, quam ipsum textum *dogmaticum*. Quippe (2.) *thema syntheticum* tale esse debet, per quod *commodissime aedificemus* (§ 265.) Per dogma id facilius fit, quam per propositionem aliam. II. Videndum erit, ne porisma sumatur e *minutiore textus circumstantia*, & ne *nimis longe abeat a scopo* textus. Aliter, ne *e textu* quidem desumi videtur. Thema autem *e textu* sit (§. 324.) III. Danda est opera, vt thema syntheticum sic adornetur, quo *tantum* e textu ingrediatur tractationem, quantum

quantum ad illam inseruire potest. (§. 324.)

341. Qui homilias diuerso tempore plures, in eundem textum vel *praescriptum*, vel ex alia necessitate *electum*, habere cogitur: is fastidium auditorum metuere posset, si toties *idem thema* proponeret. Quare *variatio* * thematis, ad occurrendum satietati, adeoque *commodius aedificandum*, erit necessaria. Variatio *verbalis* est minuta, & rem non mutat. *Realis* est potior. Qui autem *exercitii* ** caussa, eodem e textu *varia* themata eruere studet, is ad *habitum in arte* comparandum, non inutiliter desudat.

* 1.) *Variatio* thematis vel *laxe* dicitur, *tum* de ea mutatione, qua, *alia textus contenta* sumimus, adeoque thema ex eo formamus diuersum ab illo, quod alio tempore ex *aliis* eiusdem *contentis* formauimus: *tum* de altera mutatione, qua idem thema ex iisdem contentis antea formatum, vertimus in aliud. Posterius, si stricte loquamur, est *variatio thematis*, quando videlicet themati ex iisdem textus contentis formato, substituimus aliud.

Qui modo *textum integrum* sumit, ex eoque thema suum format, modo *partem*

textus; itemque modo *analyticum* thema, modo *syntheticum* adornat; is, *stricte* si loquamur, ipsum *thema* non variat, sed *materiam* seu partem *textus* aliam themati aptat, & thema textui.

II.) Variatio (1) *verbalis*, *eundem conceptum thematis* retinet, aliisque verbis, synonymicis, & formulis quoad *sensum aequipollentibus*; itemque locutionibus *figuratis* cet. exprimit. Quod posterius fieri potest, si idem conceptus alicubi verbis *figuratis* in sacro codice exprimatur. Sed fatendum est, hanc variationem esse minutam: & si finis *hic & nunc aedificandi*, eam non patiatur, (quod fieri, si verba sumas *figurata*, interdum potest) potius omittendam esse, quam admittendam.

Variatio (2) *realis* a) *late* dicta hic prope locum non habet, & ad *electionem* textus potius referenda est, de qua actum fuit *Sect. I.* Eaque natales suos potissimum debet *necessitati*, qua obligamur ad *textus eosdem anniversario* circulo redeuntes.

b) Sed *stricte dicta*, pariter ex *necessitate* nascitur. Interdum enim

α) status auditorum cognitus, nos obligat ad rem eandem, iterandam *Philipp. III.* 1. vbi tantum *variatsonis* adhibere decet, quantum vel requiritur ad amoliendum fastidium, vel ad *commodiorem informationem* auditorum, sicut

sicut ipse Christus rem eandem *varia methodo*, pro captu auditorum aliquando tractauit.

β) Est, vbi angustia temporis, qua meditatio in nouum textum praecluditur, nos obligat ad resumendum veterem: vbi *tegere licet* variando, quod aedificationi obesset, si pateret.

c) *Datur* autem talis variatio *realis* dicta, Quoniam *idem* textus, plures *conceptus communes* suppeditare potest, qui saluo textus scopo sibi substitui possunt. Exemplum supra dedimus ex *Ebr. XIII.* 14. (§. 338. **)

** Id omnino fructu suo non caret; & augendo acumini, copiaeque dicendi tantisper inseruit. Ne vero limites hic excedamus, & id quod *natiuum* esse poterat, in *coactum* & *affectatum* transformemus. Recte HORATIVS:

Qui variare cupit rem prodigialiter vnam,
Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum.

MEMBRVM III.

De partitione themati annexa.

Synopsis.

I. Quid sit partitio? §. 342.
II. Species eius §. 343. 344.
III. Quidnam pro parte sumi possit? §. 345.
IV. Finis *partitionis* §. 346.
V. Requisita *partium*:
1) *sint recte ordinatae* §. 347.

2) *sint conceptus communiores* §. 348,
3) *sint breues & paucae* §. 349.
4) *sint adaequatae* §. 305.
5) *sint aequales* §. 351.
6) *reliqua requisita, quae & thematis* §. 352.

342. Vsu receptum est, vt thema homiliae illico excipiat *partitio*, qua seiunctim indicamus *praecipua*, quae in themate, & in his, quae eidem subordinantur, *distinguimus*, quatenus contenta homiliae omnia, ad illa referri debent. (§. 325.) *Pars* igitur est *vnum* ex illis praecipuis, quae dicto modo distinguimus. (§. 123.) Est igitur haec partitio simul *thematis*, *textus*, & *homiliae*. *Thematis*, quatenus aut termini quibus thema constat, seiunctim enunciantur & numerantur, aut ea saltim, quae e conceptu thematis tanquam *praecipua** eruuntur. *Textus*, in *themate analytico*: quia tunc omnia quae, praeter thema, in textu sunt praecipua, ad certas denuo classes, seu *conceptus communes themati subordinatos*, reuocantur. Denique *homiliae*: quia omnia, quae insunt toti homiliae, ad illas partes reuocantur: siue thema sit *analyticum* siue *synthcticum*. (§. 327.)

* Omnia enim quae insunt homiliae, *e themate*

mate deducuntur (§. 324.) quare & ipsae *partes* ex eo deducentur.

343. *Species* partitionis simplicissima est, *conceptuum thematis nuda separatio.* Vbi plures thematis conceptus, totidem * partes fiunt, quot sunt illi conceptus. Vbi nihil obstat, quo minus vel *thema* omittatur, & solae partes indicentur, vel contra. Haec partitio dici potest respectu thematis, *explicita*, seu *nata*.

* Si thema sit e *lo. lll. 5. necessitas regenerationis*, tunc habetur pro integra *propositione* logica, h. m. *regeneratio est necessaria.* Habes igitur *partes duas. Prima* est: *regeneratio*; altera: *eius necessitas.*

344. *Altera* partitionis *species* est, *subordinatio* nouorum conceptuum sub illos, qui themate continentur. Haec dici potest partitio *implicita*, seu *facta.* Partitio comprehendit *praecipua*, quae distingui possunt. (§. 342.) Quare, qui hoc modo recte partiri vult, is, si textus plura distinguenda, eademque admodum varia, continet, in themate analytico recte adornato, iam praecognouit, quaenam sint praecipua *ipsius textus* momenta. In thema-

te vero *synthetico*, necesse est, vt ea quae de themate praedicari explicando confirmandoque possunt & debent, praeuio velut obtutu colligat; quo exinde intelligat, ad *quos conceptus* primarios & communes themati subordinandos, reuocari queant. Nempe tum *thema* tum *partes* abstrahuntur a *sensu toto ac euoluto ipsius textus*, paullo plura complexi, si *thema* sit *analyticum*; & a tota *tractatione*, si thema sit *syntheticum*. Quare, *post praecognitum sensum textus, & ambitum tractationis, excogitantur partes.* Quod ipsum de *themate* valet. (§. 323.*)

345. Quia thema homiliae semper est *conceptus explicandus & probandus*, siue *termino* respondeat, siue *propositioni*: (§. 324. *** 2.) ea omnia possunt fieri partes, quae thematis explicationi * & probationi inseruiunt, quatenus vel *sensu textus* continentur (*in analytico*) vel ex thematis natura, beneficio scripturae ** euoluuntur (*in synthetico*) dummodo 1) sint *praecipua* (§. 343.) hoc est talia, quibus rursum alia in tractatione subordinari queant; 2) sint nec plura nec pauciora, quam

quam textus & homiliae finis, ipsarumque partium essentia, requirit.

* Hinc patet, male constitui partes, si them[a] propositum ita diuidas, vt promittas te acturum esse 1) de *explicatione*, 2) de *probatione*, 3) de *applicatione* thematis. Ita enim indicares *modum conficiendae homiliae*, qui nimirum omnibus orationibus, ideoque & sacris, est communis; (§. 550. n. 3.) cum *conceptus* ipsi forent indicandi, quos thema definite suppeditat, & quibus *explicatio*, *probatio*, & *applicatio*, ex regulis artis vniuersalibus, vbique accommodatur.

** *Characteres* rei, *consequentiae*, *consectaria*, & *connexa* quaeuis, *causae*, *euentus*, *effectus*, *attributa*, *affectiones*, *relationes* ad res alias, *species*, *membra totius*, *contraria*, *motiua*, *impedimenta*, *testimonia*, *exempla*, *circumstantiae* variae. cet.

PAVLVS *Phil. III.* 19. thema suppeditat: *status hominum terrenorum*. Partes ibi fiant: 1) *characteres eorum*, descriptionem ingredientes (student *ventri*, voluptatibus sensuum, & *honori*) 2) *euentus* (*damnatio* pro voluptatibus, & *probra*, pro honore.)

Ebr. I. 3. thema est *maiestas Christi*; quae vt *totum* quiddam consideratur. *Membra* igitur huius totius, fiunt *partes* thematis:

1) est consubstantialis filius patris,

2) conseruat & gubernat omnia,
3) consummata redemtione sedet ad dextram patris.

Act. XIV. 22. Oportet nos plurimas per afflictiones ingredi in regnum Dei. Si thema sit: *via in caelum*; partes erunt *affectiones illius viae*. 1) via *necessaria*, δεῖ, 2) *molesta* διὰ πολλῶν θλίψεων, 3) *beata*, tendit enim in regnum Dei.

Ebr. XIII. 16. Liberalitas christianorum 1) quid sit? (*beneficentia*, & *largitio*) seu characteres eius, 2) *motiua*, *talia enim sacrificia Deo placent.*

2 Tim. II. 15. 16. Thema esse potest: *officium boni pastoris.* Hoc *totum*, in suos characteres speciales, tanquam *membra* tribuitur, e quibus constat *descriptio* boni pastoris. Sit igitur pars I.) quodnam sit illud officium, seu quibus requisitis constet v. 15. II.) *Impedimenta* eius, v. 16.

Iesa. I. 5. 6. Caput totum aegrum est - - oleo. Ibi sistitur *miseria populi iudaici*, *sub ira diuina.* I. *Status miser*, qui describitur *a*) tanquam *vniuersalis*, omnes populi ordines peruagatus, *b*) tanquam *atrox* & paene desperatus, quia vulnera exulcerata & vix medicabilia sint. II. *Habitudo Dei ad hunc statum. a*) Deus *indignatur* & querelas fundit iustissimas, *b*) *misericordia afficitur* cet.

Huius-

Huiusmodi textus, vbi altera pars e toto sermonis habitu colligenda est, probe notentur.

346. *Finis partitionis* indicandus est. *Partitio* praeter id, quod ad thematis distinctiorem notitiam inseruit, (*implicita* §. 344. maxime) eo fit consilio, 1) vt auditores praenoscant *ordinem*, quo *tractationis* contenta, se subsequi debeant, quo attentionem figant in certo obiecto, & sensim deinde transferant ad alia. 2) Vt certus homiliae tractus suos habeat * *limites*, per illam partem, a qua pendent, determinatos; quos vltra citraque, ille non extendatur. 3) Vt contenta homiliae, quae huic parti magis conueniant quam alteri, huic potius quam alteri *subordinentur*. 4) Vt ita adiuuetur tum homiletae, tum auditorum *memoria*, quae classes amat, & quasi loculos, in quibus *varia*, propter aliquam conuenientiam, *sociabilia*, locentur. 5) Vt *acuatur* iudicium, quo connectenda iungimus, & dissocianda separamus, & ex vno praecognito, alterum intelligimus. Nam adesse debet ratio, cur *partitio* fiat potius, quam non

fiat. Nulla autem adesset ratio, nisi illas admittas. Et illae ipsae pertinent ad *aedificandum commodissime.* (§. 265.)

* Nempe pars quaelibet suae regioni seu *tractui homiliae*, est id, quod est *thema toti* homiliae.

347. *Requisita* partium, ex definitione partitionis, & e partium *fine* (§. 346.) apparent. *Partes eo ordine collocentur, quo una ex altera facillime intelligatur.* (per *num. 1. & 5. §. 346.*) Vt idem sit ordo in *textu*, non vbique requiritur. Nam textus tantum suppeditat *materiam* partium, & explicationem ac probationem eius natiuam (quae fit per homiliam) dexteritati relinquit homiletae. Adesse potest alia ratio, cur materia partium, alio sit ordine in textu, (§. 142. 149.) quam esse debent partes in homilia. Quare *ordo contentorum in textu, & partium in homilia, non* * *semper idem esse debet.*

* Saepissime quidem ordo textus ordini partium respondet. Vt *Rom. V. 1.* e *iustificatione* intelligitur *pax cum Deo.* Si igitur thema sit: *Beatitudo credentium in Christum*; recte constitues partem *primam*: *iustificatio.* Alteram: *pax cum Deo.* Sic 1 *Cor. II. 14.* thema

thema esse posset, *Corruptio hominis animalis*. I. *Homo animalis*, II. *eius corruptio* cet.

Verum, crebra etiam sunt exempla, vbi ab ordine verborum, quae sunt in textu, & propositionum, si textus sit longior, recedendum est. Sicut ipsa iam hermeneutica, illud interdum faciendum esse, praecipit. *Act. XXVI.* 18. de conuertendis impiis ad Deum, agitur. Primo loco textus ponit eam actionem diuinam, qua illuminantur impii, saltim hactenus, vt notitiam peccati viuam, concipiant. Sequitur *conuersio*, eiusque terminus, *a quo*, & *ad quem*. Denique *effectus* conuersionis. Putauerim, commodius hunc textum ab homileta tractari, si incipiat I. a statu peccatoris ante conuersionem; & subiungat II. ipsam conuersionem, ac III. *beatum* eius *effectum*. Ita *Matth. V.* 3 Rectius intelligitur e notione *paupertatis spiritualis*, notio *beatitudinis*, quam contra. Quare homileta primam partem constituat, *paupertatem spiritualem*, Alteram, *beatitudinem* ei connexam.

348. Si in textu plura sint contenta sub eandem partem reuocabilia, non debent singula ista, singulae fieri partes, sed sub vnum conceptum communem reduci, qui partem constituat. Nam 1) *praecipua* textus

tus, fiunt partes. (§. 342.) Conceptus autem communis est magis praecipuus, quam contenta specialia, quae sub illum* reuocari possunt. Et 2) partes inseruiunt memoriae & *iudicio*. (§. 346. n. 4. 5.) *Memoria* vero breuitatem, & *iudicium* simul vnum ex altero euoluere, amat.

* 2 *Tim.* III. 16. Thema sit: *praestantia scripturae sacrae.* Partes 1) *praestantissima eius origo*; est enim θεόπνευστος, 2) *praestantissima eius vtilitas*, inseruit enim ad *docendum*, *redarguendum* cet. Caue, ibi, *doctrinam*, *elenchum*, *epanorthosin paedian*, *quatuor* partibus comprehendas. Nam quatuor ista sub vnam *vtilitatis* notionem reuocari possunt.

Nempe hoc loco *scriptura* est subiectum, θεοπνευσία & *vtilitas*, sunt praedicata. Duo haec praedicata cadunt sub vnam notionem *praestantiae*. Paullus igitur hoc thema suppeditat: *scriptura habet praestantiam*. Praestantia admittit species: 1) *originem* praestantem; 2) *vtilitatem* praestantem. Hoc igitur exemplum est luculentissimum, ad perspiciendum *modum*, quo *thema* erui, & partitio *implicita* (§. 344.) constitui debeat.

349. Partes sint breuiores, nec numerus

rus earum praeter neceſſitatem auctus. *Breues*, quia ſunt *conceptus* tantum *communes* (§. 342. 345.) qui memoriae & iudicio inſeruiunt. (§. 346.) *Pauciores*, ne memoria obruatur & *iudicio* ſubtrahatur pabulum.

350. Partes ſint *adaequatae*, hoc eſt 1) vna alteram excludat,* nec in ſe contineat. Nam ſi vna contineret alteram, ratio nulla adeſſet, cur duas facerem partes vbi tantum foret vna. Ita namque diſtinguerem quae non ſint diſtinguenda, quod partitioni repugnat. (§. 342.) 2) Pars quaeque, tantum materiae contineat, e textu & tractatione, quantum limites ceterarum partium excludunt. (§. 346. n. 2.) 3) Nec plura tamen alia contineat, quae ad homiliae materiam non pertinent. Alias enim pars illa eſſe nimis communis, & non figeret limites debitos, (§. 346.) & cogitantem cum iudicio, ad plura deduceret aliena. Itaque non inſeruiret acri iudicio. (§. 346.)

* Si quis ex *Matth. V.* 3 thema faceret? Triplex effatum Chriſti de hominibus in regno gratiae. I. quod ſint *pauperes ſpiritu*; II. *quod ſint beati*,

beati, III. *quod ipsorum sit regnum caelorum*: is, (vt de nimia thematis latitudine nihil dicam) in parte secunda iam contineret quod est in parte tertia. Nam id pertinet ad *beatitudinem*, quod ipsorum est regnum caelorum. Si vero partem *primam* hanc faceret, *quod sint in via ad fidem* (propter contritionem primam) tunc *minus* contineret haec pars, quam deberet per sensum textus ampliorem.

Si denique sic adornaret partem primam: quod sint *sancti*: tunc *sanctitatis* conceptus *plus* contineret, quam vult textus, qui non nisi *paupertatem spiritus* commemorat. Nempe *conceptus* qui est in textu: *pauperes spiritu*, iam est tam communis, vt varios defectus viua notitia agnitos, sub se comprehendat. Cum e contrario *sanctitas* foret *genus nimis remotum*: quo nominato, auditor non deduceretur ad determinate cogitandum de *spiritus paupertate*.

351. *Partes, quantum licet, sint aequales.* *Aequales* sunt, si, quando vna, respectu eorū quae sub se continet, late patet, etiam altera, late pateat iuxta quam in eodem *gradu* (§. 142.) ponitur. Si e.c. vna contineat species sui generis; * altera non sit vna species ex his, quarum plures in textu pronuntur,

nuntur, aut in tractatione. Secus si fieret, conceptus vnius esset angustior, & plures pariter angustiores, in nouas abirent partes, atque ita, quod *vnum totum* esse poterat, in plures conceptus praeter necessitatem dirimeretur, nec *iudicio* debitum suppeteret pabulum. Quod & *definitioni* partitionis (§. 242.) & *fini* (§. 246.) repugnaret. Et *proportionis* neglectus pareret *deformitatem*, i. e. impedimentum *commodissimae aedificationis*. (§. 265.)

* In exemplo proximo ex 2 *Tim. III.* 16. pars vna est, *origo* scripturae, quae est θεοπνευστία, haec sub se comprehendit *varias* diuinae reuelationis *species Ebr. l.* 1. Quare & pars altera, *vtilitas* scripturae, varias contineat species: *doctrinam*, *elenchum*, cet. Quare qui sic partiretur:

I. *Origa diuino*, { II. *doctrina*, III. *elenchus*, IV. *epanorthosis*, V. *paedia*;

is quatuor partes, quae primae respondere debebant, primae feceret *inaequales*.

352. Partes *perspicuas* esse debere, nec *rhythmicas*, cet. ex iisdem rationibus apparet,

paret, quas de similibus *thematis* requisitis, (§. 331 - - 336.) attulimus.

CAPVT II.
DE
TRACTATIONE HOMILIAE.

Synopsis.

I. *Quid sit tractatio, & quibus regulis dirigatur?* §. 353 - 357.
II. *Generalia monita de tractatione:*
1) *de explicatione, illustratione, & probatione* §. 357 - 364.
2) *de tractationis methodo* §. 364.
3) *de subdiuisione & mensura tractationis* §. 365 - 366.

353. THema homiliae, & *partes* eius, sunt *conceptus explicandi** & *probandi*. (§. 324.** 2. & §. 346.*) Ipsa igitur *explicatio ac probatio thematis & partium*, est tractatio. (§. 284.)

* Nempe homilia est *oratio aedificans* (§. 295.) *Aedificatio* vero est *species persuasionis* (§. 258.) *Persuasio* vero *passiua*, siue *assensus*, non aliter obtineri potest, quam si facias, vt auditor *intelligat* ea, quibus assentiri debet, & pro *veris habeat*. *Prius fit explicando, posterius confirmando*, seu *probando* (§. 255.)

354. Tra-

354. Tractatio *homiletica* non differt a *tractatione oratoria*, nisi in eo, quod *aedificatione* determinatur. (§. 265.) Aedificatio autem hoc determinat, vt tractatio adstringatur *textui* cuidam, (§. 262. 324. 303.) si thema sit *analyticum*; & aliis scripturae veritatibus, si sit *syntheticum* (§. 327. 295.) vtrinque, veritates *naturaliter cognitae* non excluduntur, quatenus *nexum* habent cum veritatibus scripturae, vt hae sine illis non satis intelligi * possint, ideoque illas scriptura sacra praestruit. (§. 184.)

* Si textus est *practicus*, agit de *officiis*. (§. 322.) Officiorum autem plurimorum, *principium cognoscendi*, sunt veritates *naturaliter* notae, & non *scriptura sola*. Quare in practicis, illae plurimum inseruiunt (§ 299.) quamuis *motiua sublimiora* subiungenda sint e sacris litteris, vt *aedificatio* obtineatur, quae est finis homiliae.

355. Regulae quae dirigunt *tractationem oratoriam*, etiam dirigunt *homileticam* (§. 354.) Quare, cum illae hic praestruantur, (§. 300.) non est quod diutius huic doctrinae immoremur.

356. Cum in tractatione homiletica, nihil accedat ad tractationem oratoriam, ni-

si, quod *analyticum* ad *thema* attinet, ipsius *textus analysis*; & quod ad *syntheticum*, materia theologiae *dogmaticae* & *moralis*, vna cum *sensu exegetico*: (§. 296. 297.) de illis omnibus hoc loco non est agendum, cum & ipsa praestruantur; & de textuum analysi sufficere possint, quae * *hermeneutica* praecipit.

* In primis *examen pragmaticum* huc pertinet. (§. 173. s.) Id tantum erit monendum: praelegitur textus ex B. LVTHERI *metaphrasi*, quae communi ecclesiae auctoritate valet. Illam vbique corrigere, & textum *primitivum* crepare, imprudentiam & ostentationem sapit; quae tanto maior est, si corrigantur, quae melius, efficacius, rotundius, reddi non possunt. Ebraeas autem graecas & latinas temere de suggestu sacro proiicere voces & sententias, id vero lusui proximum est.

357. *Generalia* quaedam delibare, non alienum erit. Qui explicat, is conceptui minus claro, ideoque ignotiori, substituit clariorem & notiorem. Vt, si *facti* cuiusdam *conceptum communem* habeas, explicatio fiet, *narratione* eorum, quae tanquam partes connexae, id factum constituunt. Si conceptum habeas *dogmaticum* (§. 313.) pariter

pariter *partes* eius, si quae sunt, distinguas, *characteres* singulos notes, & in nouos conceptus resoluas (§. 219.) partes rei, quas conceptus exhibet, enumeres & modum, quo connexae sint, ostendas. Ita definitiones habebis. Sed homilia est oratio. Qui explicat in oratione, non condit *definitiones rigidas*, quae in exegesi acroamatica locum habent; (§. 187.) quia *statui* auditorum se accommodat. (§. 279. 293.) Homiliae habentur in caetu ecclesiae. Ibi magna, vel maxima pars auditorum, eo non pollet acumine, quo eruditi. Quare, ad maiorem partem auditorum, homilia respicit. Satis igitur habet, *partes* & *species*, itemque *characteres* conceptuum explicandorum, aut *modum* possibilitatis, variis verbis & phrasibus *circumscribere*, contraria remouere, & *pluribus periodis* comprehendere, quae *rigor definiendi* paucis terminis complectitur. Adde quod homilia (quia est oratio) etiam *ornatum* poscat. Qui locum non habet in *ieiunis* definitionibus arti logicae tantum accommodatis. Hoc ipsum, ars rhetorica* iam inculcat. (§. 274.)

* Caue igitur, *pedantiſmum philoſophicum* in noſtris ſanctioribus oleas. Definitiones *ſyſtematicas*, regulis logicis conformes eſſe oportet. Illas itaque ſi recites de ſuggeſtu, totidem verbis, quot exhibentur in theologia dogmatica & morali, acroamatice tractata; non ages pro fine homiletico.

358. Ad explicationem referimus etiam *illuſtrationem*. (§. 219. 271.) Argumenta igitur *illuſtrantia* hic locum habent. Quae *comparatis*, *contrariis*, *ſimilibus*, *exemplis*, *teſtimoniis*, *meditationibus* * *ingenioſis*, *ſententiis* cet. conſtare ſolent. Quae tum *claritati* inſeruiunt tum *oblectationi*. 1.) Neque tamen *ſingularem* homiliae *partem integralem* conſtituunt, ita vt ſeiunctim in vnum eundemque homiliae tractum longiorem, nihil niſi illuſtrationes cumulari debeant: (id quod obeſſet commodiſſimae perſuaſioni §. 266.) ſed vbique commodis locis inſperguntur. 2) Ipſis etiam argumentis *probantibus* conueniunt. Quippe & propoſitiones *probantes*, clare, & cum delectatione, intelligi debent. 3) *Teſtimonia* e *ſacris litteris* allata, non tantum illuſtrant, ſed ſimul explicant & probant; quod ipſum de *exemplo* valet, tum *Chriſti*,

Christi, tum eorum, quae Deus adprobauit, itemque malorum quae improbauit. 4) Optima sunt argumenta *illustrantia*, quae vel e textu, vel aliis tamen scripturae locis petuntur; nam *aedificatio* debetur scripturae (§. 285 J 5.) Ne sis *nimius* in ** *illustrando*, quod *satietatem* parit, & defectum arguit solidioris rei tractatae cognitionis. Auditorem igitur haud *commode aedificat*.

* Quod in *oratione* sunt ingeniosae cogitationes, quae *rerum similium acuta comparatione*, *praeter expectationem* adhibita, constant; id in textu explicando sunt *affectus*, *emphases*, *porismata*, quae quis *ingeniose notat*. Tametsi enim ad ipsam *explicationem textus* referri possint *affectus* & *emphases*, quatenus sensus ipse ab illis aliquo modo determinatur: esse tamen potest, 1) vbi pars textus cui insunt, *illustratio* sit ceterarum partium, & 2) *illustrationis* loco sunt in homilia, quatenus, dum *subtilius*, & probabilius quam certius, eruuntur, pro *accidentali* quodam censeri possunt. Quanquam cetera non excludantur. Huc refer etiam *allusiones* scriptorum sacrorum, ad *typos* & facta veteris testamenti, & dicta prophetarum, cet. Plurimis enim in locis, scriptores noui foederis, huiusmodi *allusionibus* vtuntur, vbi primo etiam intuitu,

id non facile omnibus adparet, sed iis tantum, qui assiduitate legendi sacras litteras, & linguarum notitia philologica & critica, plurimum exercitati sunt. Vna saepe *metaphora* plurium allusionum & comparationum est fecunda.

** Nulla est ad satietatem auditoris tristior opportunitas, quam illustrationum inepta copia. Ipsa sacri codicis *testimonia*, nominatis etiam *capitibus* & *commatis* singulorum, crebritate appellandi, fastidium pariunt, tametsi *contenta* sint diuina. Nam 1) si qua ad *explicationem*, *probationem*, vel *illustrationem* pertinent, ita, vt *necessitas persuadendi*, illa requirat; non opus erit vt nimia connectes. 2) Si plura cumulas, adpellatis *capitum* & *versuum numeris*; tunc *a*) obruitur auditorum *memoria*, vt singula tenere nequeant: *b*) suspicio nascitur, te affectare gloriolam multae lectionis, aut destitutum esse dexteritate *neruosae probationis* & *explicationis* *c*) si allata testimonia nihil aliud contineant, quam *phrasin biblicam*, qua conceptus qualiscunque, etiam *accidentalis*, exprimitur; tunc multo ineptior est illa congestio.

359. Singularis est vsus illustrationum, in primis quae *affectu*, *emphasi*, *porismate* (§. 358. *) constant, si per illas efficit homileta

mileta 1) vt tractatio nimis *theoretica* & arida, ad praxin referatur, quod ope *poriſmatis* fieri poteſt; 2) vt *varietate* quadam, attentioni auditorum conſulatur, ne meditatio, in *explicationem* & *probationem* ſeuerius intenta, fatigetur, ſed *interquieſcendo* reuiuiſcat.

360. Explicatio, (ſicut *illuſtratio* §. 358.) vbique locum habet, etiam in argumentis *probantibus*. Nam argumenta probantia ſunt, quibus intellectis, intelligo aliud quiddam eſſe verum. Cum igitur argumenta probantia debeant *intelligi*; intelligantur autem *explicatione*; (ſi qua opus ſit) neceſſe eſt, vt & ipſa interdum explicentur. Et cum *illuſtratio* aliquid *claritatis* miniſtret: illa quoque conueniet argumentis probantibus. Vt adeo pateat, *totam per homiliam* explicationes & parcius inſperſas illuſtrationes regnare.

361. In argumentis *probantibus* rigorem demonſtrationis non eſſe neceſſarium, ſupra monuimus. (§. 274.) Quod etiam exinde patet, quia homileta *teſtimonium diuinum in ſcriptura*, pro principio omni

exceptione maiori, recte assumit. Satis igitur est, *verum sensum* eiusmodi testimonii, per regulas hermeneuticas eruisse. *Commouentia* locum proprium habent in * *conclusione*, nisi quando vnum alterumue in *textu* occurrat, aut a themate, maxime synthetico, ante conclusionem abesse non possit.

* Nempe, si inculcamus *officium*, quod fit in materia *practica* (§. 322.) probatio versatur in eo, vt additis *motiuis*, illud esse necessarium, euincamus: & vt ipsam eius *executionem*, *possibilem*, *facilem* cet. sistamus. Ita non tantum commissio & omissio in se spectata, pro bono quodam habebitur: sed etiam dato casu, actio ipsa committetur vel omittetur.

Huc etiam argumenta *pathetica* pertinere, supra monitum est. (§. 260.) Qui enim *mouere* cupit, is semper hanc thesin probare nititur: *bonum* vel *malum est*, *hoc committere* vel *omittere*. Itemque istam: *ipsa commissio & omissio in dato casu*, *bona* vel *mala est*.

362. Argumenta *explicantia*, *probantia*, & *illustrantia*, vel *expresse* in textu * indicantur, vel ex solis in textu *notionibus*, ** quibus illa inseruiunt, erui debent, idque

que beneficio theologiae *dogmaticae* & *moralis*. In *priore* casu, *explicatione* tantum opus est; in *posteriore*, *inueniuntur* e disciplinis iam memoratis, & e *paralleliſmo* scripturae sacrae.

* Quod non ita intelligendum est, *esse in textu* explicationem probationem & illustrationem *fusius* deductam. Satis est, adesse *conceptus* explicantes *probantes*, & illustrantes, latius deducendos, *pro scopo* textus. *Ierem. III. 13.* sit thema: *Excitatio diuina, ad conuersionem.* I. *Conuersio*, II. *Excitatio ad illam.* Si in parte *prima* comparet conceptum *defectionis* cum conceptu *reuertendi:* aliquid *explicationis* habebis. Liquet enim, conuersionis *terminum a quo*, esse statum *defectionis a Deo*: & vi *oppositorum*, conuersionem esse reditum ad *amicitiam*, seu *in foedus cum Deo.* Notio deinde *rebellionis* & *amicitiae cum Deo*, materiam de *peccato*, & de *Christo* mediatore eius amicitiae, in mentem reuocabit.

In parte *secunda*, textus suppeditabit *probationem*, seu motiua (est enim *practicus*) 1) in voce *Israel*, qua continetur admonitio de *beneficiis* huic populo praestitis: & *affectus Dei* nunc etiam *paternus*, non obstante defectione. 2) in voce *reuertere*, duo motiua latent; *a*) *promtitudo Dei*, ad reno-

uandam illam amicitiam; *b*) *facilitas* ex parte hominis, eam renouandi, nihil enim requiritur, nisi *reditus*, per operationes gratiae efficiendus.

Sumemus exemplum paullo difficilius: *Rom. VIII. 1. 2.* Agitur *de iis, qui in Christo sunt.* Additur propositio *explicans*, ab effectu, *qui non viuunt secundum carnem, sed secundum spiritum.* Nempe *fides* est, per quam in CHRISTO, seu *christiani* sumus, vere tales. Inest in Christo, qui cum *Christo vnitus est*, seu *consentit cum Christo*, per primam eius operationem receptam & effectui datam, vt operationes *eius gratiosas*, *continuas recipiat & experiatur.* Hae operationes *partim* eo tendunt, vt Christus *actu* nobis applicet ea, quae sunt ipsius, adeoque satisfactionem ipsius pro peccatis, quae poenas nobis incubituras, tollit; *partim* eo respiciunt, vt viuamus vitam Christo probatam, & ex eius operationibus pendentem. Quae est vita *secundum spiritum*, h. e. talis, quae operationibus Christi *supernaturalibus*, & *nouis qualitatibus* in *anima* nostra iam per spiritum sanctum productis, respondeat. Fieri autem nequit, vt qui ita viuat, simul *secundum carnem* viuat, hoc est contrariae *corruptioni mentis naturali, & praedominanti*, conuenienter. Sicut & illud ipsum fieri nequit, vt Christus actu sic

operetur

operetur in animam, nisi impedimentum illius operationis, (reatus culpae ac poenae) per *fidem* donatam, cum qua ista vnio incipit, remotum sit.

Habes iam *explicationem* illius propositionis: *homines sunt in Christo*. Iam noua succedit: *Qui sunt* in Christo, hi *actu non condemnantur*. Equidem, quid sit *condemnatio*, in textu non explicatur. Haec igitur notio aliunde sumenda est, ex *parallelismo* puta scripturae: nisi forte notionem *Christi*, in qua satisfactio pro poenis continetur, euoluere velis. Reperies autem in aliis scripturae locis, *condemnationem* opponi *iustificationi*. Oppositum iustificationis est: quod Deus iudicat, incredulis *deberi poenam peccati*, in hac pariter & altera vita: & quod illas poenas ex parte iam nunc infligat, ceteras reseruet finaliter incredulis.

Haec notio, sic *euoluta* seu *explicata*, iam ex *ipso textu* probatur. Nam qui *est in Christo*, ille sic vnitus est cum Christo, vt *satisfactio Christi sit ipsi propria*, seu vt perinde sit in iudicio diuino, ipse, an Christus punitus fuerit pro peccato. Porro, qui nouit se *viuere secundum spiritum*, *is nouit* fidem adhuc sibi inesse; impossibile autem est, aliquem *frui* satisfactione Christi, per fidem, actu praesentem, & tamen *non frui*;

seu

seu *adhuc puniri* quasi pro poenis non foret satisfactionum.

Additur tamen a PAVLLO *expressa* probatio alia, *v.* 2. Quae respicit *primo* hanc thesin: *credentes non ambulant secundum carnem sed secundum spiritum*: *secundo* alteram: *credentes non subsunt condemnationi.* Primam ita probat: Qui viuit secundum carnem, ille *necessitate* quadam (*legem peccandi* vocat, quia lex imponit *necessitatem cap. VII.* 23.) durissima adigitur ad *peccandum. Corruptio enim naturae*, & *dominium peccati* actiones malas necessario gignunt. Viuit igitur secundum carnem, *i. e.* posita *carne*, ponuntur *necessario* actus carnales. Sed posito *spiritu*, ponitur *necessitas* (consequentiae) *bonarum actionum. Spiritus* est fides, quatenus necessario tendit ad *habitum* bene agendi; ideoque *principium est*, *ex quo actiones bonae*, *necessario nexu sequuntur.* Illa necessitas denuo *lex* dicitur.

Posita igitur *lege spiritus*, poni non potest eius contrarium, *lex carnis.* Sed per legem spiritus supernaturaliter accedentem, homo *liberatur* a *lege carnis*, naturaliter incumbente.

Alteram propositionem: *credentes non subsunt condemnationi*, eodem negotio probat, hoc modo: *lex peccati est lex mortis*, *i. e.* necessitas pereundi, seu *condemnationem*

nem subeundi. Lex autem spiritus, est lex vitae, seu *necessitas* euitandae *damnationis*, & consequendae *salutis*. *v.* 2.

Denique *illustratio* suppeditatur, per vocem *legis*. Caro est instar *legislatoris tyrannici*, qui mancipiis suis *necessitatem* imponit parendi. Confer caput VI. & VII. *Spiritus* autem, facilem, gratam, & salutarem necessitatem imponit, instar legislatoris benigni & paterni. cet.

** In textu, atque inde in *partitione*, saepe nihil suppeditatur, nisi sola *notio*, cui explicandae, probandae, & illustrandae, quaerenda est alibi materia, *Matth. V.* 3. I. Pauperes spiritu, II. beatitudo eorum. Ibi, quinam sint *pauperes spiritu*, explicandum est e *theologia morali*, quae e locis scripturae, quibus explicatio huius notionis continetur, ipsam explicationem suppeditat.

363. *Confutantibus* argumentis (§. 273.) vtimur, ad refellendas *obiectiones*, quae nisi remoueantur, *persuasionem* omnem, adeoque *aedificationem* intercipiunt. Vbi res ipsa docet 1) obiectionem esse *proponendam*. 2) *rationes* eius, easdemque * *potiores* & in speciem validiores, addendas, 3) rationibus contrariis, iisdemque stringentibus, omnem eius vim eneruandam esse, vt falsitas eius, & rationum futilitas,

tas, manifesto appareat. In primis autem *praeiudicia practica*, quae efficiunt, vt auditores praxin, (qua aedificatio constat) pro impossibili, difficili, molesta, inutili, nec necessaria, reputent, ex animis euellenda sunt. Quod nisi fiat, *aedificatio*, quae finis est homiliae, (§. 274.) non obtinetur.

* Rationes has vbique afferre, consultum non est. Si enim rationes contrariae, (id est *verae theseos*, cui obiectio opponitur) satis validae proferuntur; tunc obiectionis rationes eadem opera profligantur. Neque homiliae mensura, & reliquarum partium necessitas, longam recensionem rationum futilium, vbique permittit. Vide *Rom. VI, 1. ss.*

364. Quidam *tractationem* ita instituunt, vt primo sub data parte, omnia, quae textus paullo fusior exhibet vocabula, vna serie perpetua, *grammatice* seu *philologice* prosequantur; quo confecto, ad examen *pragmaticum* (§. 173.) se accingunt. Quoniam 1) examen *pragmaticum* tale esse debet, quod *explicationi* ac *probationi*, &, si opus est, *illustrationi* sufficiat, 2) ipsumque examen pragmaticum

cum, eadem opera continet philologicum; denique 3) *emphases* in vocibus, si quae ex rationibus forte *philologicis* petuntur, commode *interſperguntur* examini pragmatico: (§. 358. * & §. 359.) ideo *commodius aedificat, qui examen mere philologicum per omnia textus contenta, vno tractu continuandum, non praemittit pragmatico, ſed ſolo pragmatico eſt contentus.*

365. Vt *tractatio* commodius procedat, vſu receptum eſt *partibus* iam conſtitutis, ſubiungere nouas partes minutiores, quod *ſubdiuiſionem* vocant. (§. 141. 142.) Eſt igitur *ſubdiuiſio*, *partitio partis.* (§. 342.) Finem igitur habet communem cum *partitione thematis.* Quare omnia de illa valent, quae de hac ipſa diximus. (§. 346.) Cumque illa *ſubdiuiſio* propter iſtum finem, inſeruire debeat *memoriae* & *iudicio*; cauendum erit, ne ſit *nimia*, quae ſcilicet in *minutiora* membra diſcindat materiam, & ſubdiuiſis alias denuo ſubdiuiſas, velut in infinitum, ſubiungat. Deinde, orator facer per *numeros* in homilia *nominatos*, partes ſubdiuiſas

diuisas connectere non debet, sed per *aptas* & *variatas* potius *formulas*. Quod ad *elocutionem* pertinet. Probatur autem exinde, quod homilia est *oratio*, quae crebram per *numeros* connexionem recusat.

366. Iubet denique *commodissima aedificatio*, vt in *tractatione* tamdiu non verseris, vt *applicatio* deinde contrahenda sit. Nam e subsequentibus adparebit, praecipuum esse ad aedificationem momentum in applicatione.

CAPVT III.
DE
CONCLVSIONE HOMILIAE.

MEMBRVM I.
De conclusione generatim.

Synopsis.

I. Conclusionis necessitas & descriptio §. 367. 368. 369.
II. Applicatio late dicta, ad praxin, eaque tum generalis, tum specialis §. 370.
III. Applicatio stricte dicta, ad statum auditorum:
1) *quid status & quotuplex?* §. 371. 372.
2) *quomodo fiat applicatio ad status diuersos?* §. 373. 374.
3) *cur illa applicatio dicatur examen conscientiae?* §. 375. 376.
4) *quo loco id examen in con-*

conclusione ponendum sit? §.377.
5) *quid examini isti subiungendum sit? §.378.*
IV. Regulae prudentiae, in conclusione generatim observandae §. 379.

367. Tractationi, in oratione, ideoque & homilia, (§. 284, 265.) succedit *conclusio*. Quae, cum ad *praxin* destinate proximeque tendat, (§. 284.) *praxi* autem constet *aedificatio*; (§. 262. 263. 322.) facile patet, quantum *diligentiae* adferendum sit ad *conclusionem*, in quam vis omnis oratoris sacri incumbere debet, quia *finis* eius est *aedificatio*. (§. 286.)

368. *Praxis* * *christiana* est *commissio & omissio actionum, ad quas committendas vel omittendas scriptura sacra nos obligat.* (§. 322.) Conclusio homiliae, est *accommodatio tractationis* ad *praxin christianam*. Dicitur etiam *applicatio*. *Matth. VII. 21. Io. XV. 13. 1 Io. II. 29. III. 23. Iacob. I. 22.*

* *Christiana* dicitur, *laxius*. Quatenus vel *incoat* statum salutarem, vel *continuat*. (§. 261.) *Tendit* ad id, proxime, vt *enadamus* christiani, & *perficit* eos, qui *iam sunt* christiani.

369. Per conclusionem efficere vult homileta, vt actu sequatur *praxis*, seu com-

missio & omissio *determinata*, eorum, de quibus *thema* & eius *tractatio* iam egit. (§. 368. 262. 265.) Dum additur tractationi *conclusio*, id ob aliquam *rationem* fieri debet. Quae alia esse nequit, nisi haec, quod tractatio nondum sufficiat ad illam *praxin*, sed remotius in illam influat. Quocirca *tractationem accommodare ad praxin*, idem est, quod connectere cum tractatione ea, quibus praxis adhuc propius & sufficienter, determinatur. Illa igitur accommodatio, recte dicitur *applicatio* tractationis, sed significatu *latiore*.

370. Praxis est commissio & omissio eorum, ad quae per scripturam sacram, (hoc loco, per aliquem *textum tractatum*) *obligamur*. (Quae, si promta, & genuina esse debet, ex *habitu* proficisci debet.) Quare, est *executio officii vnius*, *vel plurium*, quae per *tractationem* textus *remotius*, per conclusionem *proxime*, determinantur. (§. 369. 322.) Qui officium exsequi debet, ei necessarium est, vt sufficienter cognoscat 1) *actionem* ipsam quae *lege* determinatur; adeoque & legem intelligat:

gat: 2) *obligationem* ad istam, seu *motiua*, quibus fit, vt actionem pro bona, & committenda; vel pro mala & omittenda, habeat, ideoque voluntatem & noluntatem, eamque constantem, (*decretum* & *propositum*) capiat ad agendum. Ita efficietur, vt actionem committendam, adeoque bonam, vel omittendam, adeoque malam, iudicet, vt taedia difficultatum, executioni obiectarum, lubentissime subire, & vincere, paratus sit. 3) *media*, & modum iis vtendi, vt ipsa eorum vsurpatione, actionem exsequatur, 4) impedimenta, & modum ea superandi, vt executionem pro *hic & nunc possibili ac facili* habeat, eoque promtius ad experiundum accedat. Duo priora (*num. 1. 2.*) dici possunt *requisita praxeos* * *remota*: Duo posteriora (*num. 3. 4.*) *requisita* ** *propinqua*. Si igitur *tractatio*, fuit eiusmodi, vt in *conclusione* connectere cum ea oporteat *requisita remota*: tunc applicatio (*late dicta* §. 369.) erit *generalis*: sin *propinqua* tantum connecti debeant, & *remota* iam insint *tractationi*; tunc appicatio dicetur *specialis*. *Priore casu*, generalis cum speciali,

ciali, pro re nata, coniungi debet. Si *tractatio* aliquid ex vtraque requisitorum classe contineat; tunc reliqua tantum *supplebit* applicatio.

* *Remota* dixeris, quia *notionem* actionis tantum formant & legis, itemque *motiua*, quae *decretum* & *propositum* agendi ingrediuntur, suppeditant. Positis autem his, nondum ponitur *executio* propositi, quae tamen praxin constituit. Sed notitia ibi tantum *affectiua* nascitur, seu *voluntas efficax*, quae non semper est *efficiens*.

** *Propinqua*, quoniam notionem suppeditant *mediorum*, & *modi*, quo illa adhibemus, itemque *impedimentorum*, & modi, quo illa remouentur. Ista qui cognouit, *motiua ad executionem specialia* in promtu habet, ideoque agit, seu exequitur quod debet.

371. Praxis constat *bonis actionibus*, seu *exsecutione officiorum*; (§. 370.) Actiones autem *rationem proximam* habent in *statu* quolibet agentis, morali (§. 261.) seu in determinationibus mutabilibus, bonis aut malis, propter quas hae potius quam aliae actiones bonae, illi conueniant. (§. 294. 373.) Qui habitu *bene agendi* iam pollent, iis conueniunt actiones bonae, ad

con-

conseruandum & *augendum* istum habitum. Quibus inest *male agendi* habitus, iis conueniunt actiones eiusmodi, quibus ille habitus infringatur, & contrarius producatur. Vtrumque per *gratiam* diuinam, pro cuiusque statu operantem. Ideo non omnis actio omni agenti conuenire potest.

373. Status moralis aedificandorum, potissimum *duplex* est; *non salutaris*, seu *naturae* vel *mortis*, vbi *peccatum originale dominatur*: & contra *salutaris*, seu *gratiae*, vbi illud propter fidem & eius fructus, *non dominatur*. *Rom. VIII. 6.* (§.261.*) Quibus *intermedius* quidam addi potest, vbi *dominium peccati originalis* per contritionem *interpellatur* & ad illud *infringendum tenditur*. *Matth. XI. 28.* Vterque varias denuo habet modificationes, vnde status *speciales* varii nascuntur, (§. 294. 308.) & rursum *specialissimi*, si *determinationes accessoriae* aliquid singulare superinducunt.

373. Homines, in statu *naturali* (§.372.) degentes, prauitatem status sui, saltim *vi-*

ua notitia non agnoſcunt, *Eph. V. 8. Io. XI. 14.* cet. vel ſi quid eius ex verbo Dei ſentiunt, praeuiſa emendationis taedia reformidant. *Io. III. 19.* Nec illi ipſi, qui in *ſtatu gratiae* viuunt ſui ſibi ſtatus ſemper & vbique conſcii ſunt, ſicut *theologia moralis* oſtendit. Singulae vero actiones bonae quatenus hic & nunc edendae ſunt, ſupponunt ſingulos ſtatus, quibus conueniant. (§. 371.) Qui non * agnoſcit, ſe in illo eſſe ſtatu, cui exſecutio huius potius quam alterius officii conueniat, is, tametſi executionem talis officii vrgeas, illam *ad ſe non pertinere*, iudicabit; adeoque ſibi *neceſſariam* & *poſſibilem* eſſe, tacite negabit. Quare nec *voluntas* eius determinabitur, nec ipſa exſecutio ſequetur (§. 370.) atque ita *non aedificabitur*. Vt igitur ſciant auditores, quaenam officia, hic & nunc exequi *debeant* & *poſſint*; *ſtatum* quoque ſuum clare cognoſcere debent. Per *concluſionem* itaque efficiendum eſt, vt *ſtatuum* diuerſorum notiones clarae formentur, (niſi id in tractatione quantum licebat, iam factum ſit.) Qui tractationem accommodat *ad ſtatum*

auditorum, is *applicationem ſtricte dictam* adhibebit.

* Verum eſt: dum notionem formamus eius, quod *committi*, aut *omitti* debeat (§. 370. n. 1.) ſimul *ſtatum* eius declaramus, qui *committere* illud vel *omittere* iubetur. Qui *officium* cognoſcit, is ſimul intelligit, quid *in animo* eius & in corpore (ſi actio ſimul externa ſit) eueniat, quid *intellectus* agat & *voluntas*, & quomodo voluntas determinet *facultatem locomotiuam*, ſi *externa* ſimul actio cum *interna* iungatur. Intelligit etiam, ex *habitu* quodam illam actionem debere proficiſci, qua conſtat *officium*. Ita vero videbit, qualis ſit *ſtatus* eius, qui & aptus ad exſequendum officium eſt, & *actu* illud exſequitur. Par eſt ratio *malarum actionum*, quarum *omiſſio* eſt officium. Vt adeo ſuperuacuum videri poſſit, expoſito iam officio, addere ſingulare membrum *concluſionis*, quod de *ſtatu* auditorum agat. Sed ſalua res eſt. Si notio officii tam completa, iam in antecedentibus homiliae, formata fuit; ſane operoſe non debent repeti, quae iam illic inculcata ſunt. Sed locus tamen erit *applicationi ſpeciali*, hactenus, vt cauſſas adferamus, cur auditores iudicare debeant, ſe in illo ſtatu vel eſſe, vel non eſſe, itemque, vel *grandiores* in eo profectus, vel *exiguos* feciſſe. Vbi facta eorum

singularia, e quibus, tanquam e criteriis, id cognosci queat, speciminis loco, ad ferre licet, vt *examinare* se quisque possit, quonam agendi habitu, & quam valido vel minus valido, sit affectus.

374. Cum necesse sit, vt aedificandus sibi conscius fiat *status sui* per *applicationem strictae* dictam: (§. 373.) praecipui status describendi sunt, tam *generales*, quam *speciales*, atque adeo auditores pro re nata, in *certas classes* distinguendi (§. 308.) & *criteria* suppeditanda sunt, quorum beneficio sui quisque status sibi conscius fiat. *Io. VIII. 47. Matth. VII. 16. ss. 1 Io. II. 13. ss. III. 14.* cet. Qui data criteria refert ad statum suum, vt iudicium faciat, qualis ille sit vel non sit; is *examinare* se dicitur. *2 Cor. XIII. 5. 1 Cor. XI. 25 - 29.*

375. Qui examinat *statum suum moralem* (§. 371. 374.) is dat operam vt conscius sibi fiat, *quomodo se habeat ad legem.* Status enim *naturae* discrepat a lege, & *gratiae* status congruit cum lege, cum ille *malus*, hic vero *bonus* sit. (§. 372.) Et in *speciali* quouis, tum *naturae* tum *gratiae* statu,

ſtatu, denuo ad legem omnia examinantur, vbi *illic* maior vel minor *diſcrepantia*, itemque reſpectu *huius* vel *alterius legis*; *hic congruentia* maior vel minor, itemque *diſſenſus inuoluntarii*, circa *hanc vel illam legem*, occurrunt. Qui ſtatum ſuum *diiudicat ſecundum legem*, *is actum conſcientiae* * exercet, Quare qui ſtatum ſuum moralem examinat is *examen conſcientiae* inſtituit.

* Status ille continet *habitus* & *actiones*. Quatenus actiones illae bonae vel malae, vt patratae, & habitus vtriusque generis, vt animae iam inexiſtentes ſpectantur, eatenus *conſcientia conſequens* exercetur. Quatenus autem ille ſtatus etiam continet hoc vel illud *decretum* ac *propoſitum*, in poſterum agendi; eatenus *conſcientia antecedens* ſe exſerit.

376. In *applicatione ſtricte* dicta (§. 373.) inſtituendum eſt *examen conſcientiae*. (§. 375.)

377. Examen conſcientiae ſolide inſtitui non poteſt, niſi auditor, eius quod per examen illud in ſe deprehendere vel non deprehendere debet, conceptum ſibi formauerit, ſeu *praxin* eius intelli-

gat, de quo se examinare iubetur. Cum igitur id intelligat per ea, quae in *applicatione latius dicta* tam *generali* quam *speciali* (§. 370.) proponuntur: (§. 369.) necesse est, vt illa praemittantur, examen vero conscientiae sequatur.

378. *Finis* examinis conscientiae hic est, vt auditor iudicet: *ego sum talis, qui praxin illam non exercuit, sed eius contrarium:* vel contra: *ego sum ille, qui praxin de qua actum est, exercuit, & contrarium eius vitauit.* (§. 374.) Ita fit, vt vel *malam* vel *bonam* conscientiam, *rectam* vel *errantem*, deprehendat: & forte *dormientem* in *excitatam* & *vigilantem*, conuertat. Quia vero illud *iudicium* eo tendit, vt auditor ipsam praxin statui iam cognito conuenientem (§ 371.) actu ipso exsequatur *Iacob. I. 23. 24.* ideo *neruus motiuorum* tum quae *remota*, tum quae *propinqua* sunt (§. 370.* & **) additis etiam argumentis *patheticis*, breuiter repetendus erit. Hic actus dicitur a rhetoribus *peroratio* vel *conclusio stricte talis.*

379. Quodsi ea omnia conclusionem ingredi debeant, quae *applicatione late & stricte*

ſtricte dicta continentur (§. 369 - 379.) verendum erit, ne *concluſio* nimis longa fiat, & ipſa longitudo, aedificationi commodiſſimae officiat, quod fini homiliae repugnaret. (§. 265.) Quare prudentia hic vtendum erit. (§. 293. Suadet autem illa 1) vt *potiora* & *ſelecta* de ſingulis adferas, 2) *ſtatui* auditorum ſeruias, ideoque illa, quae tanquam illis *nota*, praeſtrui poſſunt, omittas, 3) vt, ſi praeuideas, in applicatione ſpeciali, aliqua tibi *motiua* fore in primis neceſſaria, illa reſerues ad hunc locum, nec in applicatione late dicta, iam profundas, 4) ad tractationem reſpicias, quae ſaepius continere poteſt aliqua ex illis, quae *applicationem*, maxime *late dictam*, alias ingrediuntur. In primis in *themate practico* fieri poteſt, vt ipſa *tractatio*, ea omnia * iam contineat, quae alias *applicationem late dictam* (§. 370.) conſtituunt. Ibi igitur applicatio nulla locum habebit, niſi *ſtricte* dicta, ſeu *examen conſcientiae*. (§. 371. ſs.)

* Exemplo ſunt B. SPENERI homiliae, quibus *officia chriſtianorum* exponit: vbi *tractatio* complectitur vbique *notionem officii*, *obligationem* per *legem* & *motiua*, *media*, & *impedimenta*. MEM.

MEMBRVM II.
DE
CONCLVSIONE SPECIATIM.

ARTICVLVS I.
De vsu epanorthotico.

Synopsis.

I. *Quid* tractatio *de conclusione* specialis §. 380. *& in transitu de vsu didascalico & elenchtico* §. 381.
II. *De vsu epanorthotico.*
1) *quid sit?* §. 382.
2) *requisita eius:*
a) *notio peccati* §. 383. 384.
b) *modus ostendendus, quo liberetur peccator a malo suo, vbi*
α) *de motiuis* §. 385. *& remouendis eorum impedimentis* §. 386. 387.
β) *de abolitione peccati per fidem, de motiuis & impedimentis fidei* §. 388. 389.
γ) *de argumentis* paraeticis §. 390.
δ) *de argumentis conciliantibus* §. 391.
c) *de examine conscientiae* §. 392.
d) *Monita quaedam* §. 393. 394.

380. Quando ea quae de conclusione *generatim*, *(membr. I.)* dicta sunt * *vberius* explicantur: de conclusione *speciatim* agitur. Quod fieri poterit, si de *vsibus* ** vulgo dictis, *didascalico*, *elenchtico*,

tico, *epanorthotico*, *paedeutico*, *paracletico*, (§. 245.** n. 3. & 313.** n. 1.) non nulla moneantur.

* Nempe 1) *quatuor* illa momenta (§. 370.) sigillatim explicari possunt, quae illic *generaliter* tantum indicata sunt. 2) quae de *examine conscientiae* attulimus, (§. 371. ss.) pariter euolui possunt distinctius. Quae, quoniam ad *theologiam moralem* pertinent, & ex illa huc mutuo quasi sumuntur, eo ambitu pertractari non possunt, quem res per se postulat. Praestruit enim *homiletica* theologiam moralem (§. 296.)

* *Vsus* generatim, est *bonum* quiddam quatenus dependet a re bona, ideoque ex ea percipi potest. Interdum ipsa *actio*, qua bonum illud ex re, a qua dependet elicimus. Quoniam igitur in *conclusione* vtimur tractatione propius, ad praxin: eoque ipso e tractatione bonum illud dependet, quod conclusionem constituit: ideo ipsa conclusio dicitur *vsus*.

381. Vsus *didascalicus* & *elenchticus*, si thema tuum sit *theoreticum*, (§. 312.) ipsam *tractationem* rectius ingrediuntur, quam *conclusionem*. Vsus enim *didascalicus* tunc continet explicationem & probationem thematis. Quod thema, si fuerit *theoreti-*

cum

cum, explicando & probando id tantū efficitur, vt pro affirmando *habeamus* id, quod *thema* affirmat, vel pro negando, quod illud negat. Vbi semper id agimus, vt intelligat auditor, *praedicatum* thematis *conuenire suo subiecto*. Par est ratio vsus *elenchtici*. Nam *elenchum* qui adhibet, is *explicat* thesin falsam themati suo repugnantem, & eius falsitatem probat. Huc vero *tractatio* inseruit; (§. 353.) cum conclusio, non nisi *practica* contineat (§. 368.) Si thema sit *mere historicum* (§. 313.) & tractatio veritatem historiae explicet ac probet, adeoque in *circumstantiis tantum historicis* versetur: tunc equidem fieri potest, vt *aliquod porisma* inde erutum, sit loco conclusionis. Quamuis enim *tractatio historica*, non ita ieiuna esse debeat, quin porismate crebro distinguatur: (§. 227. 145. ** n. 2.) tamen hoc ipsum nihil obstat, quo minus *porisma* quoddam * *primarium*, tametsi theoreticum sit, vberiori explicationi & probationi reseruetur. Quod tamen si contingat, prope *appendicem* magis *tractationi* subnexam habebis, quam conclusionem. Ipsaque tunc

tunc tractatio historica *breuior* esse debebit, ne crescat homilia in molem nimiam, praesertim, si deinde tali vsui didascalico *praxin* addere velis. ** Sin vero thema sit *practicum* (§. 313.) tunc plane non liquet, quo modo vsum didascali cum adhibere velis, nisi forte ea, quae alibi *applicationem late dictam* (§. 396.) constituunt, nomine *vsus didascalici* adpellare velis.

* Si plura eiusmodi porismata eruas, eaque *loco conclusionis* explices & probes, *sermonem asceticum* potius, quam *homiliam* conficies, cum esse possit textus, maxime *praescriptus* & *anniuersarius* historicus, qui *ascetico* sit aptior *sermoni*, quae *homiliae*.

** Vsus *didascalicus practicus a reliquis distinctus*, non datur.

382. *Vsus epanorthoticus*, est applicatio tractationis ad *statum* hominum *nondum salutarem* (§. 372.) ideoque *irregenitorum*. Illi & *habitu* bene agendi carent, & habitu *contrario* laborant. Illis igitur *vitium* aliquod & *mala actio* inde profecta, *ductu tractationis*, ostendi, & quomodo ab illo malo liberari debeant & possint, rite commonstrari debet. (§. 313. ** n. 3.)

383. Non potest adhiberi *vsus epanorthoticus*

thoticus, nisi *primo ostendatur* (§ 382.) pars illa, status *non salutaris*, quam *tractatio* suppeditat. Necesse est igitur vt *notio* eius *vitii*, vel *actionis* vitiosae formetur, quae reprehendi, & a qua reuocari debet auditor. (§. 370.) Si vero *tractatio* idem vitium, vel actionem vitiosam, iam continet, necesse est, vt *notio* eius iam sit formata. Nam tractatio *explicat*; (§. 353.) Quare tunc a notione iterum formanda, abstinetur. Quodsi *tractatio* contineat *oppositam virtutem*, aut *actionem virtutis*, aut quiddam aliud, ad vitii vel actionis vitiosae notionem non pertinens, tunc necesse erit, vt a *notione* illius incipias in hoc vsu. Vbi *varias* * *species*, & *modos*, tum quibus ** gignitur & inualescit, tum quibus *** perpetratur actio praua, luculentius recensere iuuabit, ne auditor, vnam forte speciem eius, opinionis errore sibi fingat, & reliquas tanquam alienas dimittat, adeoque in formanda notione plurimum aberret.

* Si e.c. de *incredulitate* sermo sit, non eam tantum intelligi dicis, qua *testimonium* diuinum plane *spernitur*, aut *impugnatur*, sed

sed de illa vel maxime, quae *notitia mortua* absoluitur cet.

** Expedit interdum, recensere *modum*, quo peccatum hoc vel illud, *sensim insideat* in animis. *Iacob. I, 16. ss.*

*** Hi ipsi *modi*, *species* diuersas constituunt; vbi cauendum, ne *modos perpetrandi flagitia*, reticenda potius quam nominanda *Eph. V. 12.* explices, & improuide notum facias, quod a plerisque feliciter ignoratur. (§. 185.*.) Ita stultum foret, si de *veneficio*, *furto*, *nefanda venere*, sermo esset, exponere *modos pharmaca* venefica componendi, *artes furum* arcanas, & libidinis sceleratae inuenta singularia, nominare. Qua in re cautissime versandum; nec vnquam sine significatione *auersationis* extremae, turpiora huiusmodi vel *generalissimo* recensu, commemoranda sunt, exemplo PAVLLI *Rom. I. 18. 24. 26. ss.*

384. In notione formanda, id agendum est praeterea, vt vitii vel actionis prauae * *magnitudo* rite declaretur; hoc est, vt *multitudo defectuum* appareat. Quo *plures* enim *obligationes* eodem peccato violantur & quo *potiores*, eo *maior* est peccati *gradus*. Facilius autem *auersabitur* peccatum suum, qui illud *tantum* a-

gnoscit, *quantum* est, neque *peccatilla* sibi fingit, aut *adiaphora*, aut omnino *virtutum simulacra*, vbi nihil nisi fœdum & funestum videre debebat. Qui peccati magnitudinem dicendo assequitur, is *taedium* & *ingratos affectus* mouet peccatori, *imperfectiones* suas hoc modo *intuenti*, *Rom. VII. 13. 24. Psal. XXXVII. 4.* adeoque cum taedio *auersationem* excitat, & ideo *commodius aedificat.*

* 1) Vulgo dicitur *exaggeratio peccati*, h. e. vitii vel actionis vitiosae. Nempe non tantum *in se* alterum peccatum altero grauius est, sed in primis respectu *personae peccantis*, quae *certis in circumstantiis* consideratur. Quod *posterius*, vel in primis obseruandum est homiletae, qui *auditores* suos aedificat, ideoque ad illorum statum respicit, in quo *peccatum* determinationem suam sortitur.

2) *Magnitudo* seu *gradus* peccati vel reperitur in *determinationibus peccati* & *peccantium internis*, e. c. *ignorantia vincibili* & *affectata*, *praeiudiciis* periculosis vnde peccata plurima nascuntur; *voluntate deliberata*, *habitu* per actus malos crebriores contracto, vel in *externis*, e. c. in *neglectu* maligno *motuorum* quae a *tempore*, *loco*, *aetate*,

tate, *dignitate*, itemque a *persona* in quam peccatur, a *lege clariore* & saepius in sacro codice repetita, ab *exemplis* irae diuinae tristioribus & frequentioribus, a *dehortatione* praeuia neglecta, cet. sumi debuissent.

3) Quia *magnitudo* rei clarius apparet, si res cum alia comparetur, ideo *comparatio* hic locum habet. *Io. XIX.* 11. 1 *Cor. V.* 1. *Matth. XI.* 20. *ss.*

4) Quia peccata omnia e foedissima corruptione naturali, seu peccato originis, dimanant, fons ille venenatus non erit reticendus, *Ps. LI.* 7. Nam *defectio* illa *prima* a Deo, omnes in se turpitudines complectitur.

385. Non satis est, in vsu epanorthotico peccatum *ostendisse* (§. 383. 384.) sed *secundo* efficiendum est etiam, vt peccator ab eodem *liberetur*. Quod, si fieri debet, primo concipienda erit cum *taedio* quodam praedominante, peccati *auersatio*. Quare docendum erit, *quantum mali* partim comitetur statum & executionem peccati, partim sequatur post peccatum, de quo sermo est. Propositiones quae enunciant *funesta* peccati *adiuncta* & *consectaria*, seu mala * cum eo coniuncta, dicuntur *motiua auersationis* seu *nolitionis*.

Quae motiua referuntur ad argumenta *probantia*. (§. 270.) Porro, cum nemo *velit* & exsequatur peccatum, nisi sub specie *boni apparentis*; etiam apparens illa bonitas seu *voluptas* ** deprimenda, & fallacia eius retegenda est. Haec igitur *motiua* dilucide explicanda sunt, quoniam ratio auersationis in illis continetur.

* Sumuntur haec motiua, a *iustitia Dei vindicatiua*, a *minis* legi adiectis, & *veracitate* Dei quam declarat in iis exsequendis, quae minatus est: ab *omnipotentia* eius, qua nobis inducere *potest* tristia illa consectaria, ab *omniscientia*, qua cognoscit peccata quanta quanta sunt: ab *exemplis* vindictae eius, in similes peccatores: a *molestissimo* peccati *seruitio*, a *periculo repentinae mortis*, *iudicio* supremo, *aeternitate poenarum* cet: quibus alia magis specialia addi possunt.

Sed respectu etiam *euangelii*, poena *perfidiae* contra foedus baptismi commissae, iactura bonorum gratiae, quae peccanti destinata erant, & quibus facillime potiri licebat, *metuenda obduratio*, nisi gratiae operationes admittantur; *difficultas* auersandi in dies inualescens, si inualescat peccati dominium cet.

** Voluptas illa aut est *sensualis*, eaque vel *in se* vitiosa, semperque vetita, vel in se licita,

ta, sed *inordinata*, ideoque in taedium abitura: aut *rationalis*, quae e. c. est e *cognitione* ac scientia rerum solida, quae tamen, quatenus haud sufficit ad veram salutem, eandemque *impedit* (dum in ipsa acquiescimus, vel ipsam adeo sapientiam & bona caelestia verbi diuini prae illa spernimus, & hoc modo nos priuamus bonis maioribus) eo ipso abit in taedia grauissima.

386. Vsus *epanorthoticus* dirigitur ad irregenitos, seu extra statum salutarem constitutos. (§. 382.) Quorum non pauci *honestate* * naturali, *gloria*, *sapientiae studio*, & pro varietate *temperamentorum*, *vitae generis*, *dignitatis*, *munerum*, cet. variis quoque *cupiditatibus studiisque praedominantibus*, ducuntur. Dum igitur *taedium* & *auersationem* peccati concipere debent (§. 384. 385.) non est inutile, aut ** christianis rationibus contrarium, ostendere, quod peccatum, his ipsis eorum *bonis*, quorum studio feruntur, repugnet. Ita enim *pro statu* auditorum, *commodius* aedificamus.

* 1) Honestas naturalis e. c. detestatur *perfidiam*, *ingratum animum*, cet. Ibi ergo proficiunt argumenta a *turpi* desumta. Omne

peccatum est *perfidia*, *rebellio*, *ingratus* erga Redemtorem animus cet.

2) Qui *famam* venantur, his peccatum tanto magis auersatione dignum videbitur, si *ignominiam* videant, respectu Dei, angelorum, piorum hominum, & hic & in altera vita, cum peccato coniunctam. Mouebuntur itaque ab *ignominioso*.

3) Sapientiae cultores auersantur *stultitiam*. Si *stultitiam* peccati *summam* ostendas, auersatio prouocabitur, cet.

CHRISTVS ipse, dum agit cum peccatoribus, ingenio gentis suae ad *libertatem* tanquam summum bonum aspirantibus, commode docet, *peccatum* esse grauissimam *seruitutem Io. VIII. 34. ss.* Et PAVLVS Athenienſibus, eruditionis fastu turgidis, *idololatriam* auersandam proponit, vt *ignorantiae* supinae & erubescendae specimen *Act. XVII. 23.*

387. *Motiua* auersationis, sunt *media* ad illam. Quicquid facit, vt media id actu praestare nequeant, quod ad finem per illa impetrandum praestare debent, id *impedimentum* eorum dicitur. Si qua igitur sunt *motiuorum impedimenta*; illa quoque remouere oportebit. (§. 370.) Peccata autem *actu ipso* non auersatur, qui

mala

mala consectaria & *adiuncta* illius, (in motiuis adducta) agnoscit satis viuide quidem, sed eadem se *euitaturum esse*, vana spe & *practicis praeiudiciis*, sibi fingit. Ita fiducia temeraria *honestatis naturalis*, *cultus externi*, *exempla* eorum, qui grauius, & *impune peccare* videntur, abusus dictorum scripturae, ad patrocinium securitatis, exempla sanctorum in peccata prolapsorum, multos adeo obcaecant, vt *auersationem* peccati *ne necessariam* quidem existiment. Alia est eorum classis, qui *auersationis* necessitatem agnoscunt; verum *hic & nunc*, non auersantur, quia *spe longioris vitae*, & *maioris in posterum opportunitatis*, *exemplis serae poenitentiae*, decipiuntur, *difficultatem in praesens nimiam*, vel *impossibilitatem* cauſſati. Haec igitur, & quae sunt alia huiusmodi praeiudicia, *viuide* depingenda, & *grauiter* refellenda sunt, ne vim intercipiant motiuorum.

388. Cum ad *liberationem* a peccato, non sufficiat *auersatio* eius, cum taedio & ingratis affectibus, (§. 384. ſs.) sed accedere debeat eiusdem *abolitio in iudicio diuino*, & *adoptio*, cum abolitione reatus

tus coniuncta *Marc. I. 15. 2 Cor. V. 18. ss. Matth. XI. 28. Rom VIII. 1.* necesse est in vsu *epanorthotico media* consequendi illam *abolitionem*, seu *remissionem*, & adoptionem, porro indicemus. Fides est *vnicum* ad haec beneficia consequenda *medium. Io. III. 16.* Qui vero transit a dolore & auersatione peccati, ad *fidem* in Christum; is fidem respicit tanquam *finem obtinendum.* Ideo rursus * *media* quaerendae & *impetrandae* fidei, adhibenda sunt; vsus *verbi euangelici*, quod *satisfactionem Christi*, *promtitudinem* Dei ad *reconciliationem*, beneficia immensa, fidem secutura, ostendit, *efficacia supernaturali* instructum, *Rom. I. 16.* ad excitandam *famem* & *sitim* iustitiae *Matth. V. 6.* & *vnionem* cum Deo post baptismum instaurandam *Rom. VIII. 1.* Quam in rem *preces* ardentiores & continuatae, commendari debent; quarum *exauditio promissa*, est inter *motiua fidei* praecipua.

* *Motiua* adhibenda sunt peccatori, vt *ordini gratiae* se accommodet, extra quem fides non obtingit. Totus nimirum *vsus epanorthoticus* spectat *poenitentiam*, adeoque *contritionem* & *fidem*. Cum itaque per ea excitetur

citetur *contritio*, quae occurrunt §. 384 - - 388. reliquum est, vt nunc *fides* excitetur, seu contritus *moueatur* vt *Christum* adeat *Matt. XI.* 28. vbi post ostensum eius meritum, abolendis omnibus peccatis suffecturum, *inuitatio* Christi blandissima, operatio spiritus eius ad donandam nobis fidem, beatitudo cum fide coniuncta, cet. vtramque paginam faciunt.

389. *Motiua* seu *media* concipiendae fidei, facile labefactantur, si *impedimenta* intercedant. Quae denuo remouenda sunt. Nempe homines ad *fidem* inuitati, varia sibi *praeiudicia practica* fingere solent. Qualia sunt, *praeuisae difficultates & molestiae* quae vitam nouam per fidem incoatam, comitantur; vt *iactura voluptatis* antea e peccatis perceptae, *difficultas sancte viuendi*, *odia mundi*, *insidiae cacodaemonis*, *lucta carnis cum spiritu*, cet. Hae *obiectiones tacitae*, pro re nata protrahendae in medium, & confutandae sunt, oppositae *felicitate* vitae nouae, ope ac inhabitatione Dei, ad conseruandam hanc felicitatem & superanda quaeuis aduersa, cet.

390. Vt 1) *dolor* & *auersatio* peccati, (§. 384 - 388.) itemque 2) *fames & sitis fidei* (§. 388. 389.) & bonorum eius, tanto maior & *ardentior* fiat, adiungenda sunt *motiuis* argumenta *pathetica*, (§. 270.) quibus *affectus* * commouentur. Ad *primum*, pertinet *timor* & *terror* respectu potissimum poterui peccatoris; *pudor*, maxime si aliqua *honesti* cura tangatur; *ira* vel *indignatio* in semetipsum, tanquam *auctorem* mali ex peccato nati; *tristitia*, *moeror*, *fastidium*, & quicunque praeterea affectus, ad *morsus conscientiae* pertinent, atque contritionem ingrediuntur. Vbi in primis ad *imagines sub sensum* ** *cadentes*, confugiendum est, quibus *grauitas peccati*, ac tristia eius adiuncta & consectaria, *velut vno obtutu*, (*intuitiue*) & pluribus in vnum confusis, graphice depingantur. Ad *secundum*, pertinent *desiderium*, *cupiditas*, *spes* (quatenus nondum sunt *fidei fructus*) quibus excitandis pariter adhibenda sunt ea, quae mouendo *adpetitui sensitiuo*, aptiora sunt.

* Et *contrarii* etiam, si opus est, *sedantur*.

** Exemplo est, *Nathanis* ad *Dauidem* oratio, 2 *Sam. XII.* 1. *ss.* Adde *Psal. XL.* 6. *VII.* 12. *Matth. III.* 10. *Iesa. I.* 1. *ss.*

391.

391. Neque *argumenta conciliantia* hic omittenda sunt. Commodius certe persuadet, qui, dum peccatoribus tam tristia denunciat, eo ipso *amorem suum* iis insinuat, vt tanto facilius *audiant cum mansuetudine*, *Iacob. 1, 21.* quae in se quidem salubria sunt, sed ipsis tamen amara videri possint. Quare si commodis locis tuum *dolorem*, *misericordiam*, *salutis studium*, *gemendo*, *conquerendo*, *dolendo*, *rogando*, *optando*, *sperando*, medias etiam inter increpationes minasque, significes, rectius aedificabis, & exemplum ipsius Dei sequeris. (§. 123. **.)

392. His in *vsu epanorthotico* peractis, verbosum *examen conscientiae* (§. 375.) vix sine *tautologia* superaddi poterit. Nam *tractatio* suggessit determinatum quoddam peccatum, quod secundum hactenus dicta, sic tractatum erit, vt tota eius tractatio, perpetuus fuerit conscientiae stimulus. Si quid igitur ad excutiendam conscientiam subiici debeat, id in eo ponetur, vt dicas 1) pessimum esse indicium, si qui, sine sensu mali sui, haec audiuerint, cum criteria tamen (qualia si

res

res poscit addi queunt) eius praesentiam satis ostendant 2) non sufficere, haec audientes, sensisse stimulos, conscientiae forsan admotos, sed 3) id quaeri, & coram *iudice* supremo quaeri, an sensus illius mali, mentem impleuerit ea *tristitia*, *pudore* cet. *auersatione*, quam diuina vox iam audita, incutere voluerit? 4) an denique fixum stet *propositum*, anhelandi & amplectendi *liberationem* quae per *fidem* fiat? 5) addenda quaedam motiuorum * & argumentorum patheticorum pondera, ita vt *crescat oratio*, hoc est grauiora minus grauibus succedant. Ita enim *commodius aedificabitur*.

* Sumi e. c. possunt ab iis quae peccator 1) *sibi* debet 2) quae facere debet respectu *aliorum* hominum vel angelorum, 3) respectu ipsius Dei. Ita crescet oratio.

393. Vsus homileticus tendit ad *abolitionem* alicuius vitii. (§. 382.) Quare videndum erit homiletae, ne dum id facere conatur, ipse teneatur eodem vel alio quodam vitio, idque prodat in hoc vsu, atque ita vitia ferat potius quam euellat. Videat igitur 1) vt sibimetipsi non sit

conscius

conscius eiusdem peccati, cum habitu spirituali pollere debeat (§. 290.) *1 Cor. IX. 27.* 2) ne per vsum epanorthoticum prodat *contemtum magistratus*, intempestiue & periculose in illum inuehendo, 3) ne *personas* cum scandalo *nominet*, aut indiciis nimium manifestis, sine summa necessitate prodat, 4) ne metu & fauore hominum ductus, vitia quorundam silentio premat, aut blandius quam decet, reprehendat; 5) ne, securus quid in caetu suo peccetur, vitia *grassantia* intacta relinquat, 6) ne quaedam *ab aliis in se ipsum* commissa, nominatim & acerbe increpet, vindictae suspicionem, aut priuati affectus, praebendo 7) ne nimis credulus, fabellas aniles, & fallas delationes innocuorum, in suggestum deferat, instrumentum futurus alienae libidinis, ac debitae grauitatis & auctoritatis iacturam ita facturus: 8) ne reprehendat, ad vindictam suam explendam, vel ad puritatem suam ab isto vitio ostentandam, vel ad imitationem tantum aliorum, sed vnice ad salutem peccatorum, 9) ne pios & innocuos, suspectos faciat, vel perstringat,

stringat & pungat. 10) ne satyrice magis quam paterne, acerbe magis quam grauiter, imperiose magis quam fraterne, in vitia inuehatur, aut iniuriosis etiam scommatis vtatur, 11) ne frigide ac remisse, sed cum zelo quodam, & concitato animo, in hoc vsu versetur.

394. Commode non aedificat, qui defectum *peritiae*, vel *prudentiae*, vel *decori*, in vsu epanorthotico prodit. Quare caueat homileta 1) ne iuuenis, necdum in munere publico constitutus, vsu epanorthotico liberalius vtatur. 2) nec *aequali* rigore peccata quaeuis prosequenda sunt. 3) nec semper & vbique, sine discrimine temporis & materiae tractatae, inuehendum est in vitia. 4) nec arti ita indulgendum, vt omnia & singula vsus epanorthotici praecepta vbique applicentur, praesertim, vbi *tractatio* iam plurima huc pertinentia continuit 5) ne chorda semper eadem oberres, eandem perpetuo totius vsus formam retinens 6) ne tautologia, vtaris rem & formulam eandem saepius ingeminando, 7) ne clamosa voce obtundas auditores, & tibi ipsi rauim contrahas.

ARTIC.

ARTICVLVS II.

De vsu paedeutico.

Synopsis.

I. *Quid vsus* paedeuticus, *& limites eius* §. 395. 396.
II. *De statibus regenitorum diuersis, & classibus efficiorum* §. 397 - 402.
III. *De consolatione, quae species est vsus paedeutici* §. 402 - 407.
IV. *Monita de tota conclusione* §. 407. *& de precatione finali* §. 408. 409.

395. Vsus *paedeuticus*, est applicatio tractationis, ad statum hominum *salutarem*, siue *regenitorum*, siue sub *contritione* laborantium. (§. 372.)

396. Vsus *paedeuticus* officia quaedam inculcat, ab iis diuersa, quae vsus *epanorthoticus* vrget. Nam pro *statu* diuersitate, diuersa sunt officia, proxime exsequenda. (§. 371.) Inter statum vero salutarem, & *non salutarem*, maxima est differentia. Officia status *salutaris* ad vsum *paedeuticum* pertinent, reliqua * ad epanorthoticum. Quare vsus *paedeuticus*, officia *regenitorum*, aut certe sub *contritione* iam *ad fidem excitatorum*, persequitur.

* Non obstat, in *epanorthotico* vrgeri *fidem* post *contritionem*. (§. 388.) Nam 1) a *potiori*

tiori fit denominatio. At epanorthoticus *petitissimum* spectat *contritionem primam*. Sed in *paedeutico fides* non tam vt *quaerenda* & necessaria nondum regenito, sed vt iam *impetrata* & *augenda*, saltim vt proxima, & *iam gliscens*, at *nondum sensibilis* in *contritis*, consideratur. Quare vsus etiam *paedenticus*, a *potiori* denominatur.

397. In *applicatione*, seu *vsu*, ad *status* eorum, quibus tractationem applicamus, respiciendum est. (§. 371.) *Regeniti* omnes, hactenus *in eodem statu* sunt, quatenus *partim* iis adhaeret *peccatum originale*, *Rom. VII. 24. partim fidem habent communem 2 Petr. I. 1.* Quae fides cum *Christum* sibi applicet, etiam vt *regem*, & *operosa* sit necessario, *per amorem* Dei, nobis reconciliati *Gal. V. 6.* fieri non potest, quin regeniti determinatam *generatim* habeant voluntatem, seu promtitudinem praedominantem, ad omne id agendum quod bonum est, seu *Deo reconciliato placet*, adeoque tum ad augendum & confirmandum fidei habitum, per crebros eiusdem actus, tum ad fructus fidei ferendos *2 Thess. I. 3. 2 Thess. III. 7. Philip. I. 11. 2 Petr. I. 3.* Veruntamen *gradus* notabiliter

tabiliter diuersi, diuersos denuo *status speciales* gignunt; *infantum*, *iuuenum*, *patrum*. Ac denuo, pro diuerso in his statibus virium spiritualium, *vsu*, vel *neglectu*, itemque diuinae gubernationis ac disciplinae varietate, nouae *modificationes* nascuntur. Vbi status *feruentium ad bona opera*, & contra laborantium *acedia*, *tentatorum* & *recreatorum*, cet. in theologia morali, pluribus exponuntur. Vbique tum *defectus* regenitorum, tum *perfectiones* occurrunt.

398. *Officia* regenitorum, in quibus occupatur *vsus paedeuticus*, (§. 396.) *duabus classibus* continentur. Partim exercentur *purgatione* a *defectibus* seu qualitatibus in se prauis, siue *omittendo* siue *committendo* sint tales: partim *amplificatione perfectionum*, vt gradus continuo plures, ad bonitatem actionum & habituum, accumulentur, habitusque ita firmentur & augeantur.

399. Vsus *paedeuticus defectus regenitorum* notat (§. 398.) Illi defectus sunt *peccata* per definitionem peccati. Quare, quoties vsus paedeuticus *defectum* eiusmo-

di tractat, *eodem modo* id fieri debet, quo vtimur in vsu * *epanorthotico*. *Notionem* formamus ipsius defectus: atque in primis *ortum* eius, quonam *in statu* & *ex quonam* genitus sit, ostendimus. *Motiua auersationis*, *media* item, ac *modum* iis vtendi; & *impedimenta*, *modumque*, haec *remouendi*, declaramus. (§. 383. ss.) *Quotidiana* sic regenitorum *poenitentia* suscitabitur.

* Pro ratione istorum defectuum, *seueriores* etiam *increpationes* adhibendae sunt, propius ad illas accedentes, quibus vtimur in vsu *epanorthotico*. Exemplo est PAVLLVS *Galat. III. 1.*

§. 400. Quia tamen laborantes his defectibus, propensione gaudent, officia sua exsequendi (§. 379.) ideoque defectus quoslibet auersandi atque remouendi: 1) multo *lenius* cum illis agendum est, quam cum irregenitis; 2) *motiua* sumenda sunt a *viribus* eorum *spiritualibus*, & operatione gratiae continua, suffectura & abundatura, *2 Cor. VII. 1.* periculo *teporis* vel relapsus, spe *praemiorum*, cet.

401. Altera classis officiorum, eas actiones

ctiones regenitorum continet, quibus *proxime* virtutes augentur (§. 398) hoc est, quibus cognitio iam acquisita *clarior*, *certior* & magis *viua* redditur, eoque propositum bene agendi firmius, & exsecutio eius, voluntati diuinae quoad omnia conformior efficitur. *Rom. XII. 2.* Hic quoque, *notio actionis* & *virtutis perfectae*, (quanta potest esse nostra perfectio) formari, & nobilissima ad illam *motiua*, in primis *euangelica*, itemque modus adhibendi *media*, & remouendi *impedimenta*, suppeditari debent. Homileta vero, *paternum* affectum & *fraternam* * caritatem vbique prodat. *1 Thess. II. 11. 12. IV. 9. 11. Iacob. V. 16. ss. 19. 1 Petr. I. 13. ss. Rom. XII. 1. ss. Eph. V. 1. 2. XI. 10. ss.*

* Ad argumenta *conciliantia* pertinet, haec amoris & paternae curae ostensio. *2 Cor. XI. 2. Gal. IV. 19.* *Laudationes* etiam reperias, *Gal. IV. 14. ss. 1 Thess. I. 4. ss.* *gaudii & fiduciae* significationes *1 Thess. II. 8. 2 Cor. VI. 13. VII. 4. 11. ss.*

402. Vsus paedeuticus ad eos pertinet, qui sunt in *statu salutari* (§. 395.) eorumque *officia* inculcat. (§. 396.) Si contingit,

eos sensu miseriae suae affici, seu *taediis* praedominaturis affligi: tunc officium illorum est, istã taedia *moderari*, & remedia quaerere huc suffectura. Qui hoc officium eis inculcat, is *consolatur*. Quare consolatio est *species* vsus *paedeutici*. *Consolatio* est actio, qua taedium ingraueſcens aut profligamus, aut *praedominium* eius infringimus *motiuis*. *Officia* igitur, quae hoc modo inculcamus, sunt potissimum *constantia*, *fortitudo*, *patientia*, *fiducia*, *acquiescentia*, & interdum *laetitia*.

403. *Taedia* ista maiora vt e caussis quaeque suis oriuntur, admodum sunt *diuersa*. Afficiunt statum vel *internum*, vel *externum*, vel simul *vtrumque*. Qui sub *contritione prima* laborant, his *taedia* & ingrati affectus nascuntur e *sensu peccati* & *irae diuinae*. Quae taedia etiam dicuntur *morsus conscientiae*. Quae, si ad maturitatem peruenerunt, prorsus ex animo fugantur, succedente fide, quae *motiuis euangelicis*, in quibus operatur spiritus sanctus, excitata, *tranquillitatem* adfert *conscientiae*, ac pacem auream ex remissione peccatorum *Rom. V, 1*. succedente *gaudio*

dio in spiritu sancto. Psal. LI. 10. 14. Matth. XI. 28. Iesa. LXI. 10.

404. *Regenitorum* quoque *status internus* interdum turbulentus est, si *sensus peccati inhabitantis* ingraueſcit *Rom. VII. 24.* ac *tentationes* variae, *luctaque carnis cum spiritu*, duriores parit conflictus.

405. Status denique *externus* taedia parit, quamdiu in hac terra peregrinamur *2 Cor. V. 4.* vbi valetudo aduersa, & mortis periculum, commoratio inter hostes Dei, detrimenta bonorum, libertatis, honoris, tum nostra, tum cognatorum, amicorum; & iudicia diuina in eccleſiam & impios, affligere possunt animum his malis intentum. Vbi non raro internus peccati sensus, & tentationes, simul gliscunt & insurgunt.

406. His taediis *consolatio* medetur. Nec alius hic *modus* est medendi, quam qui supra fuit indicatus. *Notio* formanda est status illius in quo taedia ingraueſcunt. *Malum* ipsum luculenter describendum, additis *causis* e quibus nascatur. Ita enim intelliget afflictus, nos sortem eius tri-

stiorem, sufficienter agnoscere & aestimatione iusta metiri. Vnde *fiduciam* concipit condignae consolationis. Interdum malum ipsum, taedii mater, *fictum* est errore * opinionis, vbi error iste & scrupulus plane eximendus. In primis *motiua*, eademque ** *euangelica*, ab ipso *statu salutari* (ad hunc enim vnice, consolatio pertinet) tum *praesente*, tum plenius *successuro*, probe inculcanda sunt: non omissis *mediis*, & *** *impedimentorum* discussione.

* Vbi *dubitationes* de *ordine* gratiae theoretico & practico, & scrupuli inde suborti, itemque *tentatio desertionis* diuinae, amissae fidei, cet. in censum veniunt.

** Huc pertinent *promissiones* diuinae, bona filiorum Dei, exemplum Christi & sanctorum, destinatio Dei sapientissima & benignissima, dum mala huiusmodi, Christianorum *crucem* salutarem, immittit, laetus exitus, ad fidem corroborandam, humilitatem, experientiam & prudentiam spiritualem augendam, cet.

*** Qualia impedimenta sunt, obiectiones contra vsum mediorum, e. c. *preces* esse inanes nec audiri a Deo.

607. De

407. De *tota conclusione*, coronidis loco quaedam monenda sunt. 1) Vtimur in ea argumentis *patheticis* (§. 390.) quibus commouentur *affectus*. Quoniam argumenta pathetica vim suam amittunt, si sint *nimia*; nec animus iusto diutius in statu velut extraordinario commotionis vehementioris, detinendus est: commode non aedificat, qui modum hic excedit. Finiendum saepius medio in affectu, quo stimulus in auditore relinquatur. Deinde 2) *eadem* in omni conclusione *methodus* esse non debet, sed satietati auditorum occurrendum est, & videndum, ne *consuetudine* idem semper audiendi, frigescat attentio. Confer §. 370.

408. Quoniam homiliae finis est *aedificatio* (§. 286) haec autem diuinum opus est *Io. XV. 5. gratiae* debentur Deo, qui & homiletae, & auditoribus, ad hunc finem adfuerit, operatione gratiosa. Et quia vlterior huius aedificationis fructus, ab operatione diuina subsequente, pendet *Phil. I. 6.* etiam *inuocatio* huc directa, pro affectu dicentis & gratia concessa,

debet addi, quae paucis saepe verbis multa complecti potest.

409. Non nulli *cantionum versiculi* sunt admodum *pathetici*, adeoque ad effectum iam concitatum perquam accommodati. Adde, quod auditorum memoriae facilius inhaerent, & quoties recurrunt, toties reproducitur idem affectus, per homiliam tunc excitatus. Quare versibus eiusmodi * claudere licet homiliam.

* Deus ipse, in magnis affectibus, inspirauit viris diuinis sermonem ligatum. Quod testantur hymni & cantica veteris ac noui testamenti. Quare, qui sub homiliae finem apte ac prudenter his vtuntur, non sunt traducendi. Sed in ipsius homiliae contextu non facile inferciendae sunt canticorum strophae.

CAPVT IV.
DE
EXORDIO HOMILIAE.

Synopsis.

I. Definitio *exordii* §. 410. Modi *quibus praeparantur auditores ad attentionem* §. 411. *a*) *motiuum attentionis a* materia §. 412 - - 416. *b*) *a* statu *auditorum* §. 416. *c*) *a persona homiletae* §. 417. *Monitum*, §. 418. II. Dispositio *exordii, cuius quatuor*

quatuor partes recenſentur §. 419.

III. Inuentio exordii §. 419 - - 424.

IV. Virtutes exordii, §. 424. 425.

V. Precatio *exordialis §. 426. & compellatio auditorum §. 427.*

410. *Exordium* eſt *prima* pars homiliae, qua praeparamus auditores, * vt *lubentius attendant* (*§.284. 277.*) partibus reliquis.

* Dum eos *praeparamus* vt attendant, ſimul cogitationes eorum ad thema *ſenſim* flectimus, Nam thema quaſi centrum eſt attentionis. Quaedam igitur cum themate connexa, ita praemittimus in exordio, vt iis auditis, *via* pareatur ad thematis propiorem deinde cognitionem.

411. Homilia *textum* aliquem tractat; id eſt *partem verbi diuini:* cui *attentio* debetur irrefragabilis, metuendo ſalutis periculo, ſi non attendas *2 Petr. I. 19. Io. VIII. 47.* Haec igitur attentio eſt inter officia chriſtianorum praecipua. Et auditores, dum *aedificationis* cauſſa comparuerunt, hoc ipſo, attentionem ſuo facto profitentur. Quare, vt auditores illud officium *hic* & *nunc*, eoque *lubentius*, exſequantur, *motiua* etiam *ſpecialia* (*§.370.*) praeter illud *generale*, praeſtabunt. Fiunt

autem *specialia*, si sumantur * a *themate* praesente, a *statu auditorum*, & *persona homiletae*.

* Non omnes illi modi, vbique & necessario coniungi eodem in exordio debent.

412. Qui in exordio monet, *qua in parte*, & *quomodo*, per materiam thematis sui *aedificare* velit, seu *quidnam conferat* illa ad aedificationem: is materiam thematis sui commendat ab opportunitate, & vtilitate eius ad aedificandum. Efficit igitur, vt auditor iudicet, se percepturum esse aliquid, quo aedificetur maxime; ideoque *lubentius* attendat. Quocirca commodum erit ad attentionem, si homileta thema suum ab ipsa *vtilitate* * & opportunitate commendet.

* *Necessitatem* & *vtilitatem* thematis indicari debere, alias praecipiunt artis homileticae magistri. Quae distinctio valere potest. *Quaedam* enim materia talis est, vt sine illa non possit omnino aedificatio debita obtineri. *Alia* est eiusmodi, vt per eam aedificatio non parum iuuetur. Illa *necessaria*, haec *vtilis* dicetur ad aedificandum. Ita, qui de *modo consequendi fidem*, *iustificationem* cet. agit, is thema profert, ad aedificationem

cationem ita necessarium, vt nulla solida aedificatio possit obtineri, nisi auditor illud cognitum habeat. Sed qui agit *de praerogatiuis* noui foederis prae antiquo; eius thema *vtilitatem* habet ad istum finem.

Forte *gradus* tantum *necessitatis & vtilitatis*, vel ad aedificationem *generatim*, vel ad hanc praesentem nominatim, illa distinctione indicari debet.

413. Qui de necessitate & vtilitate thematis ad aedificationem, non dubitant; ii *difficultate* eius aut *vera*, aut *falso credita*, saepe ab attentione deterrentur. Quare homileta, si quidem id praeuidet, *difficultatem fictam* negabit, & *veram* se discussurum esse, promittet. Quidam auditores, eo sunt ingenio, vt ipsa *difficultas* accendat eorum attentionem. Quo animaduerso, homileta *difficultatem* istam non dissimulet.

414. Saepe thema auditoribus tale videtur, quod *vulgare* sit & *satis notum*. Quod praeiudicium attentioni officit. Quocirca remouendum est. *Phil. III. 1.* Siue indicando necessitatem & vtilitatem repetitionis, siue, *noua* quaedam & vulgo praetermissa * promittendo.

* Nec

* Nec tamen *promittat* liberalius, & maiore hiatu, quam pro viribus & facultate sua. Ne spe vana deludat auditorem plura quam sequuntur expectantem.

415. Si materiam *thematis* casus * aliquis, aut *festi* ** dies suppeditant, tunc *motiua* attentionis inde sumenda sunt. Vbi *status* auditorum, simul in censum venit.

* Tunc ipse *casus*, quod attinet in primis ad notabiliores circumstantias, indicandus est, quae moueant animos & attentionem velut sua sponte prouocent. Tales homiliae sunt: *inauguralis*, *valedictoria*, *funebris*.

** Vt soliti quotannis in ecclesia; quibus memoriam beneficiorum Dei singularium celebramus. Vbi *motiua attentionis* e. c. sumi possunt a singulari praesentia Dei, dum ista beneficia (thematis materiam) celebramus, vt *natali die Christi*, *feriis paschalibus*, *pentecostalibus* cet.

416. *Status auditorum*, attentioni *motiua* praebet, tum *ordinarius*, si moneas, thema tuum esse eiusmodi, vt status *plerorumque*, vel *aliquorum* certe, illud efflagitet, & homiletae velut imperet; vt adeo sine periculo, culpa, contemtu & neglectu auditorum, cet. talem materiam non

non deligere non possit. *Extraordinarius*, *casu* aliquo singulari inducitur. Vbi *circumstantiae* quibus ille status absoluitur, plerumque *affectum* concitarunt, qui resuscitandus est in exordio; ita, vt homileta suum etiam affectum ostendat. Nam illis qui affectu quodam ardent, attendimus * maiore nisu. Et affectus in nobis gliscens, acuit attentionem in rem illam, e qua nascitur, & quam alter dicendo nobis depingit.

* Hinc est, quod exordia quaedam *ex abrupto* fiunt, vbi de materia *affectibus* grandioribus fecunda, dicendum est. Ibi enim conuenit, vt *orator* se talem sistat, qui affectus impetum ipso in sermonis initio cohibere nequeat. Dum igitur hoc modo *statum* mentis *extraordinarium* significat; extraordinariam etiam attentionem prouocat in auditore *Iesa. l. 2. Thren. l. 1.*

417. *Persona homiletae*, fauet attentioni, si tum *generatim*, paternum & fraternum, animum, *zelum* necessarium *muneris* sui comitem, efficere dicat, vt hanc potius quam illam thematis materiam quaesierit: tum *speciatim*, quae ad * qualitatem & statum ipsius pertinent, commemoret,

memoret, quatenus illa beneuolentiam** vel affectum auditorum, mouere possunt. Vnde fit, vt lubentius attendant. Cauendae tamen sunt artes, quibus vitiose quis a sua persona vanius & blandius commendata, beneuolentiam captet.

* Ita Petrus 2 *Petr. l.* 14. 15. percommode in exordio *senium* suum, Paullus *vincula*, *Phil. l.* 7. cet. commemorat.

** Argumenta *conciliantia* huc pertinent. Vnde videas, ipsos Dei legatos saepe indicare *honorem* quo prosequantur auditores, quos *coronam suam*, *sigillum muneris*, *epistolam laudatoriam* cet. appellant. Qualia in exordiis, sed *raro*, & tunc quoque *prudenter & circumspecte*, eodemque animo ac spiritu, quo apostoli, adhibere licebit.

418. Exordium *praeparat* ad attentionem sequentibus homiliae partibus adhibendam. (§. 410.) Quare non opus est, vt *ipsum thema* * *totidem verbis*, vel *partitionem* eius, in exordio recites. Sufficit *generatim* indicasse, qua de re agendum sit. Ita enim 1) *tautologiam* attentioni noxiam, euitabis, seu *anticipatione thematis* illico post praelectum textum secuturi carebis: 2) attentioni nouum continuo pabulum

pabulum sufficies, si illa primo in re tractanda generatim defixa, postea ad *speciale momentum*, themate expressum transferetur. Inter *generale* istud & *speciale*, *expectatio* quaedam auditoris, attentionem acuet.

* Non plane reiicitur ille modus (§. 423.) quia, tametsi thema forte nominatur in exordio, & repetitur deinde post textum praelectum; tamen *partitio* thematis, *specialiora* superaddere plerumque solet: sed *necesse* tamen non est, ipsum thema exprimi in exordio; quin potius abstinere licet ab eo exprimendo, quoties fieri potest.

419. Attentio *facilius*, saltim *decentius*, excitatur, si per gradus quosdam sensim ad rem tractandam progrediamur, quam si vna thesi nuda & abrupta, propositum nostrum cum ipso in suggestum ingressu, primis statim verbis significemus. Quare exordium *partibus* quibusdam constat, *Primo*, *thesis* * quaedam, quae nexum habet cum themate nostro, ponitur. *Secundo*, illa thesis ** breuiter *explicatur* aut *probatur*. *Tertio*, *nexus* *** eius cum instituto nostro ostenditur. *Quarto*, ea, quae attentionem excitant

(§. 412.

(§. 412 - - 418.) breuiter & neruose adduntur. Quodsi ipsa *thesis* exordii, *motiuum attentionis* iam contineat, e. c. praestantiam & vtilitatem materiae tractandae; tunc pars quarta tanto breuior esse poterit.

* Quae, vel est propositio quaedam notabilior e theologia dogmatica & morali, vel sententia *naturaliter* nota, scripturae sacrae conformis, vel *dictum aliquod biblicum*. Qui *dicto* vtitur *biblico*, cauere debet *vulgatos ordiendi modos*, qui in hominum profanorum voculas & prope risus (quanquam pessime) incurrere coeperunt. E. c. non semper cum ipsis verbis dicti biblici incipiat; nec formulas allegandi semper easdem, & verba in illis superflua, frequentet.

** Deductio illa, breuissima esse debet. Si *dictum biblicum*, pro *thesi* assumtum est, ne suscipias *exegesin* omnium verborum. Sed ea tantum eligas, quae proposito tuo inseruiunt.

*** *Transitionem* vulgo dicunt. Vbi ostenditur, cur hanc *thesin*, & quem ad finem, attulerimus.

420. Quia exordium inseruit *attentioni in praesentem materiam* conuertendae (§. 412.) cum qua illud *nexum* habere debet (§. 419.):

(§.419.) facile patet, *inueniri* exordium, *post thema* constitutum. Est igitur *primum in recitatione*, sed *vltimum in inuentione*. Quicquid autem non est ipsum thema, nec pars tractationis & conclusionis, id fieri potest *exordium*, dummodo *nexum* * habeat cum themate; & talem quidem, qui *attentioni excitandae sit aptissimus*.

* Nexus *conceptuum* varius est. Quicquid est eiusmodi, vt inseruiat *explicationi*, *probationi* & *illustrationi* alicuius conceptus; id nexum habet cum illo. Quae supra de *nexu* dicta sunt (§. 120. s.) hic repeti & quodammodo huc applicari possunt. Nexum inter se habent 1) *genus*, *species*, *individuum*. Si enim explicas *individuum*, dicendum tibi erit, quod sit *huius vel illius speciei*; ideoque ad *speciem* ascendis. Sic a *specie* ad *genus*. Et eodem modo *descendi* potest, a genere ad speciem, a *specie* ad *individuum*. Nexum inter se habent, 2) quorum vno cogitato, non tantum ratiocinando, sed *ingenio* etiam & *imaginatione*, deducimur ad cogitandum alterum. Huc refer illustrationes a *contrariis*, *similibus*, *testimoniis*, cet.

421. Quo *propius* thesis exordii connectitur cum themate, eo commodius praeparat

parat (§. 410.) auditorem, qui nexum istum perspicit. Quare videndum est, vt nihil sumamus pro exordio, nisi quod *aptissimum* habeat nexum cum themate, & huic veluti *innatum* videatur.

422. Qui dictum biblicum pro exordio sumit, is *thesin* exordii *prius* inuenire ac deinde recordari debet, in illo dicto hanc *thesin* contineri. Nam *thesis* exordii, est illud, quod *nexum* habere debet cum themate. (§. 420.) Qui *dictum biblicum* ideo tantum eligit, quod *res eadem* * mutatis tantummodo verbis, maxime schematicis, ** illo continetur, quae themate & tractatione comprehenditur, is aberrat.

* Si enim dictum biblicum contineat rem eandem, quae in homiliae tractatione explicatur & probatur; necesse erit, idem in exordio dici, quod dicendum est in tractatione. Ipso enim exordio *thesis* electa explicatur breuiter, & probatur. Alia res est, si dictum illud biblicum, *rem* quidem contineat *eandem*, sed aliquod tamen praeterea *momentum*, quod in *tractatione* occurrere non debeat. Tunc enim *momentum* illud, vnice thesin exordii constituet.

** Si dictum biblicum pro exordio sumtum, *schematice* exprimat, quod thema tuum pro-

propriis verbis exprimere debet: tunc vel *thema schematicum* elegisti, vel in *proprio* acquiescis. Si *prius*, ratio idonea vix succurrit, cur *schema* inferre velis textui, *propriis* qui constet verbis. (§. 331. * 3.) Sin *posterius*, concedi potest *schema*; dum enim illud in exordio explicatur: exordium *petetur a simili*; (§. 420.) quod illo schemate continetur. Vix tamen, dum tale sumis exordium, cauere poteris ipsius thematis mentionem. Nam *thema* erit res figurata, quam res *figurans* pingit. Sed commodius est, si alia suppetit ratio, in ipso exordio thema haud nominari. (§. 418.)

423. Qui exordii loco, *dictum biblicum* eligit eo consilio, vt e *verbis* dicti illius *thema* formet: is videre tamen debet, ne explicans dictum illud in exordio, eadem dicat, quae in tractatione repetenda forent. Nam exordium continere debet aquid, quod *nexum* habeat cum themate (§. 420.) non ipsum *thema*, aut aliquid in tractatione vel conclusione occurrens.

424. Cum exordium non nisi praeparet auditorem & *attentionem* excitet: necesse est, vt sit *breuius*. Satis, si *sextam* homiliae conficiat *partem*. Ne excurrendo in *exactam* explicationem & *probationem*, aut

in *aliena* etiam, fatigetur potius ac distrahatur attentio, quam prouocetur: praesertim cum ipsa homilia *modum* certum agnoscat, vltra quem extendi non debet. Nec sit nimis *generale* aut longius arcessitum. (§. 421.) Neque *duplex* in eadem homilia: quod & *breuitati* repugnaret, & fini exordii. (§. 410.)

425. Si exordium tale esset, vt eius contenta attentionem quidem excitarent, sed ipsa deinde tractatio talis, quae minorem attentionem prouocet: *inaequalitas* ista officeret nutriendae attentioni; quae nimirum crescere potius, quam deficere, & alacrior potius in tractatione quam in exordio esse debet. Quare doctissimus * quisque, exordia adhibet modestiora, nec studiosius ornata. Si tamen homileta verbis & gestibus in exordio remissiorem animum testetur; tunc ostensurus sit, se ipsum pro thematis dignitate non esse excitatum, ideoque effecerit sua culpa, vt attentio langueſcat auditoris. Quare homileta saltim *sub finem exordii* ostendat ** alacritatem & parrhesiam modestam, thematis sui praestantia & ope diuina subnixam.

* Ita

* Ita H. WELLERVS, schediasmate; quod B. MAIVS noster recudi curauit.

** Nec obstat, quo minus homileta, semina quasi affectus, in conclusione excitandi, velut e longinquo ostendat.

426. In omni homilia 1) *verbum Dei* tractatur, vbi effectus efficaciae *supernaturalis* precando impetratur *Ps. CXIX. 18.* 2) tractatur autem *textus*, seu *pars destinata* verbi diuini, cuius contenta differunt a contentis textus alterius. Quare exordio praemitti debet *precatio*, (quae *votum* vulgo dicitur) eademque * conformata potius themati, quam *fixa* quaedam, & comunis omnibus homiliis. Adde, quod compellatio Dei praesentis, pariat attentionem, eandemque, si illa compellatio themati sit aptata, transferat in rem praesentem, ac totam per homiliam in operatione illa Dei supernaturali defixam teneat. Simul autem significatur, quid ipse Deus per omnia homiliae contenta operari velit ac possit. Quo fit, vt *thematis* quoque praestantia commendetur.

* Non ideo improbamus illorum institutum, qui *votum* aliquod *perpetuum* vsurpant. Cuius rei exemplum in epistolis PAVLLI conspicitur.

427. Compellatio auditorum in exordio locum habet, quae per totam deinde homiliam, commodis locis iteratur. Quae ad *aedificationem* est *commodissima*, si exemplis in sacro codice obuiis maxime congruat. Conueniat igitur 1) *homiletae* qui vices Dei gerit ac *patris* loco est, si munere publico fungatur; itemque sanctitati & grauitati *rerum*. Quare absit a blanditiis carnalibus, ne pruritum spectet aurium, aut spiritum oleat huius mundi. Congruat 2) auditoribus, ne ad vnum omnes tractentur, vt beati & exquisite sancti. Absit 3) *nimia* compellandi *crebritas*, quae consuetudinem inconsideratam arguit, & fastidio obnoxia, aedificationem impedit. Denique 4) *affectatio* singularis energiae vel ornatus, in formula compellandi vitetur; nec vni eidemque ita te adstringas, vt non ipsa potius *variatio* praeferatur.

Sectio III.

DE ELOCVTIONE ET ACTIONE HOMILETICA.

Mem-

MEMBRVM I.
de
Elocutione.

Synopsis.

I. *Quid elocutio.* §. 428.
II. *eius virtutes* 1) *generatim quatenus est elocutio* §. 429. 430. 431. 2) *speciatim, quatenus est oratoria* 432 - 441. 3) *monitum de stilo homiletico prudenter & sancte adornando.*

428. HOmilia constat serie propositionum. (§. 266.) Omnis autem *propositio* requirit *verba*, quibus cogitatio, quae *iudicio* absoluitur, exprimi solet. Complexus ille verborum, quibus series propositionum absoluitur, est *elocutio* homiliae. Quicquid rhetores de *elocutione* seu *stilo* praecipiunt, id hic quoque (cum homilia sit *oratio*) pariter valet: nisi quod per *aedificationem*, quaedam vlterius determinantur.

429. Homiletae necessaria est *eius linguae* peritia, quam adhibere constituit. Quam sibi peritiam ante comparare debet, quam ad homilias componendas accedat. Comparatur autem imitatione,

ne, quae suis tamen regulis dirigitur, quas negligere non decet.

430. Linguae vigent *usu* * *loquendi*: qui tamen pro saeculorum, locorum, & auctorum varietate, modo *melior*, modo *deterior* esse potest. Qui meliorem eligit ac tenet, is *elocutionem puram* adhibet. Elocutio igitur sit *pura*.

* Quorsum *significationes* vocum, voces ipsae, hae & non aliae, (nimis antiquae vel nouae) phraseologiae, *constructiones*, *idiotismi* linguae, quin & ipsa pronunciatio, scriptioque pertinent. Quae omnia, *grammaticae* limitibus continentur. *Puritas* igitur complectitur id omne, quod *Soloecismis*, *barbarismis*, *archaismis*, *idiotismis auctorum*, opponitur.

431. Experientia docet, * verba, & verborum compositionem, ** esse interdum eiusmodi, vt *difficilius* intelligantur, & vt alia eorum in locum substituta verba, itemque alia eorum compositio sit multo *clarior*. Quoniam igitur *finis* elocutionis est, vt alter cogitata nostra percipiat; homilia vero *commodissime* debet *aedificare*, necesse est, vt elocutio homiliae sit *perspicua*.

* Verba

* Verba *ambigua*, *obsoleta*, *noua*, *pseudomystica*, *peregrina*, pariunt obscuritatem. Nihil turpius est, quam *linguarum confusio*, qua germani homines, vel semigalli potius, fœdam patriae nostrae maculam adspersere, gallicis germana polluentes.

** Compositio 1) *phraseologica*, obscurior fieri potest *ambiguitate*, 2) *periodica*, si *breuitas* nimia affectetur; vel amplitudine distendantur eiusdem periodi membra. Nihil est magis cauendum, quam conceptuum plurium, in eundem periodi ambitum tumultuaria congeries, & membrorum, alterius in alterum incondita implicatio, vel *parentheseos* crebritas & longitudo.

432. *Natiua* est elocutio, si non modo verba *nascuntur ex ipsis conceptibus*, adeoque voces & formulae nihil significantes, & praua consuetudine adscitae, vitantur: verum etiam *conceptibus aptissima* adhibentur. *Suauis* autem dicitur, si periodi iustam habeant tum *in se*, & respectu membrorum suorum, tum *inter se*, *proportionem*; si varietas adhibeatur, & absit *repetitio* ingrata, itemq; *inanis congeries* vocum & formularum; si periodi aptis connexionum formulis & vocibus inter se col-

ligentur, & sint *numerosae*. Elocutio igitur *nativa* sit, & *suavis*.

433. Constat pariter, voces quasdam, & vocum compositionem, esse eiusmodi, vt *magis placeant* ac *delectent*, quam voces aliae & compositio earundem alia, tametsi perspicuitate debita gaudeant. In quo elocutionis * *ornatus* ponitur. Quoniam igitur commodius aedificat, qui *honeste placet*, quam qui secus; ideo homileta, quantum licet *ornatam* adhibeat elocutionem.

* Quem ornatum *tropis* & *figuris* constare, notum est. B. GLASSII thetoricam qui perlustrat; exempla huiusmodi sacrae orationis, reperiet.

434. *Arida* & *ieiuna* dicitur *elocutio*, quae non modo *ornatum* (§. 432.) negligit, verum etiam abstinet a *copia* verborum: adeoque *minorem* auditoribus creat *voluptatem*, quam si ornatius diceres & copiosius. Hoc igitur modo cum non aedificetur commodissime (§. 277.) danda erit opera, vt *elocutionem aridam* vitemus, & *succulenta* vtamur.

435.

435. Orationis *finis* est *commodissime persuadere* (§. 274.) *Res* igitur *alicuius momenti* esse debet, cui persuasio inseruit. Si elocutio respondet * praestantiae rerum: *dignitas* ei tribuitur. Sed *orator* ipse, opinionem sibi conciliare debet, quod *rei & auditorum praestantiam*, debita aestimatione metiatur, quod polleat peritia, prudentia, probitate, supra vulgum posita. Quodsi orator ipsa elocutione illud testetur; *grauitas* eius agnoscitur. Quare abstinendum erit in oratione, ab omni *scurrilitate*, vocibus formulis & prouerbiis *plebeiis*, & *sordidis*. E contrario *dignitas* & *grauitas* elocutionis obseruari debet.

* Nempe vocabula & formulae valent per vsum loquendi. Accidit quibusdam, vt pretium amittant: partim quod *rebus* humilioribus per vsum loquendi attribuuntur, partim, quod ab hominibus abiectae sortis, frequentantur. Vnde fit, vt *materiae selectiori*, de qua persuadere, operae pretium sit, & *auditoribus*, quibus honor aliquis debetur, haud conueniant.

436. Elocutione verba cogitationibus aptantur. (§. 428.) Cogitationes autem con-

constant *conceptibus de re quadam* determinata. Conceptibus ea quae rebus *insunt* aut *conueniunt*, repraesentantur. Res quaelibet est eiusmodi, vt *varia* ei insint aut conueniant. Vnde *characteres* rerum petuntur, quos nobis cogitando repraesentamus. Et rursum ea, quae rei insunt & conueniunt, *nexum* quendam habent & *similitudinem* cum rebus aliis, atque *relationem* quandam ad illas. Ille nexus & similitudo atque relatio, *simul* cum iis quae rebus *insunt* & *conueniunt*, concipi potest. Pro varietate * *cogitantium*, res eadem, modo ab hoc, modo ab alio charactere, quasi in anima depingitur, seu repraesentatur: itemque modo nexus & similitudo cum ista re, modo cum alia, simul repraesentatur. Vnde mira *elocutionis varietas* nascitur, tametsi *res eadem* sit cui accommodatur. *Modum* igitur *cogitandi sequitur modus eloquendi.*

* Vt acumine, abstracta cognitione, soliditate, profunditate cogitandi, ingenio, & linguae multarumque rerum cognitione quisque pollet, ita *stilum*, seu *elocutionem* effingit.

437. Qui abstracta cognitione pollent,

(S.

(§. 436. *) illi de re quauis ita cogitant, vt sub *speciem* suam vel *genus* debitum, eandem referant. Ideoque, occasione cogitationis de re *speciali* aut *singulari*, *generalia* quaedam & *communia* effata, *vtilia*, maximeque practica, inspergere possunt. Si iidem simul *acumine* valent; tunc in eadem re *plura* eodem velut intuitu *obseruant*, & vbique distinguunt, quae ab aliis facile confunduntur; eademque rursum sub suam *speciem*; vel *genus* referunt. Vnde denuo *effata* quaedam *communia*, siquidem notatu digna sint, efflorescunt; quae *inexpectata* sunt, si talia obseruantur & distinguuntur in re quapiam, quae vulgo praeteriri aut confundi solent, &, si effata eiusmodi inde formantur. Illud igitur qui crebro & opportune faciunt, ii elocutione vtuntur *sententiosa*. Par est eorum ratio, qui *solide* cogitant, id est conceptus suos *probant*, ex aliis per quos illi intelliguntur. Nec minus eorum, qui *profunde* cogitant, hoc est, *probationes* conceptuum, aliis denuo probationibus, & has vicissim aliis, confirmant. Illi enim *nouas semper veritates acquirunt*, vnoque ob-

tutu

tutu perluſtrant, quae & ipſae vtilibus *ſententiis* inſeruire poſſunt.

438. Qui praeterea *ingenio*, multarumque rerum ampliſſima cognitione inſtructi ſunt, his *ingenium* ſuppeditat largam ſegetem *ſimilitudinum* & relationum vnius rei de qua cogitant, ad alteram. Acumen autem *diſtinguenda diſtinguit*, ideoque cauet, ne *aliena* coniungantur, & *phantaſia* extra oleas vagetur. Quare grandia grandibus, mediocria mediocribus, humilia humilibus aptant. *Ingenium* igitur *acumine* & variarum rerum exactiore notitia temperatum, *crebriores* parit tropos, alluſiones, & figuras inexpectatas, & quae ſunt huius generis alia. Quibus efficitur, vt elocutio dicatur *florida*. Quae, ſi vna cum *ſententioſa* (§. 436.) ad affectus ciendos vel ſedandos inſeruiat, *elocutionem* gignit *patheticam*. Si de rebus *magni momenti*, ſermo ſit, ideoque ſententiae, ſimilitudines, alluſiones, a rebus grandibus petantur, aut paucis verbis notabilia multa exprimantur, vt plus meditandum auditori praebeatur, quam verba per ſe indicant; item-

itemque si affectus *vehementiores* illo modo excitentur: *elocutio sublimis* existit.

439. Ex his patet, *elocutionem* vel *simplicem* & *fluidam* esse posse, si *ornatus* ille *splendidior* (§. 433.) & *mediocris* etiam, (§. 433.) rarius vsurpatur; vel *ornatam* & *splendidam* si contra, (§. 433. 438.) *Fluida*, locum habet in exordio consueto, & tractatione; *splendidior*, maxime *pathetica*, in conclusione. Quod ex natura earum partium, facile apparet.

440. *Sobria* dicitur *elocutio*, si quae *suauem* eam (§. 432.) & *ornatam* efficiunt (§. 433. 437. fs.) ita per *rectam rationem* determinantur, vt nec *spuria* * pro *veris*, nec *vera*, ** *immoderate* & *intempestiue*, adhibeantur. Quare elocutio debet esse *sobria*.

* *Puerilis* fit, si e.c. 1) *suauitas* quaeratur in *mensura* quadam *periodorum* ita superstitiosa, vt syllabae quasi numerentur, & vna periodus totidem commatis alteram aequare cogatur; vel si *numero* inhies seruiliter. 2) *Ornatus puerilis* est, qui *lusibus* verborum, formulis *poeticis*, *metaphoris* & *allegoriis monstrosis* (quibus nulla aut nusquam naturalis & possibilis respondet res figurans) & reliquis vtitur, quae vltra simplicitatem esse

esse videntur, sed quibus nulla respondet *sana cogitatio.* 3) Puerile & illud est, si *imiteris* praeposterе stilum supra vires tuas positum.

** Ita, qui totam orationem meris *sententiis & acuminibus* constare iubeat, sobrius non erit. Sic qui *floridus* vbique, sine materiae discrimine, esse, aut pathetice *paratragoedia-re*, aut sublimia captare velit.

441. Haec omnia de *stilo* monita, poterant omitti, quia *rhetorum* ad scholas pertinent. In *homilia* aliquid vlterius per *aedificationem* determinatur. (§. 428.) Quod huc fere redit, vt 1) stilum *sacri codicis*, a Deo profectum, pro norma sumamus, ideoque *ornatum* si quis requiritur, ex illo potissimum penu depromendum esse meminerimus: 2) vt caueamus, ne *aurium pruritus* elocutione calamistrata spectetur, aut efficacia, quae vnice verbo Dei tribuenda, nostro elocutionis artificio vindicetur: 3) vt *dignitas* & *grauitas* omni orationi debita (§. 435.) hic in *sanctitatem* abeat, *1 Cor. II. 12. 13.* ideoque omnem profani spiritus vel speciem, & suspicionem, euitemus, ne crux Christi infirmetur *1 Cor. I. 17.* aut fides excitanda, humanae artis putetur. *Cap. II. 4. 5.*

Mem-

MEMBRVM II.
DE
ACTIONE HOMILETICA.

Synopsis.

I. *de* memoria §. 442. 443.
II. *de* pronunciatione §. 444 - 449.
III. *de* gestu, §. 449.
IV. *de* vestitu & incessu. §. 450.

442. ELocutio, de qua *membro* proximo dictum, tunc *pronunciatur*, si homilia pro concione habenda est. Pronunciatur autem * ex *memoria*. Quare mandari debet memoriae ante, quam pronuncietur, nisi quis ita polleat felicitate naturae & exercitationis, vt *sola* de rebus dicendis *praegressa* vel *extemporalis* etiam *meditatio*, ei sufficiat.

* Nostro aeuo mos ille gliscit & propemodum inualescit, vt chartae mandent homilias, & ex illa praelegant. Quae res diligentiam elaborandi, & ornatum elocutionis haud parum iuuat, neque exigua molestia subleuat eos, quibus memoria vel audentia dicendi, minus fauet. Non nihil tamen derogat fiduciae auditorum & libertati dicentis. Ceterum, satius est bene de charta dicere, quam misere ex memoria.

443. Nondum exercitati, plurimum niti debent memoria: cui tum *res* tum *verba* mandare oportet. Vnde *adiumenta memoriae* adhibeant. Qualia sunt 1) *solida meditatio*, quae palmam tenet, *inuentionem* dirigens & *dispositionem*. 2) Quoniam initio tota homilia consignanda est litteris, nisi in loquacitatem inanem, vel tumultuariam confusionem res abire debeat; ita scribenda est homilia, vt *dispositio* facile in oculos incurrat: siue *numeros* in hanc rem apponas & interuallis omnia distinguas, siue in margine *contenta* breui annotes. 3) *Studeas breuitati* *, ne memoriam obruas. 4) Ne meticulosius totos dies impendas lectioni & relectioni eorum quae consignasti; iturus, sed cubitum & cubitu surgens potissimum, debita attentione, nisi totam homiliam, integras certe partes, perlegas. Pronuncians de suggestu, sicut temeritatem & licentiam; ita metum proscribas, precibus & auxilio diuino fretus: neque religiosius te adstringas omnibus vocabulis.

Mensura homiliae, quae habenda est pro concione, agendis Hassiacis ita praescripta est vt con-

concioni primariae datum sit horae spatium, vel trium horae quadrantium: reliquis dimidia pars horae. Quo instituto nihil est salubrius, & auditori & homiletae. Quotusquisque enim iis est faucibus ac lateribus, & tam gladiatoria totius corporis firmitate, vt durare diutius possit, si praesertim crebrius ei dicendum sit?

444. Homilia *commodissime* debet aedificare. Igitur omnia *persuasionis media*, vsurpet. (§. 278.) Ad quae refertur *pronunciandi* congruentia. Si enim omnia in homilia perfectionem suam habent, tunc magis placent, & *vtile* miscetur *dulci*. Quare *sonus* vocis congruat cum *rebus*,, cum *fine* proximo, cum *persona* dicentis, cum *loco*.

445. *Sonus*, & *modulatio vocis*, congruit *rebus*, si pro rerum varietate varietur; nec perpetuo sit eadem, sed modo *remissior*, (nunquam tamen somnolenta) vt initio exordii, modo *aequabilis*, vt in tractatione, modo *alacrior*, vt in fine exordii, & in *probationibus* maioris momenti, modo concitatior, vt in refutando, affectibus, & praecipue in conclusione. Si laetis re-

bus laetior, triſtibus triſtior, accommodetur. Si *eleuetur* vbi maius & prae ceteris eminens *momentum* occurrat: ſi eodem ſpiritu continuetur, vbi ſenſus continuatur, nec interquieſcat ſenſu nondum pleno. Sonus lugubris, & eiulatio per totam homiliam muliebris, intolerabile creat faſtidium.

446. Congruit cum *fine proximo*, qui eſt, vt auditores te intelligant, pro ratione rerum. Quare neque iuſto *tardior* neque *celerior* ſit, neque *lenior* neque *fortior*, neque ſic *inaequalis* vt *ſyllabae* quaedam, praeſertim *finales*, abſorbeantur.

447. Congruit ſonus *perſonae* dicentis, ſi *naturalis* ſit eidem, neque ſiniſtram per imitationem corruptus: ſi nec vltra vires & latera, nec infra, prorumpat, nec idiotismos *peregrinae* prouinciae, affectet, neque *ruſticam* ſpiret muſam, neque *canat* magis quam voces moduletur; quippe *muſicum* non agis, ſed homiletam.

448. Congruit *loco*, ſi ſufficiat implendo templo, neque in paruo ſacello tam intendas vocem, quam in maiori templo,

plo, ne rumpere potius, quam implere aediculam videaris.

449. *Geſtus* congruus pertinet ad aedificandum commodiſſime. (§. 278.) Congruat igitur 1) *animo* ad negotium tam *ſacrum* intento. Vitentur itaque geſtus omnes, qui diſtractionem cogitationum, licentiam ſine reuerentia, anxiam trepidationem, arguant. Congruat 2) *rebus*. Quare vt vox ipſa, ita *geſtus variari* debent. Si *pathetica* eloquaris, motus capitis & brachiorum, affectui proprius; ſi confutes acrius, aut mineris, vultus adductior, cet. conuenit. Caue tamen iactationem capitis & brachiorum deformem. Nemo enim homileta *ſaltatoris* aut *operarii* rem agit. Quare nec pulſet ſuggeſtum alternis pedibus, neque inclinato corpore & proiectis manibus, de ſuggeſtu pronus flectatur, ſubitoque ſe reducat: neque complodat manus, neque manu facile feriat ſuggeſtum, neque libro vel manibus iaculantem imitetur, cet. Congruat 3) *naturali membrorum diſpoſitioni*, & regulis generalibus inde profectis. Ne igitur velut laſſo papauera col-

lo demittat vel in alterum humerum inclinet *caput*, neque *ventre* promineat, neque manibus (quae ad motum liberae esse debent) innitatur suggestui, quasi dolaturus eum, aut veluti lapsum metuens, eundem firmiter complexus.

450. Ad gestus duo praeterea addi possunt, *vestitus*, & *incessus*. Vestitus animo, vt animus rebus & negotio homiletae, itemque *moribus* populi respondeat. Quare vestitus sit modestus, nec indicium habeat *negligentiae*, vel *vanitatis*; nec *singularis* sit. *Incessus* cum in suggestum tendis, eundemque relinquis, congruet *animo* & *negotio*, si neque fugienti similis sit aut salienti, neque portanti fercula, neque interruptus salutationibus auditorum, & contemplationi vestium. Cetera ratio docet & vsus, & rhetorum libelli.

S. D. G.

Indices, qui sequuntur, dexteritati debemus trium Auditorum, quorum nomina vides, p. 45. 51. 91.

INDEX.

Index Dictorum.

Numerus primus caput, secundus versum, tertius paragraphum, asteriscus notam indicat.

Genesis.

cap.	*vers.*	§.
1	1. ff.	129. * 137.
	3	166 ***
2	9	179 *
	10 ff	129 *
	17	105 *
3	1 ff	129 *
	8. 11. 13. 14.	99
	22	179 **
6	6	28 *
10	10	179 *
17	1 ff	99 *
21	14	171 *
45	26	76 **

Exodus.

cap.	*vers.*	§.
4	15	106 ***
12	46	34 * 46
13	21	168 *
15	1 ff	83 *
16	12	168 *
17	6	168 *
25	10 ff	129 *

Numer.

cap.	*vers.*	§.
11	23	168 *

Deut.

cap.	*vers.*	§.
1	32	76 **
6	4	105 *
9	23	76 **
32	1 ff	83 *
41	27	77 *
10	12. 13.	47 * 49 *

Iudic.

cap.	*vers.*	§.
5	1	83 *
9	8 ff	136 *
17, 18. 19.		137

cap.	vers.	ff.
12	1 ff	390

1. Regum.

20	18	216 *

1. Chronic.

15	1 ff	137

Iob.

4	1 ff	101 *
11	1	ibid.
15	1	ibid.

Psalm.

1	2	190 *
6		108 *
11	6	390
18	26.27.	99 *
19	6. 7.	47 * 49 *
32	10	338 **
37	4	384
38		136 ***
50	12	216 *
51	7	384 *
	10. 14	403
73	25	330. *
119	1. 2. 3.	216 *
	15. 16.	16
	18	155 * 426
	106	330 * 339 *

Prov.

3	9. 10.	223 **
29	9	216 *

Cant. cant.

1	14	223 **
4	8. 9. 10.	223

Iesa.

1	1	99 * 101 *
		104 * 233 *
		390
	2	416 *
	5. 6.	181. 345 **
	14. 15. 16	223 **
2	1 ff	106 *
3	1 ff	106 *
6	9. 10	170 **
10	17	181
11	1. 6.	181

cap.	vers.	§.
12	3	95 *
	13	187 ***
50	4	290
59	5	56 *
61	10	403
	Ierem.	
1	13	181 *
3	13	362 *
	Thren.	
1	1	416 *
	Ezech.	
1	15	181 *
18	21	216 *
	Hos.	
1	2	181 *
	Ioel.	
2	10	47 *
	Amos.	
7	8	181 *
8	1	ibid.
	Zach.	
6	1	181 *

cap.	vers.	§.
9	9	101 * 106 *
	Matth.	
1	1 18	147 *
	20	105
3	4	102
	5	77 ***
	10	179 * 390
	11	180 *
	17	190 **
4	1	171 *
	17	305
5	1 ff	305
	3. 4.	336 * 347 *
	3 ff.	217 *
	4	263
	20 ff	261
	22	76 *
6	5	245 *
	22	216 *
	24	210 **
7	16 ff	374
	21	368
9	1 - 8	224
	9	101 *
11	20	384 *

cap.	vers.	§.
	28	337 * 373
		388 * 403
	29	238 **
12	40	34 *
	50	190 **
13	14	170 **
	24	136 *
	52	261
14	3 ff	137
15	1	35
	21-28	224
16	16. 17	101 *
	34	226 **
18	7	210 **
19	4	166 **
	42	76 *
	5	ibid.
21	19 ff	181 *
	25	216 *
22	2. 3.	105 **
	15. 16.	106 ***
	34	100
	37	189
23	13	105 **
24	15	50 * 255 **
	28	181 *

cap.	vers.	§.
25	29	255 *
26	66	76 *
27	8	101 *
	65	77 ***
	Marc.	
1	15	388
3	4	216 *
10	8	76 *
12	10	76 *
	14	216 *
	Luc.	
1	1 ff	98. 100
		106 **
	5 ff	102
	30 ff	99
	37	27 **
	46. 68.	83 *
	57 ff	102
	78	214 *
2	14	81 *
	24	83 *
	27	99
3	3	305
	6	74 *

cap.	vers.	§.
	21	249 *
4	17. 20	178 *
	18	305
7	30	305
11	1 ff	249 *
12	42	293
15	1 ff	167 * 201 *
	7	28 *
16	19	205 *
18	1. 7. 8.	205 *
19	43	106 *
21	6	76 ***
	15	290. 293
22	25	28 *
24	27. 32.	29 * 206 **

Ioan.

1	1	78 * 102
	3	44 27. *
	10	27 *
	16	95 *
	19. 48.	101 *
2	11	225 **
	14. 37	94 *
3	1 ff	171 *
	1. 22	220 **

cap.	vers.	§.
	3	81 **
	4	50
	5. 6	222 *
		337 **
	5	343 *
	6	40 **
	8. 13	313 *
	14	37 **
	16	154. 305. 388
	18	28 *
	19	373
4	24	337 *
	34	190 **
	39	255 *
5	39	306
6	37. 45	238 **
7	17	50. 255 *
	37	95 *
	37. 38. 40.	94. *
	38	96 * 188 **
	39	226 ***
8	6	181 *
	47	374. 411
9	2	216 *
	13	245 *

cap.

cap.	vers.	§.
10	12	35
11	14	373
12	32.34.	37 **
14	1-22	295
	23.28	190 **
15	5	408
	10	190 **
	13	368
	14	190 **
	20	214 **
	23	190 *
16		295
17	3 ff	129. 155
		263
	17	154
19	11	384 *
	35	101 *
	36	34 *
21	15,16.17.	292

Actor.

1	1	100
2	1 ff	292
	16.25	99
5	3	76 *
	8	292
6	8.10	290
	10	295
7	2 ff	295
8	38	216 *
10	11	104 *
	41	71 **
	43	129.206 **
13	16-42	136 *
	33	169 *
	48	109 *
14	1	285 *
	14	109 *
	22	216* 217 *
		285 *
		345 **
	23	71 **
15	1	106 ***
17	13	28 *
	18. 22 ff	105 **
	28. 29	103 **
18	4	285 *
	24	285 ** 295
19	3	226 *
20	27	305
	33	291 *

cap.	vers.	§.
22	1 ff	102
	3	93 ***
	23-30	329 *
26	9 ff	102
	18	347 *
27	22	206 **

Rom.

1	1	101 *
	16	135 * 147 *
		154 216 *
		295 388
	18	383 ***
	20	80 *
	23	105 ** 185 *
3		106 *
	9	135 * 151 **
	12 * 19	338 *
	20	211 *
	24	217 *
	27	135 *
4	2. 6. 17.	335 *
	9	216 *
5	1	135 * 347 *
		403 *
	12	105 *
7	13 24.	384
	14. 15.	78 *
	24	397 404
8	1. 2.	362 * 488
	6	373
	17	216 *
	26. 27.	345 *
	33	245 *
	35. 38.	98 *
	37	237 *
10	4	70 *
12	1 ff	401
	2	401
	6	194
14	17	188 214 **
	33	194 ***
16	20	215 *

1. Cor.

1	11	98
	17	441. 295
	30	216 *
2	4. 5.	441
	4. 13.	109 * 300 *

cap.

cap.	vers.	§.	
	4	295	290
	7	13	53 *
	12	13.	441
	14		347 *
	16		29 *
3	21		214 **
5	1		384 *
6	9.	10.	216 **
7	18		185 *
9	24.	25.	105 **
10	1.	6	180 *
	23		214 *
	31		216 *
11	10		55 *
	25-29		374
	27		76 *
12	31		216 *
13	1		290
	12		192 *
15	1.3.	ff	295
	16		216 *
	33		103 **
	38		187 ***
	46		216 *
	48		216 *

cap.	vers.	§.	
16	22		98 *

2 Cor.

1	3.4.5.	ff	294
	6		216 *
	21.	22.	293
3	5.	6.	290
4	4		80 *
	5		291 *
	6		166 ***
	17		151 *
5	2		285 *
	4		405
	7		216 *
	10		28 *
	13.	14.	292
	18	ff	388
	20		292
6	13		401 *
7	1		216 * 400
	4.	11 ff	401 *
	8.	11	109 *
8	19		71 **
9	9.	10.	141 *

cap.	vers.	§.
10	3. 4.	291 *
	17	291 *
11	2	401 *
	3	202 *
	16	141 *
12	2	101 *
	7	80 *
	12	141 *
13	5	373

Gal.

1	2	105 *
	6	96 * 98
		106 ***
	6. 7.	151 **
	10	291 *
2	11 ff	171 ***
	12	227
3	1	96 * 105 **
		109 *
	1. 19	292
	2	216 *
	16	85 * 105 *
	24 25.	189 *
4	4	189 *

cap.	vers.	§.
	6	245 * 189 *
	11. 14. 17. 19.	96 *
	14	401 *
	15	109 *
	17	106 ***
	19	71 * 401 *
		105 ***
	22 ff	105 *
	24. 28	141 *
5	1	105 *
	2	106 ***
	6	210 * 218 *
		397
6	17	106 **

Eph.

1	18	255 *
2	10	36. 263
	14	238 *
3	9	179 ***
4	12	245 **
	29	291 *
5	1. 2.	491
	3	216 *
	4	291 *
	8	373
	12	383 ***
	14	179 ***
	18	95 *
	31	76 *

Phil.

cap. vers. §.

Phil.

1 2 216 *
6 408
7 106** 93 ***
417 *
11 397
7. 8. 93 ***
15 291 *
16 171 **
2 6 216 *
21 291 *
28 93 ***
3 1 414. 169 *
2. 18. 19. 93 ***
6 93 ***
7 ff 93 ***
17. 18. ff 147 *
18 109 *
18. 19. 291 *
19 345 **
4 13 27 **

Col.

1 16 216 *
20 238 *
25 ff 187 ***
3 16 295. 306
18 291 *
23 ibid.
4 6 291 *

1 Theff.

1 4 ff 401 *
2 8 401 *
11. 12. 401
4 9. 11. 401

2 Theff.

1 3 397
3 7 397

1 Tim.

2 13. 14. 166 **
3 15 129
4 14. 15. 155 **
16 174
6 6 217 *

2 Tim.

1 13 296
2 15 141 * 261
15. 16. 345 **
3 15 154. 295. 261
16 104 * 245 **
306. 312.
348 *
16. 17. 153. 257
261. 290
17 293

Tit.

1 12. 13. 103 **
3 6 95 *

1 Petr.

1 1 101 * 105 *
13 ff 401
2 9. 10. 105 *
3 6. 20. 105 *
15 327 *
20 40 *

cap. vers. §.

2 Petr.

1 1 101 * 397
2 104 *
3 397
13 98.
14 106 ** 172 **
14. 15. 417 *
19 411. 154
2 3 ff 106 *
3 1 169 *
10 ff 106 *
20. 21. 166 ***
22 173 *

1 Ioh.

1 3. 4. 169 *
5 36
8 28 *
2 20. 27. 293
13. 14. 261. 374
28 98 *
3 1. 2. 155
14 374
23 368
4 4. 11. 19. 98 *
5 4 238 * 336 **
7 192 *
18 28 *
2 337 *

Ebr.

1 1 104 * 351 *
15 345 **
2 13 238 **
6 1 261
4 179 ***
8 10 76 *
11 1 43
1. 6. 135 *
12 2 216 *
13 14 335 * 338 **
20. 21. 186. 188 ***
16 345 **

Iacob.

1 1 101 * 395
16 ff 383 **
22 144 * 368
5 11 227
16 ff 401

Iud.

1 101 *
3 169 *
13 161 *
20 245 **

Apoc.

1 1 101 *
4 105 *
10 104 *
16 5 179 *
21 16 ff 137

Index rerum notabiliorum.

Numerus indicat paragraphum, asteriscus notam.

A.

A Brupta locutio, signum affectus. 114.*
Accessorii conceptus. 186. 188.**
Adiumenta memoriae, qualia sint? 443.
Adulterium quid? 189.*
Aedificatio quid? 245.** stricte dicta quid? ibid. & 262. est finis quem spectat doctor ecclesiae. 261.
Aedificans veritas. 245.**
Aenigma? 203. regulae de illo. ibid.
Affectio quaenam rei figurantis pro tertio comparationis assumenda? 201.
Affectus scriptorum. 108. ad statum eorum pertinent. ibid. quid? 109. indicia eorum. 111. ff.
Amor erga Christum quid? 190.*
Analogia fidei 195. regulae de illa. 196. scripturae. 197.
Anaphora, signum affectus. 114.** n. 1.
Anthropomorphicae & anthropopathicae locutiones θεοπρεπῶς explicandae sunt. 204. regulae de illis. ibid.

Apo-

Aposiopesis, signum affectus. 114. ** n. 7.
Apostrophe, - - 114. ** n. 6.
Applicatio generalis, quid? 370. specialis? ibid. quomodo fiat ad status diuersos? 373. 374.
Argumentatio apogogica. 216. * n. 1.
Argumenta sermonis sacri. 127. dogmaticum 219. explicans. ib. probans ibid. & 361. commouens 270. vbi locum habeat. 361. patheticum 270. & 361. * concilians ib. illustrans 358. singularem homiliae partem integralem non constituit. ibid. confutante ad quod vtamur? 363. regulae de illis. 221. 222.
Ars quid? 288. *
Articulus fidei. 195. *
Asseuerandi aduerbia, signum affectus. 114. *

C.

Cantionum versiculis patheticis claudere licet homiliam. 409. sed in homiliae contextu non facile sunt inferciendi. 409. *
Carmina sunt in N. T. 83.
Characteres rerum vnde petantur? 436.
Christiani sumus per fidem. 362. *
Circumstantiae sermonis & facti. 91.

Cognitio affectiua & practica. 263.
Comparatio, signum affectus. 114.** n. 3.
Compellatio auditorum commodissima ad aedificationem 227. regulae de illa. ib.
Compensatio damni quid? 218.*
Compositio vocum, quid iuuet significatum. 71. s.
Conceptus mutati, eademque tamen voce signati 178. proprii. 179. improprii. ib. hi quando admittendi sint? 199. per se clari. 185. quando supponantur a spiritu sancto. 184. primarii 188.* accessorii. ibid. sunt definiendi. 188.
Conclusio quid? 368. ad quod tendat. 367. & 369. applicatio quoque dicitur. 368. regulae de illa. 407.
Congeries, signum affectus. 114.** n. 2.
Consolatio quid? 402. est species vsus paedeutici. ibid.
Contextus quid? 126. dogmaticus, theoreticus & practicus 128. 130. 168. 223. vnde dicatur practicus? ibid.** & 305. regulae de interpretando contextu historico. 224. 227.

Contradictio apparens in mysteriis vnde oriatur? 213. * de alia contradictione opinata. 226.
Conuersio est possibilis, necessaria, vnica. 216. *

D.

Definitiones conceptum 189. 190. reales & nominales 189. mysteriorum 192. 213. * mysteriorum reales non dantur, sed tantum realibus analogae 213. conceptus definitio quando vero. 197. definitio subiecti rationem reddit praedicati 210. est vero probauda. 211.
Deminutiua, affectuum signa. 114. *
Deriuatio vocum, s. etymologia, quid prosit. 71.
Descriptiones conceptuum. 168. 191.
Dictum biblicum res easdem, verbis tantum modo mutatis, quas thema, continens pro exordio non est eligendum. 422.
Digressiones. 141.
Doctor ecclesiae obligatus est ad homilias habendas. 287.

E.

Elenchum, qui adhibet quid ille faciat? 382.
Elocutio quid? 428. eius virtutes. 1) gene-

ratim, quatenus est elocutio 429. 431. 2) speciatim, quatenus est oratoria 432-441. pura quid? 430. perspicua 431. natiua 432. suauis ibid. ornata 433. arida & ieiuna 434. est vitanda ibid. eius dignitas & grauitas quid? 435. obseruari debet ibid. sententiosa 437. florida 438. pathetica ibid. sublimis ib. sobria 440. puerilis 440. * quando pronuncietur. 442.

Emblema 181.

Emphasis vocis quid? 230. vocis IEHOVAH. ibid. ** explicita & implicita 237. ficta l. illata 238. detecta inseruit scopo specialissimo 239. subiectum emphaseos in voce emphatica quid? 236. * in phraseologia ibid. in formula ibid. quando phraseologia quaedam emphasin habeat 231. propositio 232. vox aut formula 233. emphasin sermonis sacri agnoscunt ii, qui inspirationem verborum non admittunt. 242.

Epicuraei homines quales? 187. ***

Euangelium & Lex 155.

Euangelia & epistolae sunt textus ex auctoritate praescripti, ideoque retinendi 311.

Examen sermonis sacri philologicum 62-89. historicum 89 - 120. logicum 120-173. pragmaticum. 173. ff.
Examen conscientiae, quis instituat? 375. vbi instituendum? 376. quando solide institui possit? 377. quid isti subiungendum? 378.
Exclamatio, signum affectus. 114. ** n. 5.
Exegeta quis? 252.
Exegesis quid? 252. quomodo differat ab hermeneutica 253. ** regulae exegeticae stricte dictae 254. exegeticum studium quomodo instituendum? 256 - 260.
Exemplum 202. regulae de illo ibid.
Exordium quid? 410. quando ex abrupto fiat 416. * in exordio abstinere licet a themate exprimendo, quoties fieri potest 418. * eius dispositio 419. exordii thesis vnde sumenda 419. * cautelae obseruandae ibid. quomodo inueniatur 419 - 424. eius virtutes 424. 425. ne sit duplex in eadem homilia. 424.
Explicatio vbi locum habeat? 360. explicans quid faciat. 357.

F.

Falsitas hermeneutica 197. *

Fides quid? 210. * fides cui interpretationes debent esse analogae, quid? 195. ***
Figurae grammaticae. 75.
Filiatio s. *viodicia* quid? 189. *

G.

Genius linguae. 77.
Gestus cui congruus esse debeat? 449.

H.

Habitudo conceptuum. 188.
Habitus spiritualis quid? 290. homileta eo polleat ibid.
Harmonia quid? 206 non sufficit ad sensum mysticum determinate certum ibid. ** harmonia propositionum quid? 124.
Hermeneutica, quid? 1. naturalis 2. artificialis ibid. sola artificialis doceri potest. 5. generalis & specialis 3. 7. sacra, an pars theologiae 8. differt ab exegesi 9. hermeneutici doctoris & auditoris requisita. 11.
Historia 128. * rerum naturalium 130. artificialium 130. factorum ibid.
Homilia quid? 265. distinguitur a sermone ascetico 266. *
Homiletica vtrum ars, an prudentia dici debeat. 288. *

Homiletae fines spurii sunt varii generis 291. * homileta flagret amore Christi 292. spirituali prudentia sit ornatus 293. status hominum internos probe noscat 294. potens sit in scriptura 295. instructus sit cognitione systematica theologiae dogmaticae & moralis 296. imbutus sit cognitione philosophica 299. calleat artem oratoriam 300. sensum textus cum claritate teneat 317. eius officium ratione status moralis 373. ff. quid in vsu homiletico obseruare teneatur? 393. requisitum eius, qui integrum librum homiliis pluribus persequi vult. 319.

Homileta iuuenis, necdum in munere publico constitutus, quid cauere debeat? 394.

I.

Idiotismus linguae 77. scriptoris, 78.

Illustrationum vsus. 359.

Institutio homiletica & ars homiletica quid? 288.

Intelligimus historias, quomodo 175. dogmata. 176.

Interiectiones affectuum signa, 114. *

Interpretatio scripturae stricte dicta, quid? 244. restrictiua & extensiua. 214.
Interpres terminos propositionis definiat. 187.
Interrogatio, signum affectus. 114. ** n. 4.

L.

Lex & euangelium 155. & 312. lex mortis, quid? 362. * lex vitae, quid? ibid.
Libri scripturae vnius argumenti, & mixti. 129.
Lingua mortua. 68. ebraea & graeca sunt mortuae. ibid.
Locus scriptorum sacrorum. 107. parallelus 193. veritatum in systemate, quid? 195. **

M.

Mensura homiliae. 443. *
Meritum Christi quid? 218. *
Metaphorae, affectuum signa. 114. *
Methodus, 133. 235. variae eius species 134. ff. est vel catechetica vel ascetica vel homiletica. 264.
Miraculum, quid? 225. regulae de illis interpretandis. ib.
Modus probandi vel explicandi. 234.
Modi, quibus praeparantur auditores ad atten-

attentionem. 411. modus eloquendi sequitur modum cogitandi. 436.
Morsus conscientiae, quid? 403.
Motiuum, quid? 223. 322. motiuum attentionis a materia. 412 - 416. a statu auditorum. 416. a persona homiletae. 417. auersationis seu nolitionis, quid? 385. vnde sumantur. ibid. *
Motiua & impedimenta fidei. 388. f.
Mysteria, quid? 192. diuersis classibus continentur. 213. * definitiones reales non admittunt. 192. 213. * continent credibilia in se. 213.

N.

Necessitas & vtilitas materiae, quid? 412. * quomodo differant? ib.
Negatio repetita signum affectus, 114 *
Nexus sermonis. 125. variae eius species. ib. & 130. ff. regulae de nexu 139. internus, quomodo eruatur? 210. idem, quomodo inueniatur in propositionibus inordinatis? 217. non exulat in propositionibus mysteriosis. 213.
Nomina scriptorum sacrorum, 101.
Notiones rerum supernaturalium, quomodo intelligantur? 53.

Ob.

O.

Obiecta sermonis sacri, 127.
Obligatio, quid? 312.
Occasio sermonis sacri. 92. eius fontes & vsus. 94.
Officium Christianum, quid? 322.
Officii exsecutio, quid requirat; 370.
Operationes gratiae, quid? 218.
Oratio, quid? 266. eius materia, inuentio, dispositio, elocutio, quid? 273. datur ars oratoria. 300. * oratoribus recedendum est, a rigore summo demonstrationis. 274. *
Ordo in systemate, quid? 195. ** salutis. 305. est vel theoreticus vel practicus. ibid.
Ornatus puerilis 440. * 2.

P.

Pedantismus philosophicus in rostris sanctioribus fugiendus, 357. *
Parallelismus, quid? 193. materialis & formalis. ib. * verbalis & realis, ibid. regulae de illo. 194.
Parentheses, 141.
Pars, quid? 342. pars sermonis sacri, 123. partium in sermone sacro varietas. 141.

par-

partes primariae, secundariae, simplices, compositae, necessariae, accessoriae. ibid. partium ordo 142. gradus cet. ibid. partium denominatio, 150. partes homiliae sint recte ordinatae 347. adaequatae, 350. aequales 351. perspicuae 352. breuiores 349. pauciores, ibid. pars, quid fieri queat? 345.

Partitio textus, 140. homiliae, quid? 342. partitio est simul thematis, textus, & homiliae, ibid. explicita seu innata, quae? 344. finis partitionis 346. partitio textus, quibus actibus constet? 143. in libro vnius argumenti, 145. mixto, historico, 246. in partibus librorum, 147. regulae de illa, 152.

Peccatum altero grauius quando? 384. ibid. * vbi magnitudo vel gradus eius reperiatur? ibid. n. 2. peccati abolitio per fidem, 388.

Peroratio, vel conclusio stricte talis, quid? 378.

Perspicuitas quotuplici ratione consideretur, 300. *

Persuasio, quid? 274. passiua, ibid. quando persuasio fiat commodissime? 275. 284.

Phaenomena physica in scriptura. 61.
Poenitentia quotidiana, 399.
Porisma, quid? 245. stricte dictum ibid. innatum, vel illatum ibid. etymologia vocis porismatis, ibid.* deriuatiuum & primitiuum, nudum & vestitum, 248. in expectatum & natiuum, 251. elicitur vel per consequentiam immediatam vel mediatam. 249.
Pragmaticum examen, quale esse debeat. 364. philologicum pragmatico non est praemittendum in homilia. ibid.
Praxis moralis, 322. Christiana quid? 368. 370. eiusdem requisita remota, quae dicantur? 370. quae propinqua? ibid. cur ita dicantur. ibid. * & **
Precatio finalis, quid? 408. exordialis. 416. & compellatio auditorum. 427.
Principia salutis principalia & organica, quid? 305.
Pronomen possessiuum in compellando, signum affectus, 114. *
Propositiones scripturae s. subiectum & praedicatum, & conceptus accessorii, 186. compositae, quid? 216. regulae in inueniendo nexu illarum interno ob-
ser-

seruandae. ibid. disiunctiua, quid? 216.* n. 3. hypotheticae per additam conditionem subiectum tantummodo restringentes in censum simplicium referri possunt 216.* copulatiua, 216.* n. 2. caussalis. 216.* n. 4. illatiua, ibid. applicans, 219.* illustrantes, 271. confutantes, 272.

Prouerbium late dictum, 203. stricte dictum, 203.* & 182. regulae de illo, 203.

Prudentia, qua in applicatione late & stricte dicta vtendum. 379.

Q.

Qualitas personarum, 93.

Quotidiana regenitorum poenitentia quomodo suscitetur, 399.

R.

Regeneratio, quid? 221.*

Regnum Dei, 188.**

Regula, quid? 288* regula hermeneutica, quid? 1.* notiones eam ingredientes definiendae sunt, 51. spuria, 52.*** regulae de sensu textus inueniendo, an ingrediantur institutionem homileticam? 320.

Rhetorica, quid? 288.*

Rhe-

Restrictio vage, & determinate sumta quid? 214. *

S.

Salus, quid? 261. *

Satisfactio, quid? 218. *

Scopus sermonis, quid? 201. * sermonis sacri, 153. scripturae sacrae. 154. 155.

Scopus totalis, quomodo inueniatur, 163. partialis? ibid. libri mixti, 164. paraboolae, apologi, 165. Scopus historiae, 166. historiae cum dogmate connexae, 167. regulae de scopo, 172. specialior, & specialissimus quomodo detegatur? 215.

Sensus propositionis, quid? 28. sacrae, quid? 29. vnius propositionis vnicus est, 30. mediatus & immediatus, 31. mysticus, 32. 33. ff. 83. fecundus, 38. 41. ff. opticus, 60. 47. typicus, 57. 83. allegoricus, 58. grammaticus, 173. * n. 2. sensus mysticus, quomodo eruatur? 205. quando sit probabilis? 206. ** quando verus? 207. quando absit? 208. regulae in illo determinando, 209. sensus practicus, quid? 245. ** n. 1. de sensu vero, quomodo certi esse possimus? 218.

Ser-

Sermocinatio, signum affectus, 114. ** n. 8.
Significatus vocis, quid? 25. quomodo determinetur? 27. fecundus, 37. 39. non inferendus in scripturam, 52.
Signum alterius, quid? 337.*
Simile, 180.
Sonus & modulatio vocis, quando congruat cum rebus? 445. cum fine proximo, 446. cum persona dicentis, 447. cum loco, 448.
Status, quid & quotuplex 371. 372. personarum, 93. internus est vel naturae vel gratiae, 308.* externus, ibid. moralis, quotuplex? 373.
Stilus im homilia prudenter & sancte adornetur. 441.
Subdivisio, quid? 365. eius finis, ibid. non sit nimia, ibid.
Subdivisae partes per numeros in homilia nominatos, non connectendae, ib.
Subiecta sunt talia, qualia permittuntur esse a suis praedicatis. 189.** Subiecto in mysterio, determinationes e scriptura sumtae applicandae sunt, 213.

quinam conceptus sit subiectum 188

Synonyma a conceptibus accessoriis sunt distinguenda, 188. **
Systema hermeneuticum, quid? 62. quis in eo regularum nexus? 63. Systema articulorum fidei, quid? 196. quando plenum & solidum? ibid.

T.

Taedia regenitorum afficiunt vel statum internum vel externum, vel vtrumque 404. quomodo tollantur? 406.
Tempus scriptorum sacrorum, 107.
Tertium comparationis, quid? 180. quomodo textui conueniens eruatur? 200.
Testimonia scripturae sunt argumenta probantia, 219.
Textus, quid? 126. *
homiliae, quid? 303.
qualis eligendus sit? 304. ff.
est vel euangelicus vel legalis. 305.
electus vel praescriptus, hicque vel ex auctoritate, vel precario, 310.
ex auctoritate praescriptus, quando recusari possit. 310.
prophetici obiectum est vel personale vel reale. 228. *
theoretici, quando dicantur euangelici? 314.

Textus legales, quando? ibid.
practici formaliter, quid? 312.
theoretici seu virtualiter practici, quid? ibid.
dogmatici, quid? 313.
historici? ibid.
mixti, quid? 315.
vnius argumenti? ibid.
textus didascalicus, quibus conceptibus constet? ibid. **
elenchticus, ibid.
epanorthoticus, ibid.
paedeuticus & paracleticus, ibid.
ex metaphrasi Lutheri praelegendus est quae non vbique corrigenda. 356. *
Thema, quid? 267.
quae efficiant, vt thema intelligatur? 269.
vt confirmetur? 270.
homiliae, quid? 324. & ***
quomodo formandum? ibid. **
quotuplici modo e textu sit? 327.
quo respectu conceptus dicatur? 324. *
quod sit conceptus communis. 326.
quomodo hic fiat? ib. * 2.
thema sit adaequatum. 328.

proprium. 328.
ne sit nimis generale, nec speciale ib.
sit breue. 330.
quomodo fiat clarum & perspicuum? ib.
coactum & affectatum? 332.
ne sit nimis vulgare, & quodnam ita dicatur? 333.
sit sanctum & graue. 334.
non poeticum. 332.
analyticum quid? 327.
syntheticum? 16.
finis eius 328.
materia eius, quae? 340.
modi thema analyticum eruendi. 336.
modum thema syntheticum eruendi, vide de porismate. 244.
Totum in sermone sacro. 122.
Tractatio, quid & quibus regulis dirigatur? 353-357.
quomodo differat ab oratoria? 354.
tractationem accommodare ad praxin, quid? 369.
Transitio, quid? 419.***
Typus & antitypus. 83.

typus

typus ſtricte dictus, quomodo differat a parabola? 205. *4.
ab exemplo? ibid.

V.

Variatio thematis. 341. *1.
verbalis vel realis. ib. 11.
vel laxe dicitur vel ſtricte. ibid.
vnde variatio ſtricte dicta naſcatur? ibid. 11. b.
quod detur variatio realis. ibid. c.
Vaticinium, quid? 228.
per viſionem factum, ibid.
quomodo differat ab hiſtoria rei factae. ibid.
impletum, quid? 229.
nondum impleta duplicis ſunt generis. ibid.
regulae de interpretandis vaticiniis. 228. 229.
Verſiones ex Ebraeo illatae in textum N. T. 81.
Veritas hiſtorica & dogmatica, quando perſpiciatur? 175. 176.
Veſtitus & inceſſus ad geſtus referuntur, & quomodo comparati eſſe debeant, 450.

Vis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0553
DFG

Vis vocis. 25.
varia plerumque. 26.
Vita secundum spiritum. 362. *
Vocum vis per etymologiam & syntaxin. 66. 67.
pendet ab vsu loquendi. 67.
Vsus loquendi late dictus & stricte. 67.
vsus generatim, quid? 380. **
quorsum tendat? 382.
didascalius & elenchticus, quando ipsam tractationem ingrediantur? 381.
Epanorthoticus, quid? 382.
vbi ille adhiberi queat? 383.
quid per istum efficiendum? 385.
quomodo illud efficiendum? ibid.
paedeuticus, quid? eiusque limites. 395. 396.
defectus regenitorum notat. 398.
perfectiones eorum amplificat. ibid.

L. S.

L. S.

Quia corrigendis operarum erratis ipse non vbique inuigilare potui; varia nec pauca videbis. Vt p. 24. lin. 4. a fine, lege *is.* pro *in.* p. 37. lin 3. a fine, l. *mutationum.* p. 84. lin. penult. l. *tarditate.* p. 144. lin. ult. lege *subordinans.* p. 201. lin. 17. lege non *praecise* significat. p. 223. lin. 6. l. eadem de *re.* p. 264. lin. 17. pro *quo*, lege *qua.* p. 330. lin. 3. lege *indigentia.*

Haec passim euoluenti occurrunt. Cetera ne te offendant, enixe rogo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819571466/phys_0555
DFG

745 (
um affectus, 114. **
quid? 25. quomodo
7. fecundus, 37. 39.
n ſcripturam, 52.
uid? 337. *
vocis, quando con-
445. cum fine pro-
erſona dicentis, 447.
tuplex 371. 372. per-
rnus eſt vel naturae
externus, ibid. mo-
373.
ndenter & ſancte ad-
5. eius finis, ibid.
id.
numeros in homilia
onnectendae, ib.
ualia permittuntur
tis. 189. ** Subiecto
rminationes e ſcri-
icandae ſunt, 213.
s. ſ. Subiectum. 188
Mm Syno-